CL. CLAUDIANI

QUAE EXSTANT

VARIETATE LECTIONIS

ET PERPETUA ADNOTATIONE

ILLUSTRATA

A

IO. MATTHIA GESNERO

ACCEDIT

INDEX UBERRIMUS

TOMUS II

LIPSIAE

IN OFFICINA FRITSCHIA

A. C. CIↃIↃCCLVIIII

6000

93705

XXV

CL. CLAUDIANI

IN LIBRUM

DE BELLO GETICO*

PRAEFATIO.

Poſt reſides annos longo velut excita ſomno
Romanis fruitur noſtra Thalia choris.
Optatos renovant eadem mihi culmina cœtus,
Perſonat & noto Pythia vate domus.
Conſulis hic faſces cecini, Libyamque receptam.
Hic mihi proſtratis bella canenda Getis.

Sed

* De Victoria Stiliconis contra Alaricum *Vic.* de bello Getico, id eſt, de V. St. c. A. *Vien. Ald. Junt. Plant. Barth.* de bello Pollentiaco *MS. Claverii, it. Cujac. & Heinſ. Commentario ſuo inſcripſit Barthius,* de laud. Stilic. lib. IV. 5 cecinit *Baſ. Plant.*

* De *Bello Getico* non magis, quam de aliis argumentis poëtæ noſtri hiſtoricis, promittimus Commentarios. Illud modo eos, qui opus habent, monemus, quos *Gothos* & *Veſegothos* aut *Viſigothos* adeo appellat Jornandes, eos antiquo vocabulo Herodoti, ac deinde Ovidii etc. *Getas* vocari, (vid. Oroſ. 1, 16 n. 5 & ibi Haverc.) ipſumque Gothum Jornandem videri ſuum opus inſcripſiſſe *de rebus Geticis:* tum illud, Iſtri ad Pontum Euxinum appropinquantis a ſiniſtra accolas fuiſſe hos vel Getas vel Gothos, (vid. 26, 81. 135. 169) quidquid de nominis tam late patentis vel originibus vel ſedibus alias diſputetur: denique, Stilichoni ſuo cum hic etiam faveat ſuus poëta, alios alia tradidiſſe: ut Caſſiodorus Chron. *Stilico & Aurelianus* (COSS. A. 400) *His Coſſ. Gothi Alarico & Radagaiſa regibus ingrediuntur Italiam.* Deinde *Arcadio V & Honorio V* (A. 402) *Hic Coſſ. Pollentiæ Stiliconem cum exercitu Romano victum Gothi acie fugaverunt.* Et apud Jornandem 1, 29 *Alaricus rex Gothorum —— ſumto exercitu per Pannonias, Stilicone & Aureliano Conſulibus —— intravit Italiam.* Ibidem c. 30 *Stilico ex inſidiis aggreditur Gothos ad Polentiam, civitatem in Alpibus Cottiis locatam —— Gothi —— primo perterriti ſunt, ſed mox —— omnem pene exercitum Stiliconis in fugam converſum usque ad internecionem dejiciunt.* Vid. ad v. 78. 90. it. 583.

1 *Reſides annos* eosdem puto, de quibus 23, 23.

4 *Pythia domus*, templum Apollinis Palatinum, recitationibus & Bibliothecis olim deſtinatum ab Auguſto, ſive ipſum, ſive quæcunque ædes ad exemplum illius recitationi ſerviens.

Sed prior effigiem tribuit ſucceſſus ahenam,
Oraque patricius noſtra dicavit honos.
Annuit hunc princeps titulum poſcente Senatu,
Reſpice; judicium quam grave, Muſa, ſubis!
Ingenio minuit merces properata favorem.
Carminibus veniam præmia tanta negant:
Et magis intento ſtudium cenſore laborat,
Quod legimur medio conſpicimurque foro.
Materies tamen ipſa juvat, ſolitumque timoris
Dicturo magna ſedula parte levat.
Nam mihi conciliat gratas impenſius aures
Vel meritum belli, vel Stilichonis amor.

7 amœnam *ante Claver.* 9 hic *vulg.* hunc *MSS.*
15 timorem *vulg.* 18 libri *vulg.*

7 Statuam decretam poſitamque Claudiano, hic ipſe locus declarat. Vtrum baſis illius inventa ſit a Pomponio Læto, & vera Inſcriptio? diſputamus in Prolegomenis.

8 *Patricius honos*, credo, eſt honos a Patribus, a Senatu habitus, vt *popularis*, quem populus tribuit.

10 *Reſpicere*, vel *reſpicere ſe* jubemus, quos a calore cujuscunque affectus revocamus. A Poëta tantam gloriam conſecuto nihil mediocre exſpectatur. Hæc exſpectatio gravis velut adverſaria eſt, quam ſuperare difficile.

14 *Medio foro*, Trajani, vt eſt in Inſcriptione.

15 *Solitum timoris*, ſolitum timorem, ut *repentina belli* etc.

16 *Sedula*, materiæ epitheton mihi placere non poteſt: metuo tamen, ne potius poëtæ imputandum ſit, quam librario.

XXVI

CL. CLAUDIANI

DE

BELLO GETICO

LIBER

Intacti cum clauſtra freti coëuntibus æquor
Armatum ſcopulis audax irrumperet Argo,
Aetnam Colchoſque petens; propiore periclo
Omnibus attonitis ſolus poſt numina Tiphys
Incolumem tenui damno ſervaſſe carinam
Fertur, & ancipitem montis vitaſſe ruinam,
Deceptoque vagæ concurſu rupis in altum
Victricem duxiſſe ratem. Stupuere ſuperbæ
Arte viri domitæ Symplegades; & nova paſſæ
Jura ſoli, cunctis faciles jam puppibus hærent,

Ut

2 Arctatum *Raphel. contra libros.* 8 ſuperbi, ſuperba *MSS.*
10 *pro* ſoli, ſali, *it. pro* cunctis, certis *MS.*

1 Qui hoc exordium plene intelligere, & ſuavitatem illius percipere velit, illum oportet ſummam fabulæ Argonauticæ præſentem animo habere: cujus non minima pars ſunt Cyaneæ rupes, Symplegades, trajiciendæ navigantibus Colchos, ubi regnabat Aceres pater Medeæ. Harum rupium ſubitus concurſus conflictusque interitum minabatur præſentiſſimum. Tiphys gubernator Argûs navis, ita obſervat tempus, quo diſceſſu ſuo trajiciendi ſpatium dabant rupes, ut nihil illo conflictu præter ornamenta puppis, ultra navim eminentia, perierit. *Corymbos* vocat Valerius Flaccus 4, 691 ubi graphica hujus tranſitus deſcriptio eſt, Græci ἄφλαστα, *apluſtria* Romani. Hoc eſt *tenue damnum* noſtri poëtæ v. 5.

4 *Poſt numina* Junonis & Minervæ, quæ diſtinuerunt rupes, ne ita cito coire poſſent. Pulchre deſcribit Valerius Flaccus l. c.

10 Poſt illum Argûs tranſitum fato jam firmatæ ſunt Cyaneæ petræ, non amplius vocandæ Symplegades, quæ συμπλήγναι confligi deſierint. Ovid. Met. 15, 337 *Tinuit concurſibus Argo Undarum ſparſas Symplegadas eliſarum, Quæ nunc immotæ perſtant, ventisque reſiſtunt.*

Ut vinci didicere ſemel. Quod ſi ardua Tiphyn
Navis ob innocuæ meritum ſic gloria vexit:
Quæ tibi pro tanti pulſo diſcrimine regni
Sufficiant laudes, Stilicho? Licet omnia vates
In majus celebrata ferant, ipſamque ſecandis
Argois trabibus jactent ſudaſſe Minervam;
Nec nemoris tantum junxiſſe carentia ſenſu
Robora, ſed cæſo Tmarii Jovis augure luco,
Arbore præſaga tabulas animaſſe loquaces.
Plurima ſed quamvis variis miracula monſtris
Ingeminent teneras vincturo carmine mentes,
Harpyiaſque truces, inſopitiſque refuſum
Tractibus aurati cuſtodem velleris anguem,
Et juga taurorum rapidis ambuſta favillis,
Et virides galeis ſulcos, fetaſque novales
Matris,

13 tantis -- regnis *conj. Heinſ.* 17 vinxiſſe *al.* 18 cæſa -- Arbore *conj. Heinſ.* teneri *MSS. etiam Cuj. it. Vic.* toto *Vien.* ſummi, totum *MSS.* monitu *Ald. Junt. Baſ.* Tomari *Plant.* Tmarii *Heinſ. Heſychii & Stephani auctoritate, atque Callimachi.* 19 armaſſe *Cuj.* 21 victuro *MSS. it. Cuj.* victuri *MSS.* vincturi *vulg.*

12 *Innocua* paſſive, cui noxa illata non eſt, ut ipſe Virg. 10, 302 *Sedere carinæ omnes innocuæ.* Sic etiam *innoxium* poni, in Lexico ruſtico oſtenſum.

18 *Tmarius* Jupiter a monte Dodonæ *Tmaro* dictus apud Heſychium & Stephanum Byz. Add. Heinſ. ad Virg. Ae. 5, 620.

19 Hæc eſt illa carina Argûs navis (*τρόπις*) loquax & fatidica, de qua portenta canunt Argonautici. Modeſtius Val. Fl. 1, 501 ſqq. tutelam facit navis, & inducit dicentem in ſomnio Jaſoni, *Dodonida quercum, Chaoniique vides famulam Jovis: æquora tecum Ingredior: nec fatidicis avellere ſilvis Me niſi promiſſo potuit Saturnia cælo.* Hæc *arbor*, hæc quercus Dodonæa fuit carina Argûs, cujus animavit & reliquas *tabulas*, e carina tanquam coſtas e ſpina doctſi aptas, ut tota navis fatidica dici potuerit. Conf. ad 7, 118.

21 *Miracula ingeminant* poëtæ h.e. augent, multiplicant *variis monſtris* enarrandis qualia ſunt Harpyiæ, Draco, Tauri ignivomi.

22 *Inſopitis tractibus*, *ὑλκοῖς* ab *ἕλκω*, ſ. ſpiris nunquam plane ſopitis ſ. quieſcentibus: *refuſum* Draconem dicit, h. e. reflexum replicatumque jacentem, ut humi *funduntur*, qui procumbunt, & jacent: unde exercitus quoque fundi dicuntur, cum cæduntur & coguntur fugere.

24 Ignivomi ſunt tauri illi cuſtodes, ipſoque adeo halitu ſuo poſſunt noxam jugo inferre aut in cineres adeo illud convertere.

25 *Virides* non colorem indicat, puto, verum hoc modo, pro herbis

Matris, & in ſegetem creſcentis ſemina belli:
Nil veris æquale dabunt. Prohibere rapaces
Scilicet Harpyias, unaque excludere menſa
Nobilior titulus, quam tot potuiſſe paratas
In Latii prædam Geticas avertere fauces?
Anne ego terrigenas potius mirabor in ipſis
Procubuiſſe ſatis, vitæ quibus attulit idem
Principium finemque dies; quam cæſa Getarum
Agmina, quos tantis aluit Bellona tropæis,
Totaque ſub galeis Mavortia canuit ætas?
Per te namque unum mediis exuta tenebris
Imperio ſua forma redit, clauſtriſque ſolutæ
Triſtibus exſangues audent procedere leges.

26 *quid ſi* creſcentia? 31 an ego *vulg.* 36 *pro* vnum, virum *MS. unde* iterum *conj. Heinſ.* excita *MSS. quod placet Heinſ.*

bis & viridibus profiliiſſe de ſulcis galeata capita, & reliqua deinceps membra armatorum. Quod *fetas Martis*, hoc eſt armatorum, *novales* dicit, metaphora eſt ab animantibus tracta: *feta* enim eſt quæ peperit. Ceterum facile video, per hypallagen poni poſſe *bellum* i. bello concurſuros armatos *creſcere in ſegetem*: facilius tamen & naturalius eſſe videtur, *ſemina belli creſcere in ſegetem*, venire ad maturitatem, verbo vellem in bonis libris eſſet *creſcentia ſemina*.

27 *Nihil* etiam mentientes de Argonautis poëtae fingendo dabunt ita magnificum & admirandum, quod *æquale* ſit veris, quæ narrari de gloria Stilichonis poſſunt. Hoc ut oſtendat, comparationem ingreditur.

28 *Harpyias*, fœda monſtra, Calais & Zetes Boreæ filii a Phinei menſa, quam & ſpoliabant & fœdabant, abegere. Vid. Valer. Fl. Argon. 4, 428 ſqq.

29 *Titulus*, inſcriptio, quales in ferculis triumphi ferebantur, aut ponebantur, ſub ſtatuis, in arcubus etc. Hic igitur poſſis *titulum* etiam laudem reddere vel prædicationem.

34 *Aluit* Getas *Bellona tropæis*, virtutem illorum per victoriam & ſucceſſus auxit: quanquam neque ipſum victum excludere velim, quem ſibi armis paraverint.

35 *Tota ætas* Getarum *canuit*, peritiam & prudentiam ab uſu collectam habuit, ut adoleſcentes quoque veterani eſſe viderentur.

36 *Exuta* tenebris, ſqualore & obſcuritate, qua velut involuta erat, liberata. Ut lux gloriam notat & magnam celebritatem, ita tenebris indicatur infamia & humilitas. Hic illud inſuper vult poëta, leges, inſtituta, mores Romanos barbarorum incurſione opprimi, ut non agnoſcas illum populum victorem, qui in tenebris quaſi deliteſcat.

Jamque poteſtates priſcus diſcriminat ordo
Juſtitiæ, quas ante pares effecerat una
Nube timor. Tua nos urgenti dextera leto
Eripuit, tectiſque ſuis redduntur & agris
Damnati fato populi, virtute renati.
Jam non in pecorum morem formidine clauſi
Proſpicimus ſævos campis ardentibus ignes:
Alta nec incertis metimur flumina votis
Excidio latura moram: non poſcimus amnes
Undoſam ſervare fidem, nubeſque fugaces,
Aut conjuratum querimur ſplendere ſerenum.
Ipſa quoque interius furiis exercita plebis
Securas jam Roma levat tranquillior arces.
Surge, precor, veneranda parens, & certa ſecundis
Fide

40 ſuffuderat *vel* infecerat *conj. Heinſ.* 46 fulmina *MSS.* 50 internis *Heinſ. ex MSS. Sic & Cuj. Pro* plebis, belli *MS. inde* interni belli *conj. Heinſ. quod malim præ verſu ſibilante, quem dedit,* internis furiis exer. plebis. 51 leva *MS.*

39 Belli tempore, cum omnes hoſtem vel jam incubantem, vel imminentem certe, metuunt, ceſſant legitima imperia. Agunt hoc ipſum hoſtes, ut ſuis a dominis, magiſtratibus, principibus homines avocent.

41 *Nubes* cum proſpectum & diſtinctionem rerum etiam propinquarum adimat, perturbationem confuſionemque rerum, officiorum, perſonarum, apte exprimit.

43 *Fato* aſſignat infelicitatem Romanorum, reſtitutam felicitatem virtuti Stilichonis, vitio mortalitatis familiari, qui ſua peccata infortuniorum nomine vocent, ſecunda autem ſuæ ſapientiæ vel virtuti adſcribant.

44 *Formido* non tam rete eſt, quam funiculus ſ. linea panniculis, pennis præſertim varii coloris, diſtincta, cujus inſolita ſpecie, & motu ab aura, perterritæ beſtiæ contineri ſe, aut coarctari adeo patiuntur. Dictum ea de re in Theſauris V Formido & Linea.

46 Qui metuunt adventum hoſtilis exercitus, illi interdum ſperant, a fluminis ſubito incremento illum retineri poſſe, hoc flumen metiuntur votis, optant, ut quam latiſſime diffundatur, quam profundos agat vortices. Amnis, qui ſic remoratur hoſtes, *ſervat fidem* ſuis accolis, *undoſam*, undis actis hoſti terribilem. Novimus laudari munimenta a quorum aditu inundatione arceri hoſtis poteſt. Interdum hoc beneficium a cælo ac tempeſtate exſpectatur. *Nubes fugaces*, quæ diffugiunt non demiſſo ante imbre: *conjuratum ſerenum*, ſerenitas, quæ hoſtem juvat, ſimili figura ut 7, 98 *conjurati veniunt ad claſſica venti.*

Fide Deis, humilemque metum depone ſenectæ,
Urbs æquæva polo. Tum demum ferrea ſumet
Jus in te Lacheſis, cum ſic mutaverit axem
Fœderibus natura novis, ut flumine verſo
Irriget Aegyptum Tanais, Mæotida Nilus,
Eurus ab occaſu, Zephyrus ſe prodat ab Indis,
Caucaſiiſque jugis calido nigrantibus Auſtro
Getulas Aquilo glacie conſtringat arenas.
Fatales hucuſque manus, crebriſque notatæ
Prodigiis abiere minæ: nec fidera pacem
Semper habent, ipſumque Jovem turbante Typhœo,
Si fas eſt, tremuiſſe ferunt, cum brachia centum
Montibus armaret totidem, ſpiramque retorquens
Lamberet attonitas erectis anguibus Arctos.

Cc 4 Quid

58 promat *vulg.* prodat *ex MSS. Heinſ. quod verbum illuſtrat ad 8, 644.*
64 timuiſſe *vulg.* 65 ſpirasque *vulg.*

53 *Metus* omnis eſt *humilis*, deprimit, contrahitque animos: *ſenecta* non ætatem ipſam productam, ſed imbecillitatem notat, quæ illi adjuncta eſt, triſtitiamque. Sic *Senium* & *conſenescere* paſſim.

54 *Ferrea Lacheſis* nihil aliud eſt, quam dura ſors, cui mortalia omnia ſubjecta ſunt. Romam illa ſorte eximebant, æternam urbem, Deam vocabant, pro Dea hymnis, qualis eſt ille Erinnæ, ſtatuis, nummis celebrabant. Ponamus ex illa Erinnæ Ode unam ſtrophen, quæ maxime huc facit, Πάντα δὲ σφάλλων ὁ μέγιστος αἰών, Καὶ μεταπλάσσων βίον ἄλλοτ' ἄλλως, Σοὶ μόνᾳ πλησίστιον οὖρον ἀρχᾶς οὐ μεταβάλλει, quam ſic reddidit H. Grotius, *Quæque res cunctas vaga fallit ætas, Dum novis vitam variat figuris, Semper ut regnes, tibi perſtat auras Flare ſecundas.*

55 *Axem* more ſuo dicit cælum, & relationem ad illud telluris, climata, & quæ inde pendent. *Fœdera* etiam alias illum, quem naturæ ordinem vocare ſolemus appellat, E. G. 3, 4.

61 *Manus* barbarorum fato huc usque proceſſerunt: *prodigiis notatæ* ſunt *minæ* hoſtiles. Prodigia ut invertunt quodammodo rerum naturam aliam: ita prodigii & portenti inſtar eſt, Romam concuti & metuere a barbaris. Scilicet ut ipſum Jovem metuere Typhoëus & conjurati gigantes coëgere.

64 *Si fas eſt*, intell. dicere, vel credere, vel fieri adeo. *Centum brachia* tribuuntpoëtæ non Briareo modo, ſed huic ipſi Typhoëo, v. g. Ovid. Met. 3, 305: & univerſim gigantibus, ut Id. Met. 1, 184 *Centum quisque parabat Injicere anguipedum captivo brachia cælo.*

65 *Spira* eſt flexus ſerpentis, ſive potius ipſa pars in ſpiram flexa, *volumina* etiam vocantur. Typhoëus anguipes eſt, pro pedibus habet ſerpentes, ut ceteri gigantes, quorum *pedes*, ut ait Macrob. Sat. 1, 20 *in draconum volumina definebant.* Noſtri imago plane horribilis eſt: anguinei

Quid mirum, ſi regna labor mortalia vexat?
Cum gemini fratres, genuit quos aſper Alœus,
Martem ſubdiderint vinclis, & in aſtra negatas
Tentarint munire vias, ſteteritque revulſis
Pene tribus ſcopulis cæleſti machina bello.
Sed caret eventu nimius furor: improba numquam
Spes lætata diu: nec pervenere juventæ
Robur Aloïdæ. dum vellere Pelion Otus
Nititur, occubuit Phœbo, morienſque Ephialtes
In latus obliquam projecit languidus Oſſam.

Adſpice, Roma, tuum jam vertice celſior hoſtem:
Adſpice, quam rarum referens inglorius agmen
Italia detruſus eat, quantumque priori
Diſſimilis, qui cuncta ſibi ceſſura ruenti
Pollicitus patrii numen juraverat Iſtri.

Non

74 Othrys *vel* Otrys *ante Claver.* *qui* Otos. Otis, Otys *MSS.*

anguinei illi pedes in extremo habent capita cum linguis exſertis, & adeo immani ſunt longitudine, ut reflexi retortique ac duplicata illa parte in cælum erecti pertingant ad Urſas cæleſtes, quæ ipſæ attonitæ vident Dracones, illius, qui utramque ſpiris complectitur, æquales.

68 Hi ſunt *Aloidæ* quos apud inferos etiam vidit Aeneas Virgilianus 6, 582 exemplo Homeri Οδ. Λ, 304. Hi *Martem* captivum, & in æneo incluſum cacabo tenuere, periturum ibi, niſi furto Mercurii evaſiſſet. Fabula eſt ιλ. Ε, 385.

73 *Pervenere juventæ robur*, intellecta *ad*: plane ut exprimere voluiſſe videatur etiam phraſin Homericam v. 316 Καί νύ κεν ἐξετέλεσσαν, εἰ ἧβης μέτρον ἵκοντο. Nec alias inſolitum eſt omittere poſt hoc verbum Præpoſitionem. Ovid. Met. 3, 462 *Verba refers aures non pervenientia noſtras.* Stat. Theb. 3, 12 *Ut vero infames ſcopulos ſilvamque nefandam Perventum.*

78 Ergo magna clade in Italia affectus eſt ſecundum hæc Alaricus. Deſcribit cladem etiam Prudentius in Symmach. 2, 695 ſq. & inter alia canit v. 708 *Dux agminis imperiique Chriſtipotens nobis juvenis fuit* (Honorius) & *Comes ejus Atque parens Stilicho.* Deinde, *Illic ter denis gens exitiabilis annis Pannoniæ, pœnas tandem deleta pependit.* —— *Mirabere --- Poſteritas --- cadavera --- Quæ Pollentinos texerunt oſſibus agros.* Hæc utrum veriora ſint his, quæ ad 25 pr. attulimus, an conciliari cum iis poſſint, quærere facilius eſt, quam certum reſpondere. Fateor tamen, mihi placuiſſe rationem Jo. Lud. Vivis in libello de Getis ſ. Gothis S. Auguſtini de Civitate Dei libris præmiſſo.

Non niſi calcatis loricam ponere Roſtris.
O rerum fatique vices! qui fœda parabat
Romanas ad ſtupra nurus, ſua pignora vidit
Conjugibus permiſta trahi. qui mente profunda
Hauſerat Urbis opes, ultro victoribus ipſe
Præda fuit. noſtri quondam qui militis auro
Aggreſſus tentare fidem, deſertus ab omni
Gente ſua manibuſque redit truncatus & armis.
Hoc quoque quod veniam leti valuere mereri,
Si poſitis pendas odiis, ignoſcere pulcrum
Jam miſero, pœnæque genus vidiſſe precantem.
Quæ vindicta prior, quam cum formido ſuperbos
Flectit, & aſſuetum ſpoliis affligit egeſtas?
Sed magis ex aliis fluxit clementia cauſſis,
Conſulitur dum, Roma, tibi. tua cura coëgit
Incluſis aperire fugam, ne pejor in arcto
Sæviret rabies venturæ conſcia mortis.
Nec tanti nomen ſtirpemque abolere Getarum,
Ut propius peterere, fuit. Procul arceat altus

98 nuncia *vulg.* conſcia *a Barthio & Heinſ. e MSS.*

82 *Roſtra* fori Romani, unde concionabantur ad multitudinem, intelligi, apparet.

85 *Mente profunda* exprimit poëta inſatiabilem cupiditatem, quæ inſtar profundæ voraginis expleri nullo modo poteſt. *Mévos* cogitaſſe videtur, partem, quæ vult in nobis & appetit, non quæ intelligit & ſcrutatur. *Devorandi* verbum in tali re amat Cicero.

89 *Manus* intelligamus milites, & copias adeo omnes, præter *arma*, quæ ſeparatim nominat.

90 Hic poëta illud *veniam leti* vocat & clementiam, in quo alii vel turpem Romanis pactionem, vel proditionem adeo deprehendere ſibi viſi ſunt. Vid. Zoſimus 5, 29. Et fuiſſe rem invidioſam, etiam ex hac defenſione apparet. Ipſa formula *valuere mereri*, indicat, *mereri* hic eſſe ſimpliciter conſequi ſine reſpectu dignitatis.

96 *Tua cura* poſuit pro *tui*. Dum tibi, o Roma, conſulit, tuæ ſalutis dum rationem habet Stilicho, maluit incluſis Getis fugæ occaſionem præbere, ne deſperatio illos in rabiem verteret, pernicioſam forte Romanis futuram. Honeſta & ſpecioſa oratio, quam populares mei breviter comprehendunt, *Fugienti hoſti pontem ſubſternendum eſſe aureum.*

99 Comparat inter ſe hæc duo, Internecionem Getarum, Periculum Romæ ab illorum deſperato impetu. Hæc ſi in bilancem imponantur, non tanti ponderis eſt prius, ut poſterius ſubeatur.

Jupiter, ut delubra Numæ, ſedemque Quirini
Barbaries oculis ſaltem temerare profanis
Poſſit, & arcanum tanti deprendere regni.
Quamquam, ſi veterum certamina rite recordor,
Tunc etiam, pulcra cum libertate vigerent,
Et proprio late florerent milite Patres,
Semper ab his famæ petiere inſignia bellis,
Quæ diverſa procul tuto trans æquora vires
Exercere dabant. Currus regumque catervæ
Inter abundantis fati ludibria ductæ.
At vero Italiam quoties circumſtetit atrox
Tempeſtas, ipſumque caput læſura pependit;
Non illis vani ratio ventoſa favoris,

Sed

101 ſanctumque *al.* 108 diviſa *MSS. pro* tuto, totas *MSS. hinc* tutas *conj. Heinſ.* virtus Exer. dabat *conj. Scal.* dabat *vulg. Sed* dabant *omnes MSS. Heinſ.* 109 catenæ *ante Heinſ.* 113 furoris *MSS.* timoris *MS. hinc* tumoris *conj. Heinſ.*

103 *Arcanum regni.* Ignem in templo Veſtæ, in primis intelligerem, niſi obſtaret illud, quod jam Theodoſius ſenior ſtatim a victo Eugenio dicitur Veſtales & cultum Veſtæ abrogaſſe, quod copioſe narrat Zoſimus 5, 28. Et fruſtra jam ante conſumta erat nobilis illa Symmachi relatio, quam oppugnarunt Ambroſius & Prudentius. An igitur alia imperii Ro. pignora reſpicit? Serv. ad Aen. 7, 188 *Septem fuerunt pavia* (leg. *pignora*) *quæ imperium Ro. tenerent, acus Matris Deum, quadriga fictilis Vejorum, cineres Oreſtis, ſceptrum Priami, velum Ilionæ, Palladium, ancilia.*

109 *Regum catervas*, ab Heinſio ex bonis libris aſſumtas, eo minus mutare, & reducere *catenas*, quæ alioqui pulchre conveniunt, auſus ſum, quod auguſtius ſpectaculum ſunt *Reges* plurium numero, nec inviſum Romæ, cum *Reges* ſint etiam filii & fratres regum, ut non abſurde poſſimus etiam *catervas* illorum putare in triumpho ductas. Currum triumphalem Aemilii Paulli Macedonici præceſſerunt ipſe Perſes rex, tres illius liberi, Bitis, Cotyis regis filius etc.

110 *Abundans fatum*, quod plura tribuit, quam quis ſperare vel optare adeo audeat. *Ludibria* dicuntur non tam reſpectu triumphantis, quamquam id quoque, quam eorum de quibus triumphatur, quos, paullo ante in ſummo velut faſtigio conſtitutos, jam *Fortuna ſævo læta negotio, & Ludum inſolentem ludere pertinax*, (Hor. Car. 3, 29. 49) ad miſerrimam conditionem depreſſit.

112 *Tempeſtas --- pependit* pictura eſt nubis capitibus ac cervicibus imminentis, fulmina & grandines intentantis. Ceterum in hac prudentiae Stilichonis prædicatione ineſt tacita confeſſio, quam timendus etiam poſt prælium ad Pollentiam fuerit Alaricus.

Sed graviter ſpectata ſalus, ductorque placebat,
Non qui præcipiti traheret ſimul omnia caſu,
Sed qui maturo vel læta vel aſpera rerum
Conſilio momenta regens, nec triſtibus impar,
Nec pro ſucceſſu nimius, ſpatiumque morandi,
Vincendique modum mutatis noſſet habenis.
Cautius ingentes morbos, & proxima cordi
Ulcera Pæoniæ tractat ſolertia curæ,
Parcendoque ſecat, ferro ne largius acto
Irrevocandus eat ſectis vitalibus error.
Sublimi certe Curium canit ore vetuſtas,
Aeaciden Italo pepulit qui litore Pyrrhum.
Nec magis inſignis Pauli Mariique triumphus,
Qui captos niveis reges egere quadrigis.
Plus fuga laudatur Pyrrhi, quam vincla Jugurthæ.
Et quamvis gemina feſſum jam clade fugarit,
Poſt Decii lituos, & nulli pervia culpæ
Pectora Fabricii donis invicta vel armis,
Plena datur Curio pulſi victoria Pyrrhi.
Quanto majus opus ſolo Stilichone peractum
Cernimus! hic validam gentem, quam dura nivoſis
Educat Urſa plagis, non Chaonas atque Moloſſos,
Quos

114 ſuſpecta *MS.* 118 præ *MS.* tumidus *vulg. ſed* nimius *MSS. & exemplis tuetur Heinſ.* 122 longius *vulg.* latius *MS.* largius *Heinſ. ex MSS.*

121 *Pæoniam curam* eſſe medicam, monuimus ad 24, 173.

122 *Secando parcit* debebat dicere naturaliter: ſed etiam ipſa hypallage habet vim ſuam: ſecat dum parcit, & quia parcit: ne pars ſincera trahatur. Itaque cavet ne ſectio plus damni ferat, quam caveat.

125 *Aeacidæ* cognomen Pyrrho, quod per Achillem ab Aeaco deſcenderet, tributum etiam ab illo nobili oraculo, ſive verum fuerit, ſive confictum ab Ennio *Ajo te, Aeacide, Romanos vincere poſſe*, de quo Cic. Divin. 2 c. 56.

128 *Fuga Pyrrhi*, Pyrrhus in fugam actus a Curio: non laudatur Pyrrhus, quod fugit: ſic Jugurthæ vincula, quibus vinctus Jugurtha.

133 *Solo Stilichone:* cum ſolus eſſet Stilicho. Nam præpoſitionem paſſivi, *peractam*, ſimpliciter omitti, durius eſſe puto.

135 *Chaones & Moloſſi* ac *Dodonæi*, gentes

Quos Epirus alit, nec Dodonæa ſubegit
Agmina, fatidicam fruſtra jactantia quercum,
Primus fulmineum lento luctamine Pœnum
Compreſſit Fabius: campo poſt auſus aperto
Marcellus vinci docuit: ſed tertia virtus
Scipiadæ Latiis tandem deterruit oris.
Unus in hoc Stilicho diverſis artibus hoſte
Tres potuit ſuperare duces, fregitque furentem
Cunctando, vicitque manu, victumque relegat.
Atque hæc tanta brevi miſcentem incendia Pyrrhum
Suſtinuit tota mærens Oenotria luſtro,
Et prope ter ſenas Itali per graminis herbas
Maſſylus Pœno ſonipes vaſtante cucurrit,
Hannibalemque ſenem vix ad ſua reppulit arva
Vindex fera patrum poſt bellum nata juventus.
Hic celer effecit, bruma ne longior una
Eſſet hiems rerum, primis ſed meſſibus æſtas
Temperiem cælo pariter belloque referret.

Sed

138 cunctamine *MS. quod placet Heinſio: mihi* παντελόγον *videtur.* 143 complere *ante Heinſ.* ſuperare *etiam Baſ. marg.* frangit *Raphel. quod probat Barth.* & *mox* vincit *MSS. Favet, quod ſequitur* relegat. 145 miſc. prælia *MSS.* & *Baſ. marg.* 147 Latii per graminis herbas *conj. Barth.* Latii per gramina meſſes: & v. 160 bellorum *editio Amſtel. Cæſiorum laudata Heinſio.*

gentes Epiri ſub Pyrrhi regno, quos cur deteriores faciat Getis, non apparet, cum bellicoſa ſemper illa pars Græce loquentium habita ſit. De fatidica Dodonæ quercu ad 7, 118 it. ad 26, 19 dictum.

138 *Fulmineum Pœnum & lentum luctamen*, antitheton vehemens.

144 *Relegat*, removet & remotum tenet. vid. 21, 250. Ceterum concinna brevitate (verum a poëta tali quis exſpectet?) trium ſummorum ducum laudes hic in unum confert Stilichonem ſuum.

145 Pyrrhi bellum duravit annis quinque: Punicum ſecundum, annis XVIII. *Herbæ* ſignificant ver: quot *herbæ graminis*, tot ſunt anni. Ut *poſt aliquot ariſtas*, poſt aliquot annos. Sic *meſſes, hiemes* etc.

150 *Poſt bellum* primum Punicum finitum nata juventus intelligi debet, ſi non volumus nimis excedere modum poëtam. Pauci ſane eſſe potuerunt milites, XVI vel paullo amplius annorum in exercitu Romanorum, poſt cœptum bellum cum Hannibale nati, qui ultimis annis duobus in acie contra illum ſtare poſſent.

152 *Hiems rerum*, tempeſtas, procella, turbo. Pulchre comparavit Heinſius Ovid. Epiſt. 1, 5. 34 *Peſſima mutati coepit amoris hiems.*

Sed quid ego Hannibalem contra, Pyrrhumque tot annis
Certatum memorem? cum illis Spartacus omne
Per latus Italiæ ferro bacchatus & igni,
Conſulibusque palam toties congreſſus, inertes
Exuerit caſtris dominos, & ſtrage pudenda
Fuderit imbelles aquilas ſervilibus armis.
Nos terrorum expers, & luxu mollior ætas
Deficimus queruli, ſi bos abductus aratro,
Si libata ſeges. non hanc ergaſtula nobis
Immiſere manum, nec conjurantis arenæ
Turba fuit. qualem Stilicho dejecerit hoſtem,
Thraces & Aemonii poterunt Mœſique fateri.
Frigida ter decies nudatum frondibus Aemum
Tendit hiems veſtire gelu; totidemque ſolutis
Ver nivibus viridem monti reparavit amictum,
Ex quo jam patrios gens hæc oblita Triones,
Atque Iſtrum tranſvecta ſemel veſtigia fixit
Threïcio funeſta ſolo; ſeu fata vocabant,

Seu

155 vili *al.* 156 furto *al.* 167 totiesque *vulg. ante Heinſ.* 170 ſimul *MS.*

153 *Temperiem cælo referre* pulchre dictum: *bello*, non item. Nempe optimi etiam in jungendis ſ. conjugandis uni verbo communi diverſis nominibus ſ. notionibus non ſemper ſatis accurate verſantur, quæ res figuræ nomen accepit, Zeugma vocant. Poſſis tamen dicere, invito verum hic excidiſſe Poëtæ: non enim finem allatam bello Getico illa receſſione Alarici de limite Italico, ſed qualemcunque temperiem ſ. moderationem.

155 De *Spartaco* dictum ad 3, 255.

162 Servorum pars *ergaſtulis* apertis prodiit, pars de ludis gladiatoriis, ubi *arenæ* & ſpectaculis parabantur.

170 *Semel* hic eam vim habet quam primum, ut noſtrum *ein mahl*. Ut Liv. 33, 9 *Ter prodita patria --- ſemel, iterum, tertio.*

171 *Fata, & ira Deûm* ſibi opponuntur. Illa ſerie immutabili atque æterna cauſarum & eventuum continentur: hæc interponit ſe extra illum ordinem. Sic dicunt *fato* ſuo mori, qui ex lege & machinali ratione corporis morbo conſumuntur, quod quæſitæ manu ſua vel aliena morti opponitur. Hæc ipſa tamen *ira Deûm* quoque ordinem ſervat, & modum quendam agendi per cauſas naturaliter efficientes, hoc eſt *ſeriem meditatur ruinis*, quæ non vno impetu & ſine alia cauſa ingruunt, ſed velut e longinquo parantur, & per ſeriem quandam velut rotarum ſe contingentium & impellentium ad finem & effectum ſuum perveniunt.

Seu gravis ira Deum, ſeriem meditata ruinis.
Ex illo, quocumque vagos impegit Erinnys,
Grandinis aut morbi ritu per devia rerum
Præcipites per clauſa ruunt. nec contigit ullis
Amnibus, aut ſcopulis proprias defendere terras.
Nil Rhodope, nil vaſtus Athos, nil profuit Aemus
Odryſiis. facili contemtum Strymona ſaltu,
Et fruſtra rapidum damnant Aliacmona Beſſi.
Nubibus intactum Macedo miratur Olympum
More pererratum campi. Gemit irrita Tempe
Theſſalus, & domitis irriſam cautibus Oeten.
Sperchiuſque, & virginibus dilectus Enipeus,
Barbaricas lavere comas. Non objice Pindi
Servati Dryopes; nec nubifer Actia texit
Littora Leucates. ipſæ, qua durius olim

Reſtite-

173 exilio *al.* quoscunque *al.* 175 clauſa *vel* luſtra *al.* clauſa *MSS. Heinſ.* 177 Hebrus *Baſ. marg. & MSS. quid. Barth. & Heinſ.* 178 contemnunt *vulg.* 180 hinc tectum *vel* en tectum *conj. Heinſ.* 181 gerit *vulg.* gemit *etiam Baſ. marg.* 182 cotibus *al.* Oetam *al.* 186 quæ *vulg.*

179 *Aliacmon* ſ. Haliacmon Macedoniam propriam a Theſſalia dividit. *Beſſi* inter Thracas etiam bellicoſiores habiti. Sed qui hic totam Græciam deſcribit Poëta, & velut depingit in tabula, non ſatis huic loco intentus fuit, cum Beſſos multum ad Orientem & Septentrionem remotos facit damnantes Aliacmona, qui, rapidus licet, non potuerit arcere Getas. Atqui Hebrus ad quem colebant Beſſi, & Strymon erant ante ſuperandi, quam ad Aliacmona pervenirent ab Iſtro Getæ. Reliqua lector jucundius cum tabula Cellariana vel alia comparabit, quam longis adnotationibus hic declarata leget.

180 Montes *nubibus intactos* memorat Iſ. Voſſ. ad Melam 2, 2 p. 443.

181 *Irrita*, profanata, cum ſanctitas illa poëtica & fabularis non magis, quam montes & ſilvæ, tueri illa poſſet.

183 *Enipeus* Theſſaliæ fluvius ob aquarum & litorum amœnitatem frequentatus Nymphis etiam antiquis, in quibus Tyro Salmonei filia, cui ſub Enipei ſpecie obrepſit Neptunus. Fabula eſt Od. Λ, 234. Conf. Lucia. Dial. Mari. 13 T. 1 p. 320.

184 Ab *Objiciendo* primum *objex* dictus: deinde, ut in *adjicere, abjicere*, ceteris, *i* prius ejectum, quod hic jure ſuo, & exemplo optimorum, revocat Claudianus.

186 *Durius*, pertinacius, Metaphora ab his, quæ in via agenda per Alpes, in cuniculis item militaribus vel bellicis effodiendis, objiciuntur.

Reſtiterant Medis, primo conamine ruptæ
Thermopylæ. Vallata mari Scironia rupes,
Et duo continuo connectens æquore muro
Iſthmos, & anguſti patuerunt clauſtra Lechæi.
Nec tibi Parrhaſios licuit munire colonos
Frondoſis, Erymanthe, jugis, equitataque ſummi
Culmina Taygeti trepidæ vidiſtis Amyclæ.
Tandem ſupplicium cunctis pro montibus Alpes
Exegere Getis tot tandem flumina victor
Vindicat Eridanus. Docuit nunc exitus, alte
Fatorum ſecreta tegi. quiſquamne recluſis
Alpibus ulterius Latii fore credidit umbram?
Nonne velut capta rumor miſerabilis urbe
Trans freta, trans Gallos, Pyrenæumque cucurrit;
Famaque nigrantes ſuccincta pavoribus alas

Secum

190 templa *vulg.* Lycæi *vulg.* Lechæi *e conj. Scal. & MS.*
196 hunc *Cuj.* 200 fluvios *Cuj.*

189 Ut antiqui perfodere Iſthmum ad navigandi commoditatem conati ſunt aliquoties: ita recentioribus curæ fuit illas anguſtias, muris ab uno ſinu ad alterum, a portu Lechæo ad Cenchreenſem ductis, munire. Hoc factum ſub Valeriani imperio refert Zoſimus 1, 29 Πελοποννήσιοι τὸν Ἰσθμὸν διετείχιζον. Hoc muro freti ſuas urbes ſine mœnibus reliquere, quod male illis per Alarici expeditiones ceſſit, narrante eodem Zoſimo 5, 6, cum Gerontius, præfectus muro, transeundi copiam illi daret.

195 Alpes vindicarunt injuriam tot montibus factam, ulti ſunt contumeliam ab Alarico & Getis illatam celebratiſſimis jugis. Vellem ego in bonis libris eſſet *Getas*: & apud Ovid. Faſt. 4, 230 *Hunc pœnas exigit ira deæ.* Apud Elzevirios 1650 jam expreſſum hic erat *Getas*: ſed mutari juſſum in erratorum indiculo. Apud Ovidium *Hinc* legebatur ante Heinſium. Sed mihi videtur non minus recte dici *exigere aliquem pœnas*, quam *Otium rogare divos*, & horum ſimilia. Et de paſſivo non eſt dubium, ut in illo Metelli apud Gell. 15, 14 *Seſe pecunias maximas exactos eſſe.* Sed nolim contendere in tali re, contra tales auctores, acrius.

198 *Latii umbram* dictam puto cum alluſione ad etymon. Umbra eſt, ubi latere licet adverſus lucem & æſtum etc.

200 *Freta* intelligo oram maris inferioris, litora Liguriæ, Galliæ, Hiſpaniæ.

201 *Fama*, horribile monſtrum, ſubter alas ſibi habet ſuccinctos pavores, ut *Scyllam* Virgilius Ecl. 6, 75 facit *Candida ſuccinctam latrantibus inguina monſtris.* Non impediunt hi pavores ſuccincti volatum & celeritatem famæ, quia leves ſunt, aura & vento conſtant.

Secum cuncta trahens a Gadibus uſque Britannum
Terruit Oceanum, & noſtro procul axe remotam
Inſolito belli tremefecit murmure Thulen?
Mandemuſne Noti flabris, quoſcumque timores
Pertulimus, feſtæ doleant ne triſtibus aures?
An potius meminiſſe juvat, ſemperque viciſſim
Gaudia præmiſſi cumulant inopina dolores?
Vtque ſub occidua jactatis Pleiade nautis
Commendat placidum maris inclementia portum;
Sic mihi tunc major Stilicho, cum læta periclis
Metior, atque illi redeunt in corda tumultus.
Nonne videbantur, quamvis adamante rigentes,
Turribus invalidis fragiles procumbere muri,
Ferratæque Getis ultro ſe pandere portæ?
Nec vallum denſæque ſudes arcere volantes
Cornipedum ſaltus. Jam jam conſcendere puppes,
Sardo-

214 infragiles validis *MS.*

202 *Secum cuncta trahere* dicitur Fama, quatenus illam, & rumores, quamvis vanos, ſequitur vulgus h. e. major pars hominum.

204 *Thulen* ad Septentrionem locat, nihil definit, ut ſolet. Vid. ad 5, 240 it. 24, 157.

205 An oblivione deleamus metus, quos ſuſtinuimus? plane ut Horat. Car. 1, 26 pr. *Triſtitiam & metus Tradam protervis in mare Creticum Portare ventis.*

208 Huc pertinet illa Socratis fabella, de voluptate & dolore a Jove catena inter ſe devinctis, ut altera ſemper alterum, aut alteram alter trahant.

209 *Occidua Pleias* ſ. occaſus Vergiliarum in IX Calend. Nov. refertur a Colum. 2, 8. 2 cum jam tempeſtuoſum eſſe mare ſolet, & navigatio cum periculo. Vid. ad 8, 437. Uſus verbi *commendare* plane ſimilis, quin ſententia eadem Plin. Pan. 5, 8 *Sicut maris cælique tem-periem turbines tempeſtatesque commendant* etc.

211 *Læta periclis metiri*, magnitudinem felicitatis æſtimare perpendendis periculis, quibus illa nos liberavit: ut medici beneficium æſtimamus magnitudine morbi, gravitate vulneris, quibus nos exemit.

214 *Turres* ſunt partes robuſtiores & velut articuli mœnium: *his invalidis* reliquum murum, tanquam fragilem, procumbere, mirum non eſt.

216 *Vallum* poſuiſſe videtur pro ipſo aggere: qui vero proprie antiquis valli erant, rami arborum bifurci aut plurium ſurculorum defixi in aggerem & ſibi implexi, hos vel pro his *denſas ſudes* ponit noſter. Fungebantur autem vice eorum, quos recentior diſciplina *equos Friſios* vel *equites Hiſpanos* appellat.

Sardooſque habitare ſinus, & inhoſpita Cyrni
Saxa parant, vitamque freto ſpumante tueri.
Ipſa etiam diffiſa brevi Trinacria ponto,
Si rerum natura ſinat, diſcedere longe
Optet, & Jonium refugo laxare Peloro.
Fultaque deſpiciens auro laquearia dives,
Tutior Aeoliis mallet vixiſſe cavernis.
Jamque oneri creduntur opes, tandemque libido
Hæſit avaritiæ gravioribus obruta curis.
Utque eſt ingenioque loquax, & plurima fingi
Permittens credique timor; tum ſomnia vulgo
Narrari; tum monſtra Deum, monituſque ſiniſtri:
Quid meditentur aves, quid cum mortalibus æther
Fulmineo

218 Sardoniosque *vel* Sardonios *it.* Cypri *vulg. ante Claver.* 219 ſinas *MS. belle.* 220 diffuſa *vulg.* diſtincta *Cuj. & MSS. unde* diſtenta *conj. Heinſ.* diffiſſa *it.* divulſa *al.* diffiſa *Clav. miſc.* p 13, b. *& Heinſ. ex MSS.* 222 optat *omnes: ſed* optet *vol. Heinſ. & ratio.* 228 tunc omina *conj. Heinſ.*

220 Cum Italiy alii Sardiniam & Corſicam (hæc enim *Cyrne* eſt) inſulas petant, ut mari circumfluo tuti ſint: Siculi non ſatis fidunt anguſto freto, quod ſuam inſulam ab Italia ſeparat. Optat igitur Sicilia recedere ab illa longius, & *Jonium* mare, in anguſtias coactum in freto Siculo, dilatare recedente Peloro promontorio, nè nimirum ita facilis ex Italia trajectus ſit hoſtibus.

223 *Laquearia auro fulta* ſunt columnæ aureæ, ſuſtinentes laquearia ſplendide & ipſa culta. De verbo *fulta* vid. 28, 168. Hæc laquearia nunc deſpiciunt divites domini, nihil ſibi prodeſſe ſentiunt, & malint deliteſcere in cavernis vicinarum Inſularum Aeoliarum.

226 *Hæſit avaritia*, ſubſtitit, in quantum tali tempore nemo quisquam plus habere, augere poſſeſſiones ſuas cupit, ſed quæ habet, ea removere ſtudet ab oculis hoſtium, vel partis jactura conſervare reliqua.

227 Quid fieri in magno metu ac terrore ſoleat, exemplo eſt illud Veſuvii incendium, de quo Plin. Epiſt. 6, 20. 15 *Nec defuerunt, qui fictis mentitisque terroribus vera pericula augerent --- falſo, ſed credentibus narrabant --- plerique lymphati terrificis vaticinationibus & ſua & aliena mala ludificabantur.*

230 Calumniator fuerit, ſi quis accuſet poëtam, aut ſibi perſuaſiſſe, aut voluiſſe credere alios, *meditari*, conari aliquid aves, conſcias vel has vel æthera ſibi ſuarum eſſe ſignificationum: ſed ſunt iſtæ Metaphoræ, a qualibus nec vita communis ſemper abhorret. Quis non dicat cum Cicerone Verr. 2 c. 61 *Quid ergo ſibi illæ ſtatuæ equeſtres inauratæ volunt?* e. i. g. a.

Fulmineo velit igne loqui, quid carmine poſcat
Fatidico cuſtos Romani carbaſus ævi.
Territat aſſiduus Lunæ labor, atraque Phœbe
Noctibus æriſonas crebris ululata per urbes.
Nec credunt vetito fraudatam Sole ſororem
Telluris ſubeunte globo: ſed caſtra ſecutas
Barbara Theſſalidas patriis lunare venenis
Inceſtare jubar. Tunc anni ſigna prioris,
Et ſi quod fortaſſe quies neglexerit omen,
Addit cura novis: lapidoſos grandinis ictus,
Molitaſque examen apes, paſſimque crematas
Perbacchata domos nullis incendia cauſſis,
Et numquam cælo ſpectatum impune cometen,
Qui primum roſeo Phœbi prolatus ab ortu,
Qua micat aſtrigera ſenior cum conjuge Cepheus,
Inde Lycaonia paullatim expulſus ab Arcto
Crine

232 Caucaſus *Cuj.* 234 horriſonas *vulg.* Auſonias *Baſ. marg.* 239 neglexerat *al. etiam Heinſ. 2.* 246 Lycaoniam ad arcton *MSS.*

232 *Carbaſus* lintei genus Hiſpanici ſubtilis. Sed eodem nomine etiam vela navium ſignant, forte ſimili Aſteiſmo, quo tenuiſſimum quoddam byſſi genus *Baptiſtæ* nomine diſtinguunt. *Linteos libros* faſtorum h. e. in textili linteo ſcriptos, paſſim laudat Livius. Ex eo genere fuiſſe Sibyllinos, indicat etiam Symmachus 4, 34 *Monitus Cumanos lintea texta ſumſerunt. Cuſtos ævi Romani*, in quo fata imperii deſcripta ſunt per omnia ſæcula, ad quem aditur rebus dubiis.

233 Pulchre hic & ſuperſtitiones plebeculæ, & ſuam rerum cæleſtium peritiam, juxta ſe ponit.

236 Etiam hic loquitur ita, ut motum telluri tribuat. Vid. ad 1, 1.

238 Hæc & ſimilia prodigia conſideravimus ad 18, pr. it. 20, 40 ſq. Qui Prodigia Liviana vel ex Indice Drakenborchiano vel ex Julio Obſequente percurrerit, & hæc & plura alia inveniet.

243 *Cometen non impune ſpectari* dicit etiam, de vulgi nempe ſententia, noſter 33, 234 h. e. ſemper conſequi ſolere mala quædam publica. Ceterum quem hic deſcribit cometen, hunc in Catalogo chronologico, ſed ſola hac auctoritate refert Lubieniecius ad A. 405. Via quam dat cometæ, probabilis eſt, & ex obſervatione ſumtam haud dubito, quod comparatio viarum oſtendit, quæ a duobus inde ſæculis in literas relatæ ſunt.

247 *Geticum plauſtrum* appellat hoc ſidus cum alluſione ad bellum Geticum, & cladem gentis: ideo etiam fœdandi verbo utitur. Nempe *Lycaoniam urſam* puto eam, quæ minor vulgo vocatur: *plauſtrum* (noſtris *der Heerwagen*) urſa major.

Crine vago Getici fœdavit ſidera plauſtri,
Donec in exiguum moriens vaneſceret ignem.
Sed gravius mentes cæſorum oſtenta luporum
Horrificant. duo quippe lupi ſub principis ora,
Dum campis exercet equos, violenter adorti
Agmen, & excepti telis, immane relatu
Prodigium, miramque notam duxere futuri.
Nam ſimul humano geminas de corpore palmas
Vtraque perfoſſis emiſit bellua caſtis:
Illo læva tremens, hoc dextera, ventre latebant
Intentis ambæ digitis, & ſanguine vivo.
Scrutari ſi vera velis, fera nuntia Martis
Ora ſub Auguſti caſurum prodidit hoſtem.
Vtque manus utero virides patuere retecto,

250 terrificant *MS.* 253 veramque *conj. Heinſ.* 256 latebat *Raphel.* 259 orbe *vulg.* ore *al.* ora *a Claverio.* 260 reſecto *conj. Heinſ.* recepto *MS.*

248 Pulchre pingit hic verſus phænomenon cometæ diſcedentis, & ſubducentis ſe conſpectui.

250 *Principem* pro more bonorum temporum intelligit Imperatorem Honorium. Utrum porro ſimpliciter finxerit hoc, & ex ſuo ingenio pepererit prodigium, an narratum ab aliis acceperit, non temere dixerim.

251 *Violenter adorti* quod ſunt agmen lupi, in hoc jam eſt prodigium, cum non niſi dura hieme, & in ſumma omnium inopia, invadere homines rapax beſtia ſoleat. Lupi in urbe viſi aliquoties in prodigiis apud Julium Obſequentem.

253 *Notam duxere* translate dictum videtur, a ſcribentibus pingentibusve. Lupi ſignificationem dederunt non minus claram & apertam, quam ſi carmine fatidico nobis ceciniſſent periculum imperii. Ceterum vero ſimile eſt, aliquid accidiſſe, quod quamcunque ſimilitudinem haberet hujus narrationis.

254 *Palmæ humano de corpore* nihil aliud ſunt quam humanæ manus emergentes e vulneribus, quibus perfoſſæ erant beſtiæ, dextra e latere unius, ex latere alterius ſiniſtra.

258 Mutato genere & numero *fera nuncia* dicitur, qui paullo ante *duo* erant *lupi*, ut facilius lector cogitet Lupam Romuli. Jam Poëta primo ipſe interpretatur prodigium, deinde quomodo formido hominum illud interpretata ſit, oſtendit.

260 *Virides manus* ſunt vivarum, ſimiles ſucco ſuo plenæ, Metaphora ſolemni. *Uterum* de omni ventre dici poëtis, & ipſum frequens eſt. Interpretatio oſtenti ſecundum poëtam hæc erat: ruptis jam lateribus luporum in conſpectum veniunt manus: ſic perruptis jam Alpibus, quibus Lupa Martia ſe texerat, prodeunt manus, a quibus conficiuntur Barbari.

Romula poſt ruptas ſic virtus emicat Alpes.
Sed malus interpres rerum metus omne trahebat
Augurium pejore via, truncataque membra,
Nutricemque lupam, Romæ regnoque minari.
Tunc reputant annos, interceptoque volatu
Vulturis, incidunt properatis ſæcula metis.
Solus erat Stilicho, qui deſperantibus augur
Sponderet meliora manu: dubiæque ſalutis
Dux idem vateſque fuit. „*Durate parumper,*
Inquit, *& excuſſis muliebribus ore querelis*
Fatorum toleremus onus. Nil nautica proſunt
Turbatæ lamenta rati: nec ſegnibus undæ
Planctibus, aut vanis miteſcunt flamina votis.

Nunc

264 Obſervari hic poteſt ellipſis verbi *dicit* vel ſimilis, quæ hiſtoricis quoque in uſu eſt.

265 Meticuloſi homines ita rationes ſubducunt. Duodecim vultures, qui omen regni fecerunt Romulo, Liv. 1, 7, tot ſæcula imperio portenderunt: nunc ſæculum agitur duodecimum, dicebant; ſed truncabant illa ſæcula, metas ac terminos illorum (ſi etiam demus reſpondere vulturum numerum numero ſæculorum) incidebant, neque enim niſi ex dimidia parte tum finitum erat ſæculum Romæ XII. Comparatur enim cum A. V. 1152, Chriſtianorum annus 400, circa quem iſta gerebantur. Si Sibyllina ſæcula annorum CX ponas, quod in hac re neceſſe eſt, alii plus centum anni decedent. Hoc, puto, ſibi voluit Claudianus, cum interceptum volatum vulturis minimum unius, cum *inciſa ſæcula properatis metis*, ait. Neque vero hic ſimpliciter fingit poëta. Audiamus Cenſorinum (qui libellum ſuum ſcripſit Anto. Pio & Pontiano Proculo COSS. V. C. 990. vid. Reland) de die nat. c. 17 extr. *Quot ſæcula urbi Romæ debeantur, dicere meum non eſt: ſed quid apud Varronem legerim, non tacebo, qui libro Antiquitatum duodeviceſimo ait, fuiſſe Vettium Romæ in augurio non ignobilem --- eum ſe audiſſe dicentem: ſi ita eſſet, ut traderent hiſtorici de Romuli urbis condendæ auguriis, ac duodecim vulturibus; quoniam* CXX *annos incolumis præteriiſſet populus Romanus, ad mille & ducentos perventurum.* Hæc non incognita fuerunt doctiſſimo poëtæ, ut neque fugerunt Apollinarem Sidonium, qui attingit Car. in Avitum 7, 55 & 358. Alia quæſtio eſt, an verus fuerit augur Vettius? quod putat Barthius, nixus verbis Marellini Comitis in Chronico Aetio & Studio COSS. (A. V. 1206. C. 455 ſecundum Rel.) *Aëtius patricius --- trucidatur, atque cum ipſo Heſperium cecidit regnum, nec hactenus valuit relevari.*

268 *Manu*, non voce tantum *ſpondebat meliora* Stilicho. Fidem promiſſis viri & conſolationi addebat manus illa victrix, fortitudine non minus quam fide præſtans

Nunc inſtare manu, toto nunc robore niti
Communi pro luce decet; ſuccurrere velis,
Exhaurire fretum, varios aptare rudentes,
Omnibus & docti juſſis parere magiſtri.
Non, ſi perfidia nacti penetrabile tempus
Irrupere Getæ, noſtras dum Rhætia vires
Occupat, atque alio deſudant Marte cohortes,
Iccirco ſpes omnis abit. Mirabile poſſet
Eſſe mihi, ſi fraude nova, vel calle reperto
Barbarus ignotas invaderet inſcius Alpes.
Nunc vero geminis clades repetita tyrannis
Famoſum vulgavit iter. nec nota fefellit
Semita præſtructum bellis civilibus hoſtem.
Per ſolitas venere vias, adituſque ſequendos
Barbarico Romana dedit diſcordia bello.
Sed nec præteritis hæc res incognita ſæclis.
Sæpe laceſſitam, ſed non impune, fatemur
Auſoniam. hæc Senonum reſtinxit ſanguine flammas.
Hæc & Teutonico quondam patefacta furori
Colla catenati vidit ſqualentia Cimbri.

D d 3 *Vile*

274 pectore *vulg.* *Sic &* Sil. II, 492 Adductis percuſſa ad pectora tonſis.
275 ſuccedere *MS.* 278 non niſi *vulg.* non ſi *etiam Baſ. marg.*
287 ſecandos *it.* ſecundos *al.*

276 *Exhaurire fretum*, ſi qua rimam & vitium fecerit navis, qua aqua irruat, exhaurire illam, obſtruere lacunam.

277 *Docti* apud poëtas præſertim, non ſoli, qui literas tractant, ſed quicunque artem quamcunque, vel præceptis vel uſu, conſecuti ſunt.

278 *Penetrabile tempus* activa ſignificatione ut *penetrabile telum*, quod irrumpit & penetrat: ipſa temporis opportunitas inſtar teli eſt, certe celeritatem & vim adeo addit armis.

284 Eugenius & Maximus *tyranni* inter Alpes oppreſſi. Itaque bellis illis civilibus hoſtis *præſtructus*, q. d. præ inſtructus, edoctus & munitus eſt.

289 Pergit oſtendere, Alpes olim quoque tranſitas ab Romanorum hoſtibus, ſed nempe magno hoſtium infortunio, exitu certe triſti.

291 *Hæc Auſonia* ſ. Italia reſtinxit flammas, a Gallis Senonibus excitatas, illorum ſanguine.

293 Pertinet ad bellum Cimbricum a Mario confectum ingenti Teuto-

Vile decus, quod non erexit prævius horror.
Ingentes geminant discrimina magna triumphos.
Quid turpes jam mente fugas, quid Gallica rura
Respicis, Latioque libet post terga relicto
Longinquum profugis Ararin præcingere castris?
Scilicet Arctois concessa gentibus Vrbe
Considet regnum Rhodano, capitique superstes
Truncus erit. Vestros stimulant si pignora sensus,
Me quoque non impar naturæ cura remordet.
Nec ferro sic corda rigent, ut nosse recusem,
Quam sanctum soceri nomen, quam dulce mariti,
Quantus prolis amor. sed numquam oblita decoris
Obscenam latebram pietas ignava requiret.
Nec vobis fortis monitor, mihi cautior uni.
Hic conjux, hic progenies, hic carior omni
Luce gener. pars nulla mei subducta procellæ.
Accipe tu nostræ, tellus Oenotria, mentis
Vincula communes tecum subeuntia casus,
Exiguamque moram muris impende tuendis,
Dum redeo lectum referens in classica robur.

His

295 generant *MS.* 300 captique *Vien. Baf. Plant. Sed* capitique *jam Vic.* 302 causa *Baf. marg.* 303 aut nosse recusant *vulg.* 311 pignora *vulg. nec damno. Sed* Vincula *jam Vien. & Baf. marg. Heinf.*

Teutonum & Cimbrorum strage. *Colla catenata* noster memorat etiam 22, 374.

294 *Vile decus*, gloria tenuis, quam non extollit & auget periculum, quo liberavit victor laborantes. *Geminare* hic est in alterum tantum augere.

298 *Profuga castra*, quæ post fugam transferuntur a media Italia ad ripas Rhodani: *præcingere*, velut tegere & vestire, eaque re munire ac tueri.

302 *Naturæ cura*, quam dictat natura, naturalis: vt *nosse recusem*, non sentiam, vel reprimam illum sensum naturæ, ac pietatem in meos.

306 *Obscena latebra* turpis & pudenda: *pietas ignava*, amor qui non audet pugnare & facere ac pati omnia pro his qui amantur.

308 *Omni luce* h. e. vita *carior gener* Honorius, qui non sit gener tantum, sed idem terrarum dominus & Imperator. *Partes sui* vocat necessarios, quos jam indicavit.

313 *Classica* posuit Metonymia quadam, ut intelligamus exercitum. Neque enim *classicum canitur*, vel *canit* adeo, nisi ubi collecta est *classis*, hoc est exercitus.

His dictis pavidi firmavit inertia vulgi
Pectora, migrantisque fugam compescuit aulæ.
Ausaque tum primum tenebris emergere pulsis
Hesperia, ut secum junxisse pericula vidit
Augustum, tantoque sui stetit obside fati.
Protinus, umbrosa vestit qua litus oliva
Larius, & dulci mentitur Nerea fluctu,
Parva puppe lacum prætervolat. ocius inde
Scandit inaccessos brumali sidere montes,
Nil hiemis cælive memor. Sic ille relinquens
Jejunos antro catulos immanior exit
Hiberna sub nocte leo, tacitusque per altas
Incedit furiale nives. stant colla pruinis
Aspera. flaventes adstringit stiria setas.
Nec meminit leti, nimbosve aut frigora curat,
Dum natis alimenta paret. Sublimis in Arcton
Prominet Hercyniæ confinis Rhætia silvæ:
Quæ se Danubii jactat Rhenique parentem,
Vtraque Romuleo prætendens flumina regno.
Primo fonte breves, alto mox gurgite regnant,
Et fluvios cogunt unda coëunte minores

320 fluxu *MS.*

318 *Stetit* firma, non amplius vel fugit vel plane jacuit.

320 *Larius* lacus in Transpadana Gallia, hodie Comensis (*Lago di Como*) Plinii junioris villis & possessionibus & laudibus nobilis, qui illum suum vocare solet, v. g. 2,8.1. Hic *Nerea* h. e. mare imitatur *fluctu*, undis, sed *dulci*; itaque *mentitur*, simulat, non est.

326 *Furiale* pro adverbio ponitur, ut *horrendum clamat*: furit autem Leo propter famem suam & catulorum.

329 *Arcton* septentrionesque videtur hic & alias poëta noster valde extendere, nempe Alexandrinus ipse, qui frigus & hiemes metuit etiam, ubi aliis moderata satis temperies cæli videtur. Sic *Rhætiam* valde extendit, cum non Hercyniæ modo silvæ facit conterminam, sed eandem & Rheni & Danubii patriam. Scilicet fines regionum & nominum barbarorum, ut illis videbantur, regere difficile est. Et fontes duorum fluminum, quæ tum naturales fines erant imperii Ro. non longis a se intervallis distare, constat.

332 Etiam hoc audaciusculum *Rhætia --- prætendit flumina regno Romuleo*: i. fundit duo flumina quæ utraque imperii Romani fines (quibusdam certe partibus & temporibus diversis) constituunt.

In nomen tranſire ſuum. te Cimbrica Tethys
Diviſum bifido conſumit, Rhene, meatu.
Thracia quinque vadis Iſtrum vorat Amphitrite.
Ambo habiles remis, ambo glacialia ſecti
Terga rotis; ambo Boreæ Martique ſodales.
Sed latus, Heſperiæ quo Rhætia jungitur oræ,
Præruptis ferit aſtra jugis, panditque terendam
Vix æſtate viam. multi ceu Gorgone viſa
Obriguere gelu. multos hauſere profundæ
Vaſta mole nives, cumque ipſis ſæpe juvencis
Naufraga candenti merguntur plauſtra barathro.
Interdum glacie ſubitam labente ruinam

Mons

339 Martisque *probat Bentl. ad Horat. car. 1, 25. 19.* 341 tremendam *ante Heinſ. qui dedit ex Delrii conj.* terendam, *ipſe conj.* premendam. *MS.* tenendam.

335 *Cimbrica Tethys* & ipſa late valde extenſa eſt: forte magis id conveniat Albi aut ab altera parte Viadro. Interea tamen cauſam habuit poëta *Cimbricum* mare, Tethyn *Cimbricam* vocandi partem Oceani Germanici, in quam procurrit Cherſonneſus Cimbrica: licet enim remotior ſit, nulla tamen vel Inſula major vel Peninſula intercedit. De oſtiis Rheni totis libris diſputatum. Conf. ad 21, 222.

337 Etiam Iſtri oſtia diuerſimode a Geographis numerantur. *Quinque* facit cum noſtro Dionyſius Periegetes v. 301. Plinius 4, 12 *ſex*: Strabo 7 p. 212 *ſeptem*.

339 Videtur poëta in mente habuiſſe Horatii illum Car. 1, 25 extr. *ſodalem hiemis* ſive *Hebrus* eſt, ſive *Eurus*. Et, ne quid diſſimulem, *Hebro* magis videtur favere, neque tamen rem plane conficere. Hoc apparet, Danubium atque Rhenum fluvios dici *ſodales Boreæ*: ſi preſſo pede ſecutus eſt Horatium noſter, legit apud illum, *Hebrum* fluvium *ſodalem Hiemis*. Sed tamen nihil impedit, quo minus, ſervata analogia, etiam *Eurum* ventum dixerit ſodalem hiemis Horatius, quemadmodum Car. 4, 12. 1 *Veris comites animas Thracias*. Feliciter quidem imitatus eſt noſter, quoquo modo legerit, Horatium.

341 *Ferit aſtra* non audacius dictum illo Hor. Car. 1, 1 extr. *Sublimi feriam ſidera vertice*: ſed hic magis etiam proprie h. e. optice. Vid. v. 470.

342 Conſpectus capitis Meduſæ mutavit in ſaxa adſpicientes, hic ſaxorum inſtar durantur homines frigore.

345 *Naufraga* illud viſionem nobis offert horribilem quaſi maris glutientis & mergentis fracta navi onera illius omnia: *barathrum*, alias nigrum ab ipſa profunditate, hic *candet* a nive.

346 Tales ruinæ nec hodie inſolentes. Vel recentiſſima hujus ipſius anni hiſtoria exemplum habet villæ totius a mole nivium, volumine ſuo & vertigine in immenſum aucta, oppreſſæ. Quod *juvencos* ad *plauſtra* memorat, pertinet ad conſuetum ea tempeſtate curſum

Mons dedit, & tepidis fundamina ſubruit Auſtris
Pendenti maleſida ſolo. Per talia tendit
Frigoribus mediis Stilicho loca. Nulla Lyæi
Pocula; rara Ceres: raptos contentus in armis
Delibaſſe cibos, madidoque oneratus amictu
Algentem pulſabat equum. Nec mollia feſſo
Strata dedere torum. tenebris ſi cæca repreſſit
Nox iter, aut ſpelæa ſubit metuenda ferarum,
Aut paſtorali jacuit ſub culmine fultus
Cervicem clipeo. Stat pallidus hoſpite magno
Paſtor, & ignoto præclarum nomine vultum
Ruſtica ſordenti genitrix oſtendit alumno.
Illa ſub horrendis prædura cubilia ſilvis,
Illi ſub nivibus ſomni, curæque laborque
Pervigil, hanc requiem terris, hæc otia rebus
Inſperata dabant. illæ tibi, Roma, ſalutem
Alpinæ peperere caſæ. Jam fœdera gentes
Exuerant, Latiique audita clade feroces

347 trepidis-aſtris *Vic. Vien. Baſ. marg.* tepidis-aſtris *al.* auſtris *MSS.*
350 cruda *it.* nulla *MS.* 355 tegmine *MS.*
360 illis *vulg.*

curſum clabularium, qui bubus conſtabat. Vid. Iac. Gothofr. ad l. 22 C. Th. de Curſu publ.

347 Philoſophatur more ſuo. Teporem aëris ab auſtris juvat naturalis calor terræ; molleſcunt igitur fundamenta h. e. ima ſtrata nivium humo proxima, & in loco declivi hærens adhuc, glacie nempe durata & firmata, moles, jam pondere ſuo victa cedit ac ruit. *Pendens ſolum* hic intelligo nimis accline, in quo moles paulo amplior ſedere non facile poſſit.

350 *Raptos* cibos non opus eſt intelligere vi ablatos incolis: quamquam illos forte hiſtoria ipſa non excludit ſimpliciter. Sed hoc indicat poëta, celeriter, & in ipſo itinere, raptimque adeo captos eſſe cibos. *Delibatos* ad moderationem & parſimoniam pertinet.

358 *Sordens* hic *alumnus* elegantiam addit & lucem picturæ poëticæ, ut Hor. Car. 2, 18. 28 *ſordidi nati.*

359 Pulchrum antitheton, quo oſtenditur, quæ dura & moleſta ſuſceperit Stilicho, illa omnia profuiſſe Romanis civibus.

364 *Latii* cladem intelligo non proprie, verum latiori ſignificatione de toto imperio Romano. Ceterum accuſat *Vindelicos & Noricos*, novarum rerum exſpectatione ſuſpenſos fuiſſe, & excutere jugum Romanorum paratos.

Vindelicos ſaltus, & Norica rura tenebant.
Ac veluti famuli, mendax quos mortis herilis
Nuntius in luxum falſo rumore reſolvit,
Dum marcent epulis, atque inter vina choroſque
Perſultat vacuis effrena licentia tectis;
Si reducem dominum fors improviſa revexit,
Hærent attoniti, libertatemque peroſus
Conſcia ſervilis præcordia concutit horror:
Sic ducis adſpectu cuncti ſtupuere rebelles,
Inque uno princeps Latiumque & tota refulſit
Roma viro. Frons læta parum, non triſtior æquo,
Non dejecta malis, miſta ſed nobilis ira:
Qualis in Herculeo, quoties infanda jubebat
Euryſtheus, fuit ore dolor: vel qualis in atram
Sollicitus nubem mæſto Jove cogitur æther.
„*Tantane vos*, inquit, *Getici fiducia belli*
Erigit? hinc animo fruſtra tumuiſtis inani?
Non ita Romanum fati violentia nomen
Opprimit; ut veſtros nequeat punire tumultus
Parte ſui. (*Neu vos longe ſermone petito*
Demorer

365 caſtra *MSS.* *inde* clauſtra *conj. Heinſ.* 370 ſors *vulg.* fors *ex MSS. Heinſ.* revixit *Vien.* revinxit *Baſ.* reduxit *Plant. marg.* *Sed* revexit *jam Vic.* 378 color *MSS.* iniquam *MS.* 384 pace *Vien. marg.*

371 *Libertatem peroſus horror*, verbo, ſervilis metus, qui cum libertate conſiſtere non poteſt. Ubi libertas eſt, ea expellit metum, inimicum ſuum, quicum habitare in uno pectore nequit.

372 *Conſcia pectora* abſolute, ut intelligatur quidquid metum incutere vel augere poteſt: *conſcia* promeritorum, iræ domini, exemplorum ab illo editorum etc.

364 *Latium*, imperium Ro. ut v. 364.

378 *Euryſtheus* Mycenarum rex, cui fato quodam, & arte Junonis, ſervire coactus Hercules, celebratos illos labores ſ. ἀγῶνας ab illo imperatos peregit.

380 Vindelicos & Noricos alloquitur hic Stilicho, defectionem ſpectantes, de quibus a v. 363.

384 Si mihi recitaſſet ante quam ederet hos verſus Poëta, rogaſſem, ut hanc parentheſin, *Neu vos --Demorer*, omitteret, quæ neſcio quid indecens mihi, & languidum, & parum efficax habere videtur. Non tantum nihil decedat huic loco, ſed vigor accedat & nervorum aliquid, ſi hæc verba ſimpliciter omittantur.

385 *Demorer*) *exemplum veteris cognoſcite facti.*
Cum ferus Auſonias perfringeret Hannibal arces,
Et Trebiam ſævo geminaſſent funere Cannæ,
Nequidquam Emathium pepulit ſpes vana Philippum,
Ut velut a[illegible]ictos ferro tentaret inerti.
390 *Romanos commovit atrox injuria Patres,*
Vrgerent majora licet: graviterque tulere
Urbibus inter ſe claris de culmine rerum
Congreſſis, aliquid gentes audere minores.
Nec pœnam differre placet; ſed bella gerenti
395 *Punica Lævino Regis quoque prælia mandant.*
Paruit imperiis Conſul; fuſuſque Philippus
(Vilia dum gravibus populis interſerit arma,)
Prætereunte manu, didicit non eſſe potentum
Tentandas, mediis quamvis in luctibus, iras.,,
400 Hoc monitu pariter naſcentia bella repreſſit,
Et bello quæſivit opes, legitque precantes
Auxilio, menſus numerum, qui congruus eſſet,
Nec gravis Italiæ, formidanduſve regenti.
Nec minus accepto noſtræ rumore cohortes
405 (Sic ducis urget amor) properantibus undique ſignis
Conve-

385 fati *Vic. Vien. Baſ. marg.* *Recte, puto.* 387 ſocio *Baſ. marg. MSS.* *quod placet.*

387 *Trebia & Cannæ*, duo quaſi ſepulcra populi Ro. *Emathius*, Macedonicus a populo ſ. parte gentis.

396 Valerius *Lævinus* cum bellum contra Philippum geſſit, non *Conſul* fuit, ſed pro Prætore, quem etiam *Prætorem* recte dixit Livius. Vid. Viri docti ad Florum 2, 7 ubi eſt hiſtoriæ ſumma.

397 *Vilia* Philippi *arma*, cauſæ ſerviens vocat, quæ contemni nullo modo merebantur. Equidem ſi mei res arbitrii fuiſſet, feciſſem, quod modo dicebam ad 384.

400 Mirum fuerit, ſi hac vel ſimili oratione tantum profecit Stilicho, ut qui defectionem paullo ante vel rebellionem minabantur Vindelici atque Norici, ii non tantum quieſcerent, ſed in caſtris etiam Romanis militarent. Videtur poëtam cum veritate ipſe etiam ſpiritus defeciſſe.

402 *Menſus numerum*, rariuſcula, ut videtur, forma, ſed recti certe ſenſus: menſura ſine numero intelligi vix poteſt, certe commodius quam numeris expediri nequit.

Conveniunt; viſoque animi Stilichone recepti,
Singultus varios lacrymoſaque gaudia miſcent.
Sic armenta boum, quæ vaſtis turbida ſilvis
Spargit hiems, cantus ac ſibila nota magiſtri
Certatim repetunt, & avitæ paſcua vallis;
Inque vicem ſe voce rogant, gaudentque fideles
Reddere mugitus; & qua ſonus attigit aurem,
Rara per obſcuras apparent cornua frondes.
Accurrit vicina manus, quam Rhætia nuper
Vindelicis auctam ſpoliis defenſa probavit.
Venit & extremis legio prætenta Britannis,
Quæ Scoto dat frena truci, ferroque notatas
Perlegit exſangues Picto moriente figuras.
Agmina quinetiam flavis objecta Sicambris,
Quæque domant Cattos, immanſuetoſque Cheruſcos,

Huc

406 animis -- receptis *malit Heinſ.* 410 vel notæ paſc. *ante Heinſ.* *qui* avitæ *tuetur libris & exemplis.* pabula *MS.* 411 regunt *omnes editi.* rogant *MSS. quod placet etiam Delr. & Scal.* 413 vara *conj. Heinſ. pulchre.* 415 Vandalicis *MSS. Vicent. Cuj. Alludit* Vindalicis *Vien.* 418 exanimes *ante Claver.* exſangues *jam Baſ. marg.* 420 Cinthos *Vic.* Scinthos *Vien. Baſ.* Scinthios *Junt.* Citos *Ald.* Cattos *MSS. meliores, Claver. &c.* *Sic* Cherucas *Vic.*

411 Audito poſt tempeſtatem, quæ gregem diſperſit, paſtoris ſibilo vel cantu, mugitu reſpondent boues quædam, his aliæ; eaque ratione brevi intervallo grex colligitur. Pulchra Metaphora *rogant ſe invicem, & reddunt fideles mugitus.*

414 Debent Vindelici impetum feciſſe in Rhætiam: hos qui ſuperatos ſpoliaverant, nunc accurrunt ad Italiam liberandam a Getis.

416 *Prætendere, prætentus, prætentura* indicant milites paullo ultra limitem Romanum, velut extra mœnia ſive caſtra, tuendi cauſa collocatos, *Excubias* mox pulchre vocat v. 422 & *præſidia* v. 426. *Tendere*, eſt tendendis pellibus vel ſagis parare ſibi, vel parata habere qualiacunque tecta, quæ inde *tentoria* vocantur. Eſt ergo *legio Britannis prætenta*, quæ limitem meridionalis Britanniæ ſ. proprie dictæ, contra ſeptentrionales Britannos, qui hodie etiam *Scoti* ſunt, tuetur. Hæc univerſim ex notitia Imperii & hiſtoricis, de Britannia autem ex Horsleji Britannia Romana illuſtrari, ſi quis hoc agat, poſſunt. De *Pictis* vid. ad 7, 54. De *Sicambris*, (*Sygambris*) ad 8, 446 it. 24, 18.

418 *Perlegit*, cum admiratione animadvertit, qui morientem ex vulneribus Pictum, ſtigmatis inſignem conſiderat, illa ſtigmata quoque colorem mutare deſerente ſanguine.

Huc omnes vertere minas, tutumque remotis
Excubiis Rhenum ſolo terrore relinquunt.
Ullane poſteritas credet? Germania quondam
Illa ferox populis, quæ vix inſtantibus olim
Principibus tota poterat cum mole teneri,
Tam ſeſe placidam præſtat Stilichonis habenis,
Ut nec præſidiis nudato limite tentet
Expoſitum calcare ſolum, nec tranſeat amnem,
Incuſtoditam metuens attingere ripam.
Celſior o cunctis, unique æquande Camillo!
Veſtris namque armis Alarici fracta quievit
Ac Brenni rabies. confuſis rebus uterque
Divinam tribuiſtis opem: ſed tardior ille
Jam captæ vindex patriæ; tu ſoſpitis ultor.
O quantum mutata tuo fortuna regreſſu!
Ut ſeſe pariter diffudit in omnia regni
Membra vigor, vivuſque redit color urbibus ægris!
Creditur Herculeis lucem renovaſſe lacertis
Femina dilecti fatis impenſa mariti.
Et juvenem ſpretæ laniatum fraude novercæ

Non

423 credat *ex MS. Heinſ. Sed* credet *omnes.* 424 populi *MS.*
426 jam *ante Barth.* præbet *vulg.* 427 principe *Baſ. marg.*
437 calor *vulg.* 438 reparaſſe *MS.*

425 Verba *tota cum mole* jungenda ſunt participio *inſtantibus*. Inſtabant barbaris, urgebant illos Principes Romani cum toto exercitu, & vel ſic vix *tenere* illos & coërcere poterant.

434 *Ultor* igitur hic eſt, qui intentatam modo, nondum illatam, injuriam repulit.

437 *Color* poëticum magis eſt quam *calor*: hic pars, ille ſignum ſanitatis.

439 Tangit fabulam Alceſtis, quæ vicariam pro viro ſuo Admeto Theſſaliæ rege mortem ſubire auſa, ab Hercule revocata in vitam eſt. Argumentum fabulæ cognominis Euripidæ. Reſpicit noſter etiam 29, 12. Amare, ut ſolet Juvenal. 6, 653 *Spectant, ſubeuntem fata mariti Alceſtim, &, ſimilis ſi permutatio detur, Morte viri cupient animam ſervare catellæ.*

440 *Juvenem* Hippolytum, Theſei filium, cum inceſtum Phædræ novercæ amorem repudiaſſet, hæc apud maritum calumniata perfecit, ut precibus Theſei monſtrum marinum & furorem obiiceret Neptunus illius equis, a quibus laceratus, ſed Dianæ venatricis (hæc eſt *Latonia*) ſtudiis in vitam eſt revocatus.

Non ſine Circæis Latonia reddidit herbis.
Cretaque, ſi verax narratur fabula, vidit
Minoum rupto puerum prodire ſepulcro:
Quem ſenior vates avium clangore repertum
Gramine reſtituit; miræ nam munere ſortis
Dulcia mella necem, vitam dedit horridus anguis.
At tuus adventus non unum corpus ab umbris,
Sed tot communi populos ſub morte jacentes,
Totaque Tartareis e faucibus oppida traxit.
Ipſo Roma die, nec adhuc oſtenditur auctor,
Perſonuit veniſſe ducem, lætiſque Quirites
Vocibus auſpicium certi plauſere triumphi,
Muniti Stilichone ſuo. Quis gaudia vero
Principis, amplexus alacris quis differat aulæ?
Pulveris ambiguam nubem ſpeculamur ab altis
Turribus, incerti, ſocios apportet an hoſtes
Ille globus: mentem ſuſpenſa ſilentia librant,
Donec

442 vera *Baſ. Junt. Ald.* 453 veri *Ald. & MSS.* veros *al.*

revocatus. Suaviter narrat ſummam rei Virg. Aen. 7, 765 ſqq. Exſtant Euripidis & Senecæ hoc nomine & argumento tragœdiæ. *Cirtææ herbæ* ſunt magicæ, quibus præeſt Diana, quatenus Hecate eſt. Itaque non opus habuit Aeſculapio quem Virgilius l. c. ob reſuſcitatum Hippolytum a Jove fulminatum, cum aliis refert.

442 Monſtroſa fabula, quæ tangitur ab Ovidio Ibide 559; narratur, ſed cum diverſitate quadam ab Apollodor. Bibl. 3, 3. 1 & Hygino f. 136. Nos breviter ſupplebimus abruptam brevitatem noſtri poëtæ. *Minous puer* eſt Glaucus Minois, Cretæ regis, filius, hic in mellis dolium nemine conſcio delapſus perierat. Reperit illum augurio Polyidus vates, & a dracone edoctus herbam potentem, vitam ei reſtituit.

450 Ipſo die, quo Stilicho ad Alpes vicit, Romæ increbuit fama victoriae. Imitatur, puto, poëta vetera ejus genus miracula, de victoria qua Sybaris eſt deleta, ad Sagram, Cimbrica, Macedonica, quæ collegi olim in Chreſtom. Pliniana ad n. 12 no. 28 ſqq.

454 *Differat* poſitum pro *ediſſerat*, enarret.

455 De pulveris fallaci indicio v. ad 22, 398.

457 Ad *ſuſpenſa* appoſite admodum convenit *librant*, ut mens concipiat imaginem bilancis nondum conſiſtentis, ſed alternis momentis huc illuc nutantis. Hic verſus, & aliquot ſequentes divini ſunt, & optimis Virgilianis nihilo inferiores.

Donec pulvereo ſub turbine ſideris inſtar
Emicuit Stilichonis apex, & cognita fulſit
Canities. Gaviſa repens per mœnia clamor
Tollitur, Ipſe venit! Portas ſecura per omnes
Turba ſalutatis effunditur obvia ſignis.
Non jam delectus miſeri, nec falce per agros
Depoſita jaculum vibrans ignobile meſſor.
Nec tentat clipeum projectis ſumere raſtris
Bellona ridente Ceres, humiliſque novorum
Seditio clamoſa ducum: ſed vera juventus,
Verus ductor adeſt, & vivida Martis imago.
Proſpera ſed quantum noſtræ ſpes addita menti,
Tantum exemta Getæ: qui vertice proximus aſtris
Poſt Alpes jam cuncta ſibi promiſit apertas,
Nil ſupereſſe ratus. poſtquam tot flumina pulſus,
Cinctaque fluminibus crebris tot mœnia cernit;

Tot

458 vertice *MSS.* vortice *malit Heinſ.* 462 ſalutandis *malit Heinſ. recte.* 471 promittit *Junt. Ald. Baſ.* 472 pulſis *vulg.* pulſa, paſſim, paſſis *al.* vallis *conj. Heinſ. Totum verſum tollendum cenſet Barth.*

461 *Ipſe venit!* Pulchre exprimit illud *αὐτὸς* Græcorum, quo patrem familias, herum, magiſtrum ſignant, ut illo ſuo *αὐτὸς ἔφα* Pythagorei.

462 *Salutatis* poteſt ſignificare, jam de turribus ac mœnibus ſalutata ſigna. Non nego tamen, mihi quoque *ſalutandis* magis placere, quod de ſe dicit Heinſius.

464 *Ignobile* adverbii vicem ſuſtinet.

466 *Bellona* ridet *Cererem*, h. e. ruſticum miles pro falce ac raſtris, jaculum ſi ſumat & clipeum. *Novi* illi & imperiti *duces* etiam cum clamant & imperiis ſuis vim voce volunt addere, humile quiddam ſonant, ut ſeditionem potius turbulentam audire videare, quam iuſtum imperium. *Vera juventus* videtur dicta, quæ veritatem, ἔτυμον, veriverbium nominis ſui implet, a *juvando* dicta.

470 In ſummis Alpibus cum eſſet, propior ſibi aſtris videbatur naturali ratione: ſed multo magis figura dicendi, qua *aſtra vertice ferire* vel *digito tangere* dicuntur felices. Vid. v. 341.

472 *Pulſus*, percuſſus nouitate rei et inſperata conditione commotus, vt Cic. Nat. De. I c. 10 *Natura ſenſu pulſa ſentit*, vt id. Fin. 2 c. 10 *Status non dolendi nullum habet ictum, quo pellat animum.* Percuſſit animum Alarici novâ rerum facies, tot urbes capiendæ, tot ſuperanda flumina ante quam ad Romam adſpirandi facultas detur. An hæc vera ſint, an tam imprudens, tam inſcius Geographiæ, tam barbarus denique fuerit Alaricus, non diſputo. Sed video, hanc illi ἀγεωγραφησίαν hic tribui.

Tot subitos pedites, equitum tot conspicit alas,
Seque velut clausum laqueis, sub pectore furtim
Aestuat, & nimium prono fervore petitæ
Jam piget Italiæ, sperataque Roma teneri
Visa procul. magni subeunt jam tædia cœpti.
Occultat tamen ore metum, primosque suorum
Consultare jubet bellis annisque verendos.
Crinigeri sedere patres, pellita Getarum
Curia: quos plagis decorat numerosa cicatrix,
Et tremulos regit hasta gradus, & nititur altis
Pro baculo contis non exarmata senectus.
Hic aliquis gravior natu, cui plurima dicti
Consiliique fides, defixus lumina terræ,
Concutiensque comam, capuloque acclinis eburno,
„*Si numero non fallor*, ait, *tricesima currit*
Bruma fere, rapidum postquam tranavimus Istrum,
Romanamque manum tantis eludimus annis.
Sed numquam Mavors adeo constrinxit in arctum
Res, Alarice, tuas. Per tot certamina ducto
Crede seni, qui te tenero vice patris ab ævo

Gesta-

474 subito *ante Heinf.* 479 ira *MSS. quod argutum videtur Heinsio.* 485 dictis Consiliisque *ante Heinf.* 487 acclivis *Baf. Junt. Ald. Pul. male.* 492 docto *ante Heinf.*

477 *Roma* quam sperabat superatis Alpibus jam teneri, nunc *visa* est *procul* abesse.

481 *Crines* prolixi & *pelles* vtrumque insigne gentium barbararum. De *pellibus* 5, 79 it. 8, 466. Et 21, 203 habuimus *crinigero flaventes vertice reges.*

484 *Conti* non videntur diversi ab *hastis*: bis idem dixit, ut indicet rem insolitam, senes etiam non uti venia ætatis, pro baculis & scipionibus gradum firmare hastis.

485 *Fides dicti* pertinet, puto, ad historicam fidem; *consilii*, ad auctoritatem ex opinione prudentiæ usu collectæ.

489 Non ego suaserim poëseos candidato dicere, neque post Claudianum, *currit bruma*: bruma enim dies est. Saepe imponit hominibus illud, quod tropos putant simpliciter ponere nomen pro nomine, quæ res mille potest parere ineptias. *Gladium* intelligimus, cum audimus *mucronem*: sed nonne ridiculus fuerit, si quis dicat quanti emisti hunc mucronem?

Geſtatum parva ſolitus donare pharetra,
Atque aptare breves humeris puerilibus arcus.
Sæpe quidem fruſtra monui, ſervator ut icti
Fœderis Emathia tutus tellure maneres.
Sed quoniam calidæ rapuit te flamma juventæ,
Nunc ſaltem, ſi cura tibi manet ulla tuorum,
His clauſtris evade precor. dumque agmina longe,
Dum licet, Heſperiis præceps elabere terris,
Ne nova prædari cupiens, & parta reponas,
Paſtorique lupus ſcelerum delicta priorum
Intra ſepta luas. Quid palmitis uber Etruſci,
Quid mihi neſcio quam proprio cum Tibride Romam
Semper in ore geris? Referunt ſi vera parentes,
Hanc urbem inſano nullus qui Marte petivit
Lætatus violaſſe redit. Nec Numina ſedem
Deſtituunt. jactata procul dicuntur in hoſtem
Fulmina, divinique volant pro mœnibus ignes:
Seu cœlum, ſeu Roma, tonat. Si temnis Olympum,
A ma-

497 *Emathiam* tellurem non videtur ponere pro illa piguiori Macedoniæ particula: ſed licentia poëtæ ita extendere uti Theſſaliam maxime intelligat, exemplo Lucani ipſiusque Maronis Ge. 1, 491 qui ipſe locus nos admonere poteſt, quam multum ſibi in locorum & regionum nominibus vetères indulſerint. Alaricus totam Græciam cum exercitu ſuo pervagatus fuerat. Suaſerat igitur ſenex, qui hic loquitur, ut illa tueretur potius, quam ultra tenderet.

498 Non poterat valde juvenis tum eſſe Alaricus, ſi jam XXX anni ſunt, ex quo Iſtrum tranſiit, ut v. 488 dictum. Sed ſeptuagenario etiam juvenes videntur quinquagenarii &c.

502 *Reponere* hic idem eſſe debet, quod deponere, dimittere: contrarium *parta tueri.*

507 Ita intelligi voluit hic orator, id ipſum inſanum eſſe, ſi quis Romam Marte petat, bellum eo ipſo nomine inſanum, quod Romam petat.

508 Reſpicitne poëta ad illam Deorum evocationem, Romanam cerimoniam, qua vſi v. g. ad Vejos, e qua evocarunt Junonem Reginam, Liv. 5, 21. Indicamus hic modo locos claſſicos, Plin. 28, 2 ſ. 4. Macrob. Sat. 3, 9. tum Diſputationes ea de re Bergerianam & Coccejanam.

510 Auget forte illa, quæ Liv. 26, 11 narrantur de præliis Annibalis ad Urbem bis tempeſtate impeditis.

511 Magnifica dictio, *Seu cœlum* naturaliter, *ſeu Roma* Dea ſuam urbem & populum defenſura, *tonat.* Illud *Si temnis Olympum*, impietatis exprobratio videtur, ut

A magno Stilichone cave, qui ſemper iniquos
Fortuna famulante premit. ſcis ipſe, peroſis
Arcadiæ quam denſa rogis cumulaverit oſſa:
Sanguine quam largo Grajos calefecerit amnes.
Exſtinctusque fores, ni te ſub nomine legum
Proditio regnique favor texiſſet Eoi.„
Talia grandævum flammata fronte loquentem
Obliquiſque tuens oculis non pertulit ultra;
Sed rapit rabidas accenſa ſuperbia voces:
„Si non mentis inops fraudataque ſenſibus ætas
Præberet veniam, numquam hæc opprobria linguæ
Turpia Danubius me ſoſpite ferret inultus.
Anne, tot Auguſtos Hebro qui teſte fugavi,
Te patiar ſuadente fugam, cum ceſſerit omnis
Obſequiis natura meis? Subſidere noſtris
Sub pedibus montes, areſcere vidimus amnes.
Non ita Dii Getici faxint Maneſque parentum,
Ut mea converſo relegam veſtigia curſu.
Hanc ego vel victor regno, vel morte tenebo
Victus humum. per tot populos urbeſque cucurri,
Fregi Alpes, galeiſque Padum vibricibus hauſi.

Quid

513 ſtimulante *MSS.* peroſus *vulg.* pereſis *Raph.* 514 regis *Baſ. marg.* rogis *Cuj. & MSS.* jugis *probant primæ editt. MSS. Heinſius, ratio.* 517 fratrisque favor *MS.* 520 rapidas *al.* 525 ſuadere *Raphel. contra libros.* 527 faciant *vulg.*

perjurii, illud quod dixerat v. 496 *Servator icti federis.*

513 Difficile eſt, modo non plane impoſſibile, has res ordinare, & componere inter ſe ſcriptores. Illud tamen apparet, hinc Ruffini in Oriente, hinc per Occidentem Stilichonis artibus ſubornatos, incitatos, immiſſos emiſſosque barbaros, eaque re Imperii Romani interitum acceleratum. Conferat mihi aliquis Zoſimum 5,29, &, quæ hic Conſtantinopolitanis vertuntur vitio, ea, h. e. horum ſimilima ab eo imputari Stilichoni videbit. Cf. 564 ſq.

523 *Danubii* nomine oſtendit accolas, Getas.

524 *Hebrus* teſtis indicat res in Thracia & Macedonia geſtas.

532 *Galeis* haurire de fluvio eſt militiæ duræ & fortis, quae non opus habeat multo apparatu.

Quid reſtat niſi Roma mihi? Gens robore noſtra
Tunc quoque pollebat, nullis cum fideret armis.
At nunc Illyrici poſtquam mihi tradita jura,
Meque ſuum fecere ducem; tot tela, tot enſes,
Tot galeas multo Thracum ſudore parari,
Inque meos uſus vectigal vertere ferri
Oppida legitimo juſſu Romana coëgi.
Sic me fata fovent. ipſi, quos omnibus annis
Vaſtabam, ſervire dati. nocitura gementes
Arma dabant, flammiſque diu mollitus & arte
In ſua damna chalybs fabro lugente rubebat.
Hortantes his adde Deos. non ſomnia nobis,
Nec volucres, ſed clara palam vox edita luco eſt:
Rumpe omnes, Alarice, moras. hoc impiger anno
Alpibus Italiæ ruptis penetrabis ad Urbem.

E e 2 *Huc*

537 parari *MSS.* 538 ducere *Cuj.* 540 arvis *conj. Heinſ.* 542 dabunt - rubebit *vulg.* redibat, fremebat, rudebat *MSS.* jubebat *MS. hinc* fluebat *conj. Heinſ. ut 33, 241.*

534 *Arma* hic intelligit copiarum adſcitarum, auxiliarium: quod ſunt arma militi, inſtrumentum rei gerendæ, hoc præſtant auxiliares copiæ imperatori & exercitui.

535 *Illyrici jura* Alarico *tradita* hic intelligimus pactione, & eo genere agendi, quod modo ad v. 513 indicavimus. Suadet hoc formula *legitimo juſſu*, quo dicit ſe *coëgiſſe oppida Romana. Illyrici* videtur duplicem quaſi perſonam ſuſtinere Illyrici, regionis jura tradita ſunt Alarico, nomine Imperatoris: Illyrici ſ. Illyrii Alaricum *ſuum fecere ducem.* Vid. ad 8, 288.

536 Thraciam obtinens conceſſu Romani Imperatoris Alaricus metalla & officinas ferri omnes ad arma fabricanda adhibuit. Itaque ſuis poſtea armis pugnare contra Romanum imperium potuit, natis & fabrefactis in provincia Romana.

543 Reciprocatio obſervanda, *Chalybs fabro lugente in ſua* (fabri) *damna rubebat* a ſanguine civium, vel neceſſariorum adeo. Nempe nec bonæ ætatis ſcriptores ad canonas Grammaticorum alligari ſemper ſe patiuntur.

545 Hæc non ſimpliciter finxit poëta; ſed forte ipſe Alaricus. Certe noſtri, Socrates H. E. 7, 10 & Sozom. 9, 6 referunt, illum Monacho roganti vt Romæ parceret, reſpondiſſe, ὡς ἐχ ἑκὼν τάδε ἐπιχειρεῖ ἀλλά τις συνεχῶς ἐνοχλῶν αὐτὸν βιάζεται (ſic Sozom. apud Socratem eſt βασανίζων) καὶ ἐπιτάττει τὴν Ρώμην πορθεῖν *Se non ſponte ſua hæc ſuſcipere, ſed aliquem ſemper ſibi moleſtum eſſe, & cogere ſe, & jubere Romam ut deleret.*

547 Attende, lector, ad nomen *urbem*, ut intelligas, quæ dicentur v. 555.

Huc iter uſque datur. Quis jam poſt talia ſegnis
Ambigat, aut cœlo dubitet parere vocanti?„
Sic ait, hortatusque ſuos belloque viæque
Inſtruit. Attollunt vanos oracula faſtus.
O ſemper tacita ſortes ambage malignæ,
Eventuque patens & neſcia vatibus ipſis
Veri ſera fides! Ligurum regione ſuprema
Pervenit ad fluvium (miri cognominis) Urbem,
Atque illic domitus vix tandem interprete caſu
Agnovit dubiis illuſa vocabula fatis.
Nec non & Stilicho pugnam poſcentia movit
Pleno caſtra gradu, dictiſque inſtigat euntes.
„Nunc o nunc, Socii, temeratæ ſumite tandem
Italiæ pœnas. Obſeſſi Principis armis
Excuſate nefas, deploratumque Timavo
Vulnus, & Alpinum gladiis abolete pudorem.
Hic eſt, quem toties campis fudiſtis Achivis;
Quem diſcors odiiſque anceps civilibus orbis,
Non ſua vis tutata diu, dum fœdera fallax
Ludit,

550 ſic eat *MS. ut* 20, 155. hortaturque - viaque *ante Heinſ.* bellique viæque *MS.* 553 noxia *ante Heinſ. & Gron.* 554 ſacra fides *ante eosd.* 555 Flavi *pro* fluvium *conj. Scal. quia Pollentia Flavia colonia. Fruſtra.*

552 Pulchra de oraculis ſententia, cujus quædam certa ratione ad ipſa etiam noſtrorum Prophetarum vaticinia referri poſſunt; certe illud *eventu patent, & neſcia vatibus ipſis.*

555 Fluvius hic *Orba* vocatur hodie, ut monent Geographi. Claudianus vult, voce oraculi deceptum Alarichum, qui ad *Urbem* Dominam Romam ſe vocari putaret, cum *Urbs* vel *Urbis* fluvius oſtenderetur. Plena eſt hujusmodi oraculis hiſtoria.

557 *Vocabula illuſa* h. e. per ludibrium & illudendi cauſa applicata eventui incerto.

560 *Temerata* Italia, temere læſa, & affecta iniuriis ſine cauſa.

561 *Obſideri* dicitur non ille modo, qui incluſus undique eſt; ſed cui ex proximo hoſtis imminet, occaſionibus nocendi intentus.

562 *Excuſare* eſt hic ulciſcendo tollere, & in tantum abolere, ut non amplius ignavia obiici injuriam paſſo queat. *Timavus* fons & fluvius in intimum ſinum Venetum inter Aquilejam & Tergeſten influit. In hac porro regione preſſos a barbaris Romanos, vel hic ipſe locus ſatis indicat.

Ludit, & alternæ periuria venditat aulæ.
Credite nunc omnes, quas dira Britannia, gentes,
Quas Iſter, quas Rhenus, alit, pendere paratas
In ſpeculis. Uno tot prælia vincite bello.
Romanum reparate decus, molemque labantis
Imperii fulcite humeris. Hic omnia campus
Vindicat: hæc mundo pacem victoria ſancit.
Non in Thrëiciis Aemi decernimus oris:
Nec ſuper Alpheas umbrantia Mænala ripas
Conſtitimus. non hic Tegeen Argoſque tuemur:
Viſceribus mediis, ipſoque in corde videtis
Bella geri. Patrem clipeis defendite Tibrin.„
Talia, nunc pediti, turmæ nunc miſtus equeſtri,
Dicta dabat: ſimul externis præcepta ferebat
Auxiliis. Ibat patiens ditionis Alanus,
Qua noſtræ juſſere tubæ: mortemque petendam
Pro Latio docuit gentis prælatus Alanæ;
Cui natura breves animis ingentibus artus

567 vendicat, & *hinc* vindicat *vulg.* venditat *Raphel. Claver. &c.* 568 ſocii, quas dura *Cuj.* 580 edicta *Baſ. marg.* 583 præclarus *adhuc editum. Sed* prælatus *MS. Claver. hinc* genti prælatus *Scal. Raph. & ſic dedit Barth. 2, licet ipſe in alia omnia eat in Comm.* gentis dux clarus *conj. Delr.*

567 Illud *alternæ aulæ* admonet nos infelicitatis illius, quae & ipſum imperium turbavit & hiſtoriam: cum barbaris uterentur Ruſinus & Stilicho adverſus ſe invicem, ambo una cum ipſo imperio ab illis illuderentur everterenturque; fraudibus & perfidia graſſarentur omnes, ut quid verum eſſet, ne qui extra partes quidem eſſent facile ſcire poſſent, vix autem eſſet integer aliquis a ſtudiis partium, qui vellet vera tradere.

569 *Pendere* dicuntur, qui non firmiter ſtant, non toto veſtigio nituntur, ſed ſuſpenſo, ut ad leviſſimum quemque impulſum moveantur. Noſtra Germanorum conſuetudo habet formulam plane ſimilem, *auf dem Sprunge ſtehen*, vt qui jam in digitos erecti, ſignum exſpectant procurrendi.

574 Non in remotis imperii Orientalis partibus pugnandum eſt, quæ non ita prope ad nos pertinent, quas alienas poſſumus putare: *in viſceribus* Occidentalis, Honoriani imperii res gerenda.

575 *Mænala* Mons ſilvoſus Arcadiæ, cujus pars Alpheo alluitur &c.

583 Certum hic hominem, ducemque adeo, deſignari, mihi non dubium eſt, quantumvis fluctuet lectio

Finxerat, immanique oculos infecerat ira.
Vulneribus pars nulla vacat, reſciſſaque contis
Gloria fœdati ſplendet jactantior oris.
Ille tamen mandante procul Stilichone citatis
Acceleravit equis, Italamque momordit arenam;
Felix, Elyſiiſque plagis & carmine dignus,
Qui male ſuſpectam nobis impenſius arſit
Vel leto purgare fidem: qui judice ferro
Diluit immeritum laudato ſanguine crimen.
Morte viri turbatus eques flectebat habenas:
Totaque præciſo nutaſſent agmina cornu,

Ni

586 reciſaque cunctis *vulg.* cuncti *Clav.* reſciſſaque cunctis *Barth. qui ſuſpicatus erat* punctis, *item* inuiſaque comtis. 589 acceleratur *vulg.* acceleravit *etiam Baſ. marg.* 595 mutaſſent *vulg.*

lectio. Forte ſic tum dici cœpit *Prælatus*, ut in Eccleſia Ro., ut gentis *Prælatus* ſit dux. Certe *Prælati* nomen de civili etiam poteſtate dictum, monent Dufreniani continuatores. Sed quod S. Valerianum Cimelenſem hujus circiter ſæculi ſcriptorem, auctorem faciunt, illud nihil eſſe, fateri debeo. Quem hic deſcribit poëta fuit forte idem, de quo ponemus verba Pauli Diac. hiſt. miſc: 13, 26, & paullo plura ponemus quam opus hic erat, quod firmant, quæ de incerta hiſtoriarum in quibus verſamur, fide dicimus: Alaricus, cujus reliqua hic narrat, *Italiam ingreſſus, cum ab Honorio ſedes, quo cum ſuo exercitu conſiſtere poſſet expeteret, Honorius diliberato conſilio Gallias eisdem conceſſit. Qui dum ad Gallias pergens, ob recuperationem inmentorum ad Pollentiam reſediſſet, Stilicho patricius in perniciem reip. Gothos pertentans dum eos inſidiis aggredi cuperet, bellum* Sauli *pagano duci commiſit: qui ipſo ſacratiſſimo die Paſchæ, Gothis ſupplicantibus, nihilque tale ſperantibus, ſuper eos irruit, magnamque eorum partem proſtravit. Nam primum perturbati Gothi, ac propter religionem cedentes, demum arma corripiunt, more ſolito ſe cohortantur, victoremque virtute potiori proſternunt exercitum.* Similia Oroſ. 7, 37.

586 *Contos* generatim pro telis poſuiſſe videtur. Cicatrices, quæ vultum viri deformaverant, eædem tituli erant fortium facinorum.

591 Suſpecta Romanis fides barbarorum, quam hic volunt experiri. Et alioquin antiqua ars, committere duo populos, ut mutuis cladibus ſe atterant, & minus nobis ſint metuendi.

593 *Sanguine* ſuo, in pugna adverſus hoſtes Romanorum fuſo, & eam ob rem laudato, *diluit* crimen perfidiæ nullo ſibi ſuo merito imputatum.

595 *Cornu*, quam alam hodie vocant omnes, ſervata Metaphora *præciſum* dicit.

598 *Pæan* Apollo eſt. Hic cum Muſis occupat & velut inſidet poëtas, qui *recepto* ſic intra præcordia Apolline & ſpiritu poëtico canunt.

599 *Gradivus* pater, Mars, *fundator* atque auctor Romanæ gentis,

Ni celer inſtructa Stilicho legione ſecutus
Subſidiis peditum pugnam inſtauraſſet equeſtrem.
Quis Muſis ipſoque licet Pæane recepto
Enarrare queat, quantum Gradivus in illa
Luce ſuæ dederit fundator originis urbi?
Altius haud umquam toto deſcendimus enſe
In jugulum Scythiæ: tanta nec clade ſuperbum
Contudimus Tanain, vel cornua fregimus Iſtri.
Inviſum miles ſitiens haurire cruorem
Per varias veſtes, onerataque plauſtra metallo
Tranſit, & argenti cumulos; & cædis avarus
Contemtas proculcat opes. pretioſior auro
Sanguis erat. paſſim neglecti prodiga lucri
Ira furens ſtrictis odium mucronibus explet.
Purpureos cultus, abſumtique igne Valentis
Exuvias, miſeriſque graves crateras ab Argis,
Raptaque flagranti ſpirantia ſigna Corintho,

610 aſſumptas igne valentes *vulg.* aſſumptoque, abſumtasque, abſumtoque *MSS.* Valentis *debetur Claverio.*

tis, illo die multum *ſuæ Originis*, paternæ virtutis h. e. Martiæ multum, dedit *urbi*, h. e. Romanis militibus.

603 De *cornibus Iſtri* diximus ad 21, 220.

604 Præ ſtudio & cupiditate vindictæ atque cædis negligunt prædam milites: quod ſæpe cum contra accideret, ea cauſa magnarum poſt victoriam cladium fuit.

610 Qui *Valentem* Imperatorem victum vivum tamen cremarunt, *Scythæ* vocantur a Zoſimo 4, 22 generali nimirum nomine. Sed *Gothos* appellat Paullus Diac. Hiſt. miſ. 12, 16. Utrum autem hi Gothi vel Getæ, qui cum Alarico militabant, *exuvias*, ſpolia, ſigna militaria, tentoria Valentis ſecum habuerint, forte nec ipſe Claudianus ſciebat. Poëtæ fatis fuit hac imagine ſplendorem conciliare ſuo carmini.

611 Illud de Græcis ſpoliis facilius eſt, cum ipſe Alaricus paullo ante Græciam vaſtarit.

612 Etiam hic veſtigium doctrinæ poëtæ noſtri, non modo, quod Virgiliano epitheto *ſpirantia ſigna* vocat: ſed quod videtur corrigere fabulam de origine aeris Corinthii e metallis per incendium urbis confluentibus. Dicit enim *ſigna flagranti Corintho rapta*, non ſigna ex aere, quod per Corinthi fluxit incendia. Viderat jam Plinius 34, 2 ſ. 3 *Corinthium æs*, & *vaſa Corinthia* antiquiora eſſe incendio Corinthi: & vixit tamen, firmata ab ipſo, fabula: quam plane everſit Bochartus Hieroz. 2, 6. 16, præſertim ex Athenæo 4, 1.

Callidus ante pedes venientibus objicit hostis
Incassum; neque enim feralis præda moratur,
Sed justos præbent stimulos monumenta doloris.
Asseritur ferro captivum vulgus, & omnes
Diversæ vocis populi, quos traxerat hostis
Servitio, tandem dominorum strage redemti
Blanda cruentatis affigunt oscula dextris,
Desertosque Lares & pignora læta revisunt.
Miratur sua quemque domus, cladesque renarrant
Ordine, tum grati referunt miracula belli.
Quis tibi nunc, Alarice, dolor, cum Marte perirent
Divitiæ, spoliisque diu quæsita supellex,
Pulsaretque tuas ululatus conjugis aures;
Conjugis invicto quæ dudum freta marito
Demens Ausonidum gemmata monilia matrum,
Romanasque alta famulas cervice petebat?
Scilicet Argolicas Ephyreiadasque puellas
Cœperat & pulcras jam fastidire Lacænas.
Sed Dea quæ nimiis obstat Rhamnusia votis
Ingemuit

620 desuetosque *MS.* 622 ord. cognati *vulg.* cum grati *MSS. Cuj.* congrati *MSS.* congressi *MS.* cognatis *Raphel.* tum grati *MSS.* 623 tunc *Baf. marg.* 625 flebilis *MSS.* 628 parabat *MSS. Baf. marg.* 629 Argolicus *vulg.*

613 Hæc fuit ars Mithridatis e Ponto, regno suo, fugientis, quam cum Medeæ facto, fratris sui Absyrti membra spargentis in via, qua illam pater sequebatur, comparat Cicero pro L. Manil. c. 9.

616 *Asseritur* verbum juris Romani, *liberali causa aliquem manu asserere* i. e. vindicare, & liberum esse defendere.

619 Suavitas ex paradoxo: *cruentata* manus horribilis alias, *blanda* hic oscula excipit.

622 *Gratum bellum*, pro quo gratias se debere Deo & Stilichoni, agnoscunt.

629 Recens erat a Græciæ vastatione Alarici exercitus. *Argolides* puellæ Argivæ & vicinæ regionis, quæ Argolis vocatur, incolæ: *Ephyreiades* Corinthiæ.

631 *Rhamnusia*, Nemesis Dea, in Rhamnunte Atticæ pago culta: h. e. justitia divina, vindex ultrixque superbiæ. Hæc *ingemuit*, infremuit, ut iræ potius quam doloris significationem habeat. *Flexit rotam* Nemesis. Hanc illi assignat vetus hymnus editus sub Arato Oxo. 1672, 8 Τπὸ σὸν τρόχον ἄστατον, ἀστιβῆ, χαροπὰ μεφόπων τρέφεται τύχα, ipsam Fortunam illam arridentem hominibus, sub illius rota inconstanti, orbitam non signante, ait circumagi. Hinc Nemesi in Smyrnæorum nummis signum rota additur.

Ingemuit flexitque rotam. Domat aſpera victos
Pauperies, unoque die Romana rependit
Quidquid ter denis acies amiſimus annis.
O celebranda mihi cunctis Pollentia ſæclis!
O meritum nomen felicibus apta triumphis!
Virtutis fatale ſolum; memorabile buſtum
Barbariæ! nam ſæpe locis ac finibus illis
Plena laceſſito rediit vindicta Quirino.
Illic Oceani ſtagnis excita ſupremis
Cimbrica tempeſtas, aliasque immiſſa per Alpes
Hiſdem procubuit campis. Jam protinus ætas
Adveniens geminæ gentis permiſceat oſſa,
Et duplices ſignet titulos commune tropæum:
Hic Cimbros fortesque Getas, Stilichone peremtos
Et Mario claris ducibus, tegit Itala tellus.
Diſcite veſanæ Romam non temnere gentes.

637 virtuti *malit Heinſ.* 644 duplici titulo *malit Heinſ.*
647 tendere *Claver. ex MS. argutum, non verum.*

634 *Romana acies*, exercitus & victoria &c.

635 *Pollentiæ* nomen affine verbo *pollendi*, quod quam vim habeat, intelligitur ex illa formula, qua pater patratus imprecatur Jovem, *Tu-populum Ro. ſic ferito, ut ego hunc porcum hodie feriam: tantoque magis ferito, quanto magis potes pollesque.*

640 Comparat, poëtæ magis licentia, quam ex vero, Alarici cladem Cimbricæ ſub Mario. *Stagna Oceani* vocat mare illud, in quo eſt Cherſoneſus Cimbra, quia pigrum & pene immobile illud mare credebatur. *Aliæ* autem fuere *Alpes*, per quas venere Cimbri acTeutones; & *campi Raudii*, ubi pugnatum eſt controverſi inter Geographos: certe tamen in Gallia Ciſalpina, quod ad hunc locum ſatis eſt, & Cimbrica clades contigit, & pugna ad Pollentiam. Splendidiſſima ſane eſt hujus libri clauſula, & ultimus verſus cum majeſtate quadam expreſſus ex illo Virgiliano, *Diſcite juſtitiam moniti, & non temnere Divos.*

XXVII

CL. CLAUDIANI

IN VI. CONSULATUM

HONORII AUGUSTI

PRAEFATIO

Omnia quæ ſenſu volvuntur vota diurno,
Pectore ſopito reddit amica quies.
Venator defeſſa toro cum membra reponit,
Mens tamen ad ſilvas & ſua luſtra redit.
Judicibus lites, aurigæ ſomnia currus,
Vanaque nocturnis meta cavetur equis.
Furto gaudet amans, permutat navita merces,
Et vigil elapſas quærit avarus opes.

Blan-

8 *quid ſi legamus* vigili ?

* Neſcio quid moverit Pulmannum, ut hanc præfationem libro tertio de Raptu Proſerpinæ denuo præmiſerit, quem ſecutæ ſunt Plantinianæ: cum tamen MSS. optimi quique & Parrhaſius, & antiqui, præter Vicentinum & Juntam, editores hunc illi locum aſſignarint merito; quem ipſum etiam argumentum pulchre tuetur. Cf. dicta ad v. 17.

1 *Senſu diurno volvuntur*, quæcunque interdiu, per quemcunque ſenſum externum vel internum, vigilantium mentibus obverſantur. Locus hic communis, tractatus centies ab omni ſcriptorum genere, ſua unicuique experientia notus eſt. Si quis tamen ſuaviter affici velit, legat Lucret. 4, 960-1031.

6 *Meta cavetur*, aperta alluſione ad illud Horatianum *Metaque fervidis evitata rotis.* Summa ars aurigæ in circo quam proxime metam flectere currum anfractu breviſſimo, & evitare eadem, ne offenſus ad metam frangat axim, currum evertat.

7 *Furtum*, κλέμμα, eſt, quidquid occulte, non animadverſum his, quorum metuitur, vel vitatur certe, conſcientia, peragitur, ſive de cetero bonum, ſive malum ſit. Sedem tamen peculiariter etiam in rebus amatoriis habet.

8 Poteſt hic ſenſus eſſe, Avarus evigilans quærit elapſas ſibi per quietem opes, quaſi non ſomnium eſſet,

Blandaque largitur fruſtra ſitientibus ægris
Irriguus gelido pocula fonte ſopor.
Me quoque Muſarum ſtudium ſub nocte ſilenti
Artibus aſſuetis ſollicitare ſolet.
Namque poli media ſtellantis in arce videbar
Ante pedes ſummi carmina ferre Jovis.
Utque favet ſomnus, plaudebant numina dictis,
Et circumfuſi ſacra corona chori.
Enceladus mihi carmen erat, vinctuſque Typhoëus:
Hic ſubit Inarimen, hunc gravis Aetna domat.
Quam lætum poſt bella Jovem ſuſceperit æther,

Phle-

11 ſtudiis *it.* ſtudio *MSS.* 12 aſſiduis *MSS.* invigilare jubet *MS.* 17 victusque *vulg. Sed* vinctus *MSS.* 18 hunc premit Inarimes *vulg.* 19 lætus *omnes præter Heinſ. ex MSS. quod fere magis placet.*

eſſet, ſed verum damnum. Sed molle item, & facetum, ſi eſſet in libris *vigili* elapſas opes quærit in ſomnis.

10 Sed contrarium etiam accidere ſolet, pueris præſertim. Lucret. l. c. *Puri ſæpe lacum propter, ſe, ac dolia curta, Somno devincti credunt extollere veſtem* &c.

15 Modeſtiam tuetur his verbis, *Utque favet ſomnus*: ſomniare poteſt poëta, quidquid lubet: non mirum ſi de ſe, quæ optat, ſomniet.

17 Tanto pulchrior hæc phantaſia eſt, quod re vera Gigantomachian ſcripſit noſter, de qua ad 37 pr. quam forte hoc ipſo tempore jam animo conceperat & meditabatur. In his Gigantibus nobiliſſimi Enceladus & Typhoëus. Cæterum cum hujus quoque rei mentio fiat in tertio de raptu Proſerpinæ ſ. 36, 335 ſq. hinc forte nata librario veteri cogitatio, hanc eſſe libri illius præfationem.

18 *Inarime*, Crux & ludibrium Criticorum. Fons eſt Homeri verſus in Catalogo navium ſ. Ιλ. Β, 783 Εν Αρίμοις, ὅθι φασὶ Τυφωέος ἔμμεναι ἐυνάς. Manifeſte dicit, In loco qui vocetur *Arimi* vel *Arima*, *orum*, eſſe cubile Typhœi. Contra non minus aperte Virg. Aen. 9, 716 *Durumque cubile*, Inarime, *Jovis imperiis impoſita Typhœo*: quem deinde ſequuntur Latini poëtæ pene omnes, qui Inarimen dixerunt Aenariam ſ. Pithecuſan in Cumano litore inſulam, hod. *Iſchia*. Placet ſententia Clarckii ad Homeri l. c. arbitrantis, illo ipſo verſu, qui in omnium ore verſaretur, ortam eſſe illam nominis mutationem: ut ex καὶ ἕτεροι ortum eſt *cæteri*.

20 Phlegrææ referens præmia militiæ.

Additur

20 Cum *Phlegraea* hæc *militia* sæpius apud noſtrum memoretur, nempe 35, 255. 36, 201 & 337. 37, 4. 40, 27: placet hic breviter nomen illud declarare. Antiquiſſimi, apud quos eſt ejus mentio, aſſignant *Phlegræ* nomen Pallenæ, quæ eſt cherſonneſus Macedoniæ vel Thraciæ (quarum terminos, ac Theſſaliæ adeo confundi conſtat) iidemque Herculem faciunt illius belli partem præcipuam. Sic Pindarus Nem. A, 100 & Iſth. ε, 48 utroque loco certe Thraciæ tribuunt vetera ſcholia, non minus quam apud Apollo. Argon. 3, 234. Sic & Stephanus de urb. Herodotus 7, 123 poſt enumeratas urbes Pallenes, αὗται, inquit, (αἱ πόλεις) *τὴν νῦν* Παλλήνην *πρότερον δὲ* Φλέγρην *καλεομένην νεμόμεναι*. Apertum eſt Phlegram, campum Gigantomachiæ, eſſe in illa Thracia Macedonica vel Theſſalica, in vicinia Pelii, Oſſæ, Olympi &c. Nec aliter Strabo in Excerptis l. 7 p. 228, b pr. *Ὅτι ἡ* Παλλήνη *χερρόνησος — Φλέγρα τὸ πρὶν ἐκαλεῖτο· ὥκουν δ' αὐτὴν οἱ μυθευόμενοι Γίγαντες· ὃς Ἡρακλῆς διέφθειρεν*. Rurſus haud dubie campi Phlegræi ſunt in Italia Plin. 3, 5 ſ. 9 *Dein Puteoli-poſtque Phlegræi campi, Acheruſia palus Cumis vicina*. Et 18, 11 ſ. 29 *Pars campi Campani, quæ Laboriæ vocantur, quem Phlegræum Græci appellant*. Phlegræum campum diſerte Campaniæ aſſignat Strabo l. 5 p. 168, 19 *ἐν ᾧ τὰ περὶ τοὺς Γίγαντας μυθεύουσιν*. Sic p. 169, 51 ubi poſt deſcriptionem ſoli ſulphure & aquis calidis abundantis, addit ideo Φλέγραν quosdam dici putare regionem Cumanam, *καὶ τῶν πεπτωκότων Γιγάντων τὰ κεραύνια τραύματα ἀναφέρουσι ταῖς τοιαύταις προσχοαῖς τῷ πυρὸς καὶ τῷ ὕδατος*. Sic enim legendum, hoc ſenſu, *vulnera gigantum ibi cæſorum* in fabulis, *referunt ad ejusmodi ignis & aquæ eruptiones*. Et jam paullo ante p. 194, 31 memorarat *τοὺς περιληφθέντας τῶν Γιγάντων ἐν τῇ κατὰ Καμπανίαν Φλέγρᾳ*. Sapiens hic etiam Polybius videtur pulchre hanc Mythologorum diſſenſionem compoſuiſſe, certe explicuiſſe l. 3 c. 91 ubi in laude Campaniæ addit, *ἐπιεικέστατος παρὰ τοῖς μυθογράφοις ὁ περὶ τούτων τῶν πεδίων λέγεται λόγος· προσαγορεύεται δὲ καὶ ταῦτα Φλεγραῖα, καθάπερ καὶ ἕτερα τῶν ἐπιφανῶν πεδίων. Θεὸς γε μὴν μάλιστα περὶ τούτων εἰκὸς εἰρικέναι*. Probabilem valde ait de his campis fabulam, appellari etiam hos Phlegræos, non minus quam alios inſignes fertilitate campos: credibile enim eſſe, de his potiſſimum Deos contendiſſe. Diodorus Siculus (qui 4, 21 Phlegræum campum viciniæ Veſuvii montis aſſignaverat, &, quod in ſcriptore ævi Auguſtei valde memorabile eſt, dixerat, eum locum habere multa ſigna *τῇ κεκαῦσθαι κατὰ τοὺς ἀρχαίους χρόνους*, arſiſſe antiquis temporibus) pulchre ipſe quoque rem componit 5, 71, Conflata eſſe præter ea, quæ indicaverat, ait, alia quoque bella Jovi, *πρὸς Γίγαντας τῆς μὲν Μακεδονίας περὶ τὴν Παλλήνην, τῆς δὲ Ἰταλίας κατὰ τὸ πεδίον ὃ τὸ μὲν παλαιὸν ἀπὸ τῆ κατακεκαυμένη τόπη Φλεγραῖον ὠνομάζετο, κατὰ δὲ τοὺς ὕστερον χρόνους Κυμαῖον προσηγορεύθη*. Poëtæ itaque Phlegram appellant, Phlegræa bella, e. i. g. a. prædicant, cum de Gigantum in Deos conatibus agunt, lectori plerumque integrum relinquunt, velitne Phlegram in Macedonia collocare an in Italia.

Additur ecce fides, nec me mea luſit imago,
Irrita nec falſum ſomnia miſit ebur.
En Princeps, en orbis apex æquatus Olympo.
En, quales memini, turba verenda, Deos.
Fingere nil majus potuit ſopor; altaque vati
Conventum cælo præbuit aula parem.



22 mittit *MSS.* 23 æquandus *MSS.* 24 Dei *Raphel. ſine cauſa.* 25 *pro* vati, menti *MSS.*

21 *Additur fides*, intell. ſomnio, expetit vel impletur ſomnium. Illud *ebur falſum* reſpicit ad portam eburnam, per quam falſa ſomnia veniunt, apud Virgilium Aen. 6 extr.

24 Cum DIs comparat Senatum Romanum. Themiſtio Or. 13 p. 178, B σύγκλητος ἀγορὰ θεῶν, Senatus Deorum concilium, eſt. Conf. 28, 74.

25 Splendidum mendacium. Ipſe ſomnus, aut Morpheus, non potuit auguſtius diviniusque concilium fingere: quales vidi per quietem Deos, tales cerno Senatores Romanos.

XXVIII

CL. CLAUDIANI

DE SEXTO CONSULATU

HONORII AUGUSTI

PANEGYRIS

Aurea Fortunæ Reduci ſi templa priores
Ob reditum vovere ducum, num dignius umquam
Hæc Dea pro meritis amplas ſibi poſceret ædes,
Quam ſua cum pariter trabeis reparatur & Urbi
Majeſtas? nec enim campus ſollennis & urna
Luditur in morem: ſpecies nec diſſona cœtu,

Aut

2 pro reditu *MS.* non *vulg.* nunc *MS.* 3 Latias - arces *MS.* 4 repetatur *primæ editt.* reparetur *Heinſ. ex 2 MSS.* reparatur *Vien. & Baſ. marg. Claver. & MSS. plurimi optimique.* 5 campi & urnæ *conj. Scal. recepta a Barth.* campo *MS.*

* Incidit hic Conſulatus in A. C. 404 geſtus in Occidente, cum Orientalis conſul eſſet Ariſtænetus.

1 *Fortunæ reduci Cæſaris Auguſti* aram dedicavit S. P. Q. R. cujus imago in duobus nummis aureis apud Morell. tab. II n. 1 & 2, ubi vid. Schlegel. & quos laudat Fabric. ad Dionem 55, 10 n. 98, qui τύχην ἐπανάγωγον vocat. Nempe *Redux* in hac formula eſt qui reducit. *Templum* Domitiano datum celebrat Martialis 8, 65.

4 *Trabeis* conſularibus *reparatur* ſua majeſtas, quod ſuſcipit conſulatum Honorius: *urbi*, quod præſens, antiquo ritu ſuſcipit.

5 Reſpicere videtur ad acerbam illam Lucani querelam de Cæſaris comitiis, 5, 392 *Fingit ſolemnia campus, Et non admiſſæ dirimit ſuffragia plebis, Decantatque tribus, & vana verſat in urna.* Simulacra qualiacunque interdum *ludebant* potius quam agebant priſci ritus: in his *urna* adhibita, in quam conjectæ erant tribuum ſortes ſ. nomina, ut inde educeretur prærogativa, cujus ſuffragium fere ſequi ſolebant reliquæ. Alii principes ne hos quidem ludos poterant perpeti. Laudem magnam ſuo Trajano ex eo arceſſit Plinius, quod priſco more ſe conſulem deſignari, adigique adeo jure jurando paſſus eſt. Vid. Pan. 63 & 64.

6 *Species* & habitus externus hominum non abhorrebat ab ea re, quæ gerebatur: non erat *peregrina* ob habitum & veſtitum imago *juris* quod ſimularetur Romani: verbo, togati verſabantur in campo, pro roſtris, in palatio.

Aut peregrina nitet ſimulati juris imago.
Indigenas habitus nativa Palatia ſumunt,
Et, patriis plebem caſtris ſociante Quirino,
Mars auguſta ſui renovat ſuffragia campi.
Qualis erit terris, quem mons Evandrius offert
Romanis avibus, quem Tibris inaugurat, annus?
Quamquam omnes, quicumque tui cognominis, anni
Semper inoffenſum dederint ſucceſſibus omen,
Sintque tropæa tuas ſemper comitata ſecures!
Hic tamen ante omnes miro promittitur ortu
Urbis & Auguſti geminato nomine felix.
Namque velut ſtellas Babyloniæ cura ſalubres
Optima

8 indignos - ſumant *Vien. marg.* 10 ſibi *al.* 11 erat *MSS. hinc* eat *conj. Heinſ.* 12 annus *vulg.* amnis *MSS. quod ortum ex* annus. 14 dederant *Cuj.* 16 protenditur *i.* portenditur *MS.* 17 Terbis in Aug. *conj. Scal. recepta a Raphel.* Liber *Vien. marg.* numine *MS.* munere *MS.*

8 *Nativa palatia*, q. d. naturalia Romano Imperatori. Repugnare videtur naturæ rei, Imperatorem Romanum eſſe, & Palatium Romanum nunquam adire.

9 *Quirinus*, Quirites, *Plebs*, *Campus* nomina pacis ac togæ ſociantur cum militaribus *Caſtris*, *Marte*. *Mars renovat* inſtauratque *ſuffragia campi ſui*, Martii, reſtituit priſca comitiorum ſolemnia.

11 *Mons Evandrius*, Palatinus, in quo ille habitaſſe credebatur, Liv. 1, 5. Hunc *Romulus ad inaugurandum templum* ceperat Liv. 1, 7. Ex Palatino itaque colle proſpiciebant cælum augurii captandi cauſa: hoc vocat poëta *offerre annum* novi conſulis proſperandum & felici augurio ſignandum, *avibus*, quæ inde a Romulo fauſtæ fuerunt Romanis: ad *Tiberim* eſt campus Martius, ubi habentur comitia.

13 *Tui cognominis*, quos tu nomine tuo Conſul ſignaſti.

15 Felicia quædam ſingulis Honorii conſulatibus contigiſſe, inductione quadam faſtorum & chronicorum probari poteſt.

17 Hoc anno jungitur, hoc enim eſt *geminare nomen Urbis & Auguſti*, quia Honorius Romae conſulatum ſuſcipit. Habet illa Romæ & Auguſti geminatio felix quoddam omen. Origo repetenda videtur ab ipſo Imperatore Auguſto, de quo Sueto. c. 52 *Templa*, *quamvis ſciret etiam Proconſulibus decerni ſolere*, *in nulla tamen provincia*, *niſi communi ſuo Romæque nomine recepit*. Videmus talia templa in nummis v. g. Morelliani theſauri Aug. Tab. 15, 5 it. Claud. Tab. 4, 21 ubi plura Haverc.

18 Conveniunt hæc cum Aſtrologorum dictatis, quorum, ut nullius non artis quæ tum colebatur, peritum fuiſſe noſtrum poëtam, hic locus oſtendit. Non eſt tempeſtivum rem totam diſputare. Ponamus modo verba Firmici junior. 2, 3 *Altitudines - in opportunis genituræ locis homines faciunt beatos.* —— *Hac ex cauſa*

Optima tunc ſpondet mortalibus edere fata,
Cælicolæ cum celſa tenent, ſummoque feruntur
Cardine, nec radios humili ſtatione retundunt:
Haud aliter Latiæ ſublimis ſignifer aulæ,
Imperii ſidus propria cum ſede locavit,
Auget ſpes Italas: & certius omina ſurgunt,
Victrici concepta ſolo. Cum pulcer Apollo
Luſtrat Hyperboreas Delphis ceſſantibus aras,
Nil tum Caſtaliæ rivis communibus undæ
Diſſimiles, vili nec diſcrepat arbore laurus:
Antraque mœſta ſilent, inconſultique receſſus.

At

21 recondunt *vulg.* recumbunt *MS.* 23 prima *vulg.* Sed propria *jam Vic. Vien. Baſ. marg.*

ſit Babylonii *ea ſigna in quibus ſtellæ exaltantur, domicilia earum eſſe voluerunt.*

21 *Retundunt radios*, vt minus potentes ſint, minus efficiant, cum non directe cadant, ſed velut ex transverſo debiliori impetu veniant. Vid. 1, 23. 8, 185. præſertim 35, 135.

22 *Signifer aulæ Latiæ*, Zodiacus, cum quo comparat ordines & dignitates omnes imperii, *locavit ſidus* ſ. ſolem *Imperii*, Honorium Auguſtum, *propria ſede* ſ. ſumma, in conſulatu. Itaque Honorius tanquam beneficum jam per ſe ſidus, locatum in *domicilio* ſuo, Romæ, eo beatiorem faciet rempublicam.

25 In verbo *concepta* miſceri videntur duæ translationes. *Concipi* dicuntur *omina*, vota, preces, in quantum certæ verborum formulæ includuntur: ſed cum dicit *ſurgunt*, cum addit *ſolo victrici* aperte illa cum plantarum feminibus comparat. Ceterum ad exaggerandam felicitatem, quam percipiat Roma ex Auguſti præſentia, comparat hunc cum Apolline, qui præſens Delphos ſuos animat, illo apud Hyperboreos abſente nihil aliis præſtantes.

26 *Hyperborei* illi, ad quos ſtatis temporibus inviſit Apollo ſ. Phœbus, videntur Occidentalis Hiſpanici vel Africani adeo litoris incolæ intelligi non nunquam, ut ad 7, 56 monuimus. Actum eſt de Hyperboreorum illa cum Apolline ſocietate, & hujus ad illos poſt XIX annorum intervalla adventu, copioſe in Commentariis Academiæ ſcientiarum Gottingenſis. Hic illud modo meminerimus, Solis ad ſeptentriones acceſſum hoc modo ſignari a docto poëta non videri, licet *Riphæi* ſ. *Rhipæi* axis mentionem iniiciat: nec enim relinquit Delum Sol, cum ad Tropicum cancri accedit, & æſtatem facit Septentrionalibus. Eſt igitur hic nihil φυσικὸν, ſed imago tantum poëtica, ut per Apollinis ſic abſentiam languent Delphi, ita Roma Auguſto abſente triſtitia quadam conſeneſcit.

29 *Inconſultus*, quod res ipſa ſatis declarat, hic non nominis more accipiendum, ut *inconſideratus*, neque notat eum, cui non reſpondit oraculum; ſed ipſius eſt oraculi

At si Phœbus adest, & frenis grypha jugalem
Riphæo tripodas repetens detorsit ab axe,
Tunc silvæ, tunc antra loqui, tunc vivere fontes,
Tunc sacer horror aquis, adytisque effunditur Echo
Clarior, & doctæ spirant præsagia rupes.
Ecce Palatino crevit reverentia monti,
Exsultatque habitante Deo, potioraque Delphis
Supplicibus late populis oracula pandit,
Atque suas ad signa jubet revirescere laurus.
Non alium certe decuit rectoribus orbis
Esse larem, nulloque magis se colle potestas
Aestimat, & summi sentit fastigia juris.

Attol-

38 lauros *al.*

oraculi epitheton, quod nemo consulit, quod consulit nemini. Illud hic indicandum censui, quod in Thesauro hæc notio prætermissa est.

30 *Gryphos* currui Phœbi junctos ita olim cecini in Gryphum fabula: *Est tamen ut magnos quoque viderit India Gryphas. Hic etenim si quis Phœbi radiantia pictor Ora dedit tabulis inscripta aut pariete templi, Non ille addit equos rapido in temone jugales, Sed Gryphas jungit curru ad lora aurea vinctos.* Vid. Philostr. Vita Apollo. 3, 48. Tales ex monimentis lapidum & nummorum dedit Spanh. Diss. 5 p. 271 sq.

31 *Tripodas* plures, non tantum solemnem illam Pythiæ sedem, sed plures, cortinasque, & pocula adeo, partem divitiarum templi Delphici. cf. 2, 12.

33 *Echo* naturalis effectus speluncarum & cavorum (quæ hic *Adyta* vocantur, quo subire, ἀδυτα, non licet nisi sacerdotibus) certa sibi proportione respondentium. Ad eandem vocis repercussionem respiciunt *doctæ rupes*. Doctus esse putatur, qui reddere accepta a doctore potest.

35 Hinc jam applicat, quæ de Delphis dixerat, ad Palatium, & domum Cæsarum.

38 *Laurus* ornat capita, postes, fasces, Imperatorum: in primis etiam *signa* militaria.

40 *Potestas*, imperium, non magis sentit majestatem suam, ejusque sibi conscia est, quam cum Romæ versatur in Cæsarum palatio, in monte Palatino. Nec enim dubito, illud intelligendum esse urbis an orbis miraculum, cujus descriptionem divinatione mathematica ex ruinis vetereribus effictam dedit Franc. Blanchinus in magnifici splendoris opere postumo *Del Palazzo de' Cesari* Vero. 1738 Durasse per varios casus atque incendia hoc Palatium videtur etiam aliquanto ultra hæc tempora. Vid. *formulam curæ Palatii* apud Cassiod. 7, 5 & Savaro. ad Sidon. car. 23, 432 p. 200. Cf. Iac. Gothofr. ad l. un. C. Theod. de comitib. & tribunis scholarum, ubi pulchre observat, ab illa *Cura Palatii* ortum habuisse splendidissimam illam *Curopalatarum* in Orientali Imperio dignitatem, ab Augusti fastigio proximam.

Attollens apicem ſubjectis Regia Roſtris,
Tot circum delubra videt, tantiſque Deorum
Cingitur excubiis. Juvat infra tecta Tonantis
Cernere Tarpeja pendentes rupe Gigantas,
Cælataſque fores, mediisque volantia ſigna
Nubibus, & denſum ſtipantibus æthera templis,
Aeraque veſtitis numeroſa puppe columnis
Conſita,

44 intra *vulg.* infra *Ald. & MSS.* 45 gigantes *al.* 48 veſte *MSS.* vecte *MS. unde conj. Heinſ.* numeroſo vecte *i. haſta.*

42 Hæc domus *Regia* vocatur præter morem veterum, ſublata nempe nominis invidia. Sic de habitatione Imperatorum poſuit noſter 5, 97. 8, 123. 19, 135 &c. Regia igitur *ſubjecta* ſibi habet in foro *roſtra* &c. Simplex conſpectus tabulæ Romam antiquam exhibentis hunc locum illuſtrat.

44 *Excubiæ Deorum*, Regiam tuentium, videntur ex contrario, nec ſine elegantia dictæ cum reſpectu ad illud Plinii Pan. 52 ubi de ſtatuis Imperatoris extra cellas templorum poſitis, *Tibi*, inquit *maximus honor* excubare *pro templis*. Excubiæ ſi proprietatem verbi ſpectes, ſunt militum extra vallum ſtationes. Utra vero melior ſit lectio, *infra* an *intra* difficile mihi certe eſt dicere, quod rem ipſam ignorem. Probabile tamen videtur fuiſſe in parte rupis Tarpeiæ, forte ex ipſa rupe certe anaglypho opere exciſum, magnificum argumentum, gigantomachiam, aptum ſi quod usquam Jovi Tarpejo & Capitolino. Sic quidem malim, quam argumenta valvarum, de quibus ſtatim, intelligere cum juſto Rycquio de Capitolio c. 17 p. 172. Certe *pendentes Tarpeja rupe gigantas* tale opus quale deſcripſi modo, commode, & graphice dici, mihi liquet.

46 *Cælatæ fores*, valvæ argumentoſæ, ſ. hiſtorica aut fabuloſa argumenta habentes ex aureis laminis quales in templis magnificentioribus fuiſſe vel ſolae Ciceronis Verrinæ docent. De his Capitolii valvis paullo poſt hæc tempora aurum detraxit Stilicho, ſi fides Zoſimo 5, 38.

Signa mediis nubibus volantia intelligam, non vexilla, quæ certis temporibus, ut comitiis, propoſita videntur: ſed ſigna proprie dicta i. e. ſtatuas deorum in faſtigio templorum poſitas ita alto loco, ut qui de imo illas ſuſpicerent, volare eas inter nubes putarent. Paſſim ea videmus in nummis V. G. Tiberii Tab. 5 n. 2 & 18 Morell.

47 *Denſum* æthera interpretari forte licet obſcuratum, ut vix videri poſſit præ templis illum intercipientibus.

48 Columnas roſtratas deſcribit, quas plures fuiſſe in Capitolio & circa illud, oſtendit Rycquius c. 33. Talis eſt, de qua Liv. 42, 20. Quod *Aera conſita columnis* vocat Roſtra illis fixa, ad illum æris præ ferro uſum pertinet, ab antiquiſſimis inde temporibus receptum. Sic Virg. Ge. 3, 29 *Navali ſurgentes ære columnas* appellat. Vid. Servius. *Puppis* mentio hic videtur intempeſtiva, cum de roſtris ſermo ſit, proræ præfixis. Vid. V. L.

Conſita, ſubnixaſque jugis immanibus ædes,
Naturam cumulante manu; ſpoliisque micantes
Innumeros arcus. Acies ſtupet igne metalli,
Et circumfuſo trepidans obtunditur auro.
Agnoſciſne tuos, Princeps venerande, Penates?
Hæc ſunt, quæ primis olim miratus in annis,
Patre pio monſtrante, petis. Nil optimus ille
Divorum toto meruit felicius ævo,
Quam quod Romuleis victor ſub mœnibus egit
Te conſorte dies, cum ſe melioribus addens
Exemplis, civem gereret terrore remoto,
Alternos cum plebe jocos dilectaque paſſus
Jurgia, patriciaſque domos, privataque paſſim
Viſere depoſito dignatus limina faſtu.
Publicus hinc ardeſcit amor, cum moribus æquis
Inclinat populo regale modeſtia culmen,

51 innumeris *conj. Heinſ.* 55 monſtrante vias *Vien. marg. Baſ.*
marg. Plant. marg. 57 quam quos *conj. Heinſ.*

49 Quæ *juga immania* poëta vocat quibus *ſubnixas ædes* celebrat, illæ ſunt *inſanæ ſubſtructionum moles* (ut vocat Cic. pro Milo. c. 20 & 31) quarum hodie miramur cum horrore quodam reliquias.

50 *Cumulare* eſt aliquid ultra juſtum modum menſuramque adjicere. Excelſis collibus ſuperimpoſitæ moles ædificiorum.

51 *Arcuum* triumphalium ex reliquiis ſ. ruderibus, nummisque reſtitutorum contemplatio apud antiquarios, V. G. Montf. 6, 3 fidem Claudiani firmat. Conf. hic 24, 66.

54 Ponit poëta, neſcio, an ſuffragante hiſtoria, hic & mox v. 82 Honorio puero ita placuiſſe Romanam urbem & Palatium, ut a Theodoſio patre, cum de dividendo inter ipſum fratremque imperio ageretur, Occidentem ſibi expeteret. Ceterum ab illis prie mæ pueritiæ temporibus ind ad hunc ſextum conſulatum ſuum» Romæ illum non fuiſſe, ex Gothofrediana chronologia legum, & hoc ipſo poëtæ loco fit veri ſimile. Romæ autem egit Theodoſius, ut docet laudata legum chronologia A. C. 389 poſt devictum Maximum Tyrannum.

58 *Meliora exempla* vocat Trajani præſertim & primorum Antoninorum.

60 *Alternos jocos* & *dilecta jurgia* referenda videtur ad illam circi & ſpectaculorum aliorum libertatem. Sed etiam in convivio *jocandi libertatem* non *permiſſam* modo ab Auguſto, ſed *exactam* quoque narrat Suet. c. 98.

64 *Modeſtia* principis *inclinat* ac demittit majeſtatem ſuam ad populum.

Teque rudem vitæ, quamvis diademate necdum
Cingebare comas, ſocium ſumebat honorum,
Purpureo fotum gremio, parvumque triumphis
Induit, & magnis docuit præludere fatis.
Te linguis variæ gentes, miſſique rogatum
Fœdera Perſarum proceres, cum Patre ſedentem
Hac quondam videre domo, poſitoque tiaram
Submiſere genu. tecum prælarga vocavit
Ditandas ad dona tribus: fulgentia tecum
Collecti trabeatus adit delubra Senatus,

Romano

67 trophæis *MS.* 68 imbuit *al.* faſtis *omnes ante Heinſ.* 71 poſitaque tiara *primæ edit.* poſitoque tiara *al.* 72 præclara *MSS.* 74 collecto ſenatu *MSS.*

65 Primum Conſulatum geſſerat Honorius, h. e. nomen anno dederat vix bimulus A. C. 386: ſed quod *ſocium honorum ſumſiſſe* hic dicitur, illud non ad conſulatum, ſed ad communicatum cum puero triumphi, congiariique diſtribuendi honorem ipſe poëta refert: Auguſti enim nomen & diadema illi dedit demum A. 393 undecenni.

67 Conf. 7, 129.

70 Si audiamus Idacii chronicon, & chronologiam legum Gothofredianam, legati Perſarum A. 384 ipſo, quo natus eſt Honorius, venere, nec Romam venere, ſed Conſtantinopolin. Sed credendum eſt noſtro, etiam hoc anno veniſſe alios, forte occaſione victoriæ & triumphi de Maximo. Haberemus hæc explicatiora, ſi exſtaret commentarius Latini Pacati, qui in fine ſui in Theodoſii hanc victoriam Panegyrici, triumphi ipſius deſcriptionem vel deprecatur vel promittit hoc modo, *Ea vero, quæ Romæ geſta ſunt & geruntur, ingeniis permittenda Romanis ſunt*: (ipſe Pacatus erat Gallus) *qualem te urbi dies primus invexerit, quis in curia fueris, quis in roſtris; ut pompam præeuntium ferculorum curru modo, modo pedibus ſubſecutus, alterno clarus inceſſu, nunc de beſtis* (curru invectus) *nunc de ſuperbia* (pedibus ipſe incedendo) *triumpharis.* —— *Romam vidi, Theodoſium vidi* —— *Ad me longinquæ convenient civitates, a me geſtarum ordinem rerum ſtilus omnis accipiet; a me argumentum poëtica, a me fidem ſumet hiſtoria. Compenſabo tibi iſtam, Imperator, injuriam; ſi, quando de te ipſe nihil dixerim, quod legendum ſit; inſtruam* (ſcriptores dignos) *qui legantur.*

71 *Tiaram*, tegumentum capitis Perſicum, non abſtulere, ſed una cum capite *ſubmiſere* ad genua imperatoris. Hunc habitum declarant nummi.

72 Congiarii deſcriptio, in qua luxuriari Poëtam, non mirabitur, qui recordetur illud Plinii Pan. 25, 2 *locupletatas tribus, datumque congiarium populo*, & reliqua magnifice ibi dicta.

74 *Delubra Senatus* cum vocat, divinitatem ei tribuit, ut 27, 24. Nempe Græcula in primis adulatione non modo Θεὰ Ρώμη, ſed etiam Θεὰ σύγκλητος, & ἱερὰ σύγκλητος in nummis celebratur, qua de re Spanhem. diſſ. 3 p. 139 ſq.

Romano puerum gaudens offerre favori,
Ut novus imperio jam tunc aſſueſceret hæres.
Hinc tibi concreta radice tenacius hæſit,
Et penitus totis inolevit Roma medullis,
Dilectæque urbis tenero conceptus ab ungue
Tecum crevit amor: nec te mutare reverſum
Evaluit propria nutritor Boſporus arce.
Et quoties optare tibi, quæ mœnia malles,
Alludens genitor regni pro parte dediſſet,
Divitis Auroræ ſolium ſortemque paratam
Sponte remittebas fratri. *„Regat ille volentes*
Aſſyrios: habeat Pharium cum Tigrite Nilum:
Contingat mea Roma mihi!„ Nec vota fefellit
Eventus. Fortuna, novum molita tyrannum,
Jam tibi quærebat Latium; belloque ſecundo
Protinus Eoa velox accitus ab aula
Suſcipis Heſperiam patrio bis Marte receptam.

77 conſerta *Vien. Baſ. Plant. omnes in marg.*
79 teneris - annis *ante Heinſ.*

77 *Concreta radice*, pulchra metaphora, a ſeminibus & plantis, quæ *concreſcere*, *coaleſcere*, *comprehendere* dicuntur. Vim verbi auget *penitus*, quod intimarum conjunctionem partium indicat; & *inoleſcere*, increſcere, & *medullæ* quæ arborum etiam ſunt.

81 *Propria* Honorii *arx* Conſtantinopolis ad *Boſporum*, quo nomine non anguſtiæ tantum illæ maris quæ Propontidi Pontum jungunt, ſed ſpeciatim portus ille venit, ad cujus ingreſſum erat prima regio urbis, & in ea ipſum Palatium magnum, ſedes Imperatorum, vbi natus Honorius & prima nutrimenta hauſerat.

82 Confirmat poëta & declarat, quæ v. 54 brevius innuerat. Jungenda verba, *quæ mœnia*, utram urbem, *pro parte* tua *regni* malles.

85 *Remittere* eſt velut de jure ſuo concedere aliquid: poterat nempe in illo ludo Honorius data ſibi optandi poteſtate deſumere ſibi utrum mallet.

86 *Pharium* vocant poëtæ, quidquid Aegyptium eſt, ob nobilitatem Phari turris & inſulæ ad Alexandream. *Tigridis* nomine extremum ad Orientem finem imperii ultra Euphraten indicat, ut Meſopotamiam complectatur, Niſibin, Seleuciam, Cteſiphonem.

88 Videtur Fortuna ideo faviſſe Maximo, ac deinde Eugenio tyranno, ut alliceret in eas partes Theodoſium, et cum eo Honorium, quem triumphi ſui ille volebat eſſe participem.

91 *Bis receptam*, a Maximo, & Eugenio. De hoc Zoſim. 4, 58: de illo ibid. c. 46.

Ipſa per Illyricas urbes Oriente relicto
Ire Serena comes, nullo deterrita caſu,
Materna te mente fovens, Latioque futurum
Rectorem, generumque ſibi. Seniore ſupernas
Jam repetente plagas, illo ſub cardine rerum
Sedula ſervatum per tot diſcrimina pignus
Reſtituit ſceptris patrui, caſtriſque mariti.
Certavit pietate domus, fidæque reductum
Conjugis officio Stilichonis cura recepit.
Felix ille parens, qui te ſecurus Olympum
Succedente petit. quam lætus ab æthere cernit
Se factis creviſſe tuis! duo namque fuere
Europæ Libyæque hoſtes. Mauruſius Atlas
Gildonis furias, Alaricum barbara Peuce
Nutrierat: qui ſæpe tuum ſprevere profana
Mente patrem. Thracum venientem finibus alter
Hebri clauſit aquis; alter præcepta vocantis
Reſpuit; auxiliiſque ad proxima bella negatis
Abjurata palam Libyæ poſſederat arva.
Quorum nunc meritam repetens non immemor iram
Suppliciis fruitur, natoque ultore triumphat.
Enſe Thyeſtiadæ pœnas exegit Oreſtes:

Sed

100 officiis *al.* obſequiis *MS.* 107 veniens e *Vien. Junt. Ald. Baſ. Barth.* 109 rogatis *Vic. Vien. Baſ. marg.* 113 Thyeſtiadem, *it.* Thyeſtiades *al.*

92 *Serena* Stilichonis uxor ſoror patruelis, & adoptiva Honorii, ſed aliquantum ætate illum prægreſſa, mox futura ſocrus, nunc educatrix (Vid. Tabula generis Theodoſii).

95 Nempe Theodoſius mox ab illa de Eugenio victoria & triumpho vita functus eſt A. C. 395.

101 *Securus* proprie, ſine cura, quid futurum eſſet relictis & poſteris. Cf. 7, 158.

108 Vid. 15, 246.

111 Neſcio quam bene Theodoſius apud ſuperos dicatur *frui* h. e. gaudere *ſuppliciis* rebellium. Vid. 22, 14. Sed demus veniam poëtæ externo, vel illius dicta interpretemur, ut ſolemus ſimilia eorum, qui nobis ſacroſancti ſunt.

113 *Thyeſtiades* Agamemnon, quem Pliſthenis filium alii faciunt, ut Apollod. 3, 2. 2, fratris Thyeſtæ, apud Homerum Il. B, 108 certe ſceptrum accepit a Thyeſte: fuerit igitur Thyeſtiades certe ſucceſſor Thyeſtæ.

Sed miſtum pietate nefas; dubitandaque cædis
Gloria, materno laudem cum crimine penſat.
Pavit Iuleos inviſo ſanguine Manes
Auguſtus. ſed falſa pii præconia ſumſit
In luctum patriæ civili ſtrage parentans.
At tibi cauſſa patris rerum conjuncta ſaluti
Bellorum duplicat lauros, iiſdemque tropæis
Reddita libertas orbi, vindicta parenti.
Sed mihi jam pridem captum Parnaſſia Maurum
Pieriis egit fidibus chelys. arma Getarum
Nuper apud ſocerum plectro celebrata recenti.
Adventus nunc ſacra tui libet edere Muſis,
Grataque patratis exordia ſumere bellis.
Jam Pollentini tenuatus funere campi,
Conceſſaque ſibi (rerum ſic admonet uſus)

115 maternæ *ante Heinſ.* 117 ſæua *MSS. Cuj.* 118 parentis *vulg.* parentans *etiam Baſ. marg.*

Thyeſtæ. Grammatici virtus eſt quædam neſcire. Genealogiæ quædam hic quoque ἀπέραντοι, qualibus interdicitur 1 Tim. 1, 4. Ceterum Clytæmneſtram matrem, quæ adjuvante Aegiſtho adultero virum ſuum Agamemnona interfecerat, ab Oraculo excitatus occidit Oreſtes, & tamen ob hoc facinus Furiarum taedis ardentibus exagitatur.

116 Interfectores Julii Cæſaris bello & omni alia vi perſequi non deſiit Auguſtus, *Cæſaris ultor* Hor. Car. 1, 2. 44. Sed dum pius videri vult in patrem adoptivum, cui ſic *parentat* & honores ultimos perſolvit, impius eſt in patriam.

119 Tu, Honori, dum paternas injurias ulciſceris, eadem ſalutem reip. procuras, ac duplicem ita laurum coronamque mereris.

121 De Bello Gildonico agit carmen 15, de Getico contra Alaricum n. 26, & quidem *apud ſocerum*. Stilichonem enim alloquitur, & prædicat, unde maluit eum librum quartum de laudibus Stilichonis vocare Barthius.

125 Nunc *libet Muſis meis ſacra*, cerimonias, *adventus tui* Romani ad Conſulatum ſuſcipiendum *edere*, & *exordia* hujus enarrationis *ſumere* a *bellis* patratis. Verum eſt, quod monet Barthius, *exordia* poni ſolere a Columella pro totis libris: ſed hoc nihil, ſi quid video, ad h. l. Hic enim hoc tantum dicit, ſe velle præmittere ſolemnibus conſulatus deſcribendis imaginem devicti & redacti ad incitas Alarici. Ceterum ad Auguſti adventum redit demum v. 331.

128 *Pollentini campi funere* h. e. cæde exercitus ſui ad Pollentiam fractus erat Alaricus. Vid. 26, 635.

129 Non omiſimus monere ſupra, fuiſſe in criminibus Stilichonis emiſſum Alarichum. Ipſe noſter non clementiæ modo illud tribuit, ſed etiam prudentiæ cuidam 26, 95.

Luce, tot amiſſis ſociis, atque omnibus una
Direptis opibus, Latio diſcedere juſſus
Hoſtis, & immenſi revolutus culmine fati,
Turpe retexit iter. Qualis piratica puppis,
Quæ, cunctis infenſa fretis, ſcelerumque referta
Divitiis, multaſque diu populata carinas,
Incidit in magnam bellatricemque triremem;
Dum prædam de more parat, viduataque cæſis
Remigibus, ſciſſis velorum debilis alis,
Orba gubernaclis, antennis ſaucia fractis,
Ludibrium pelagi vento jactatur & unda,
Vaſtato tandem pœnas luitura profundo.
Talis ab Urbe minas retro flectebat inanes
Italiam fugiens, & quæ venientibus ante
Prona fuit, jam difficilis, jam dura reverſis.
Clauſa putat ſibi cuncta pavor, retroque relictos,
Quos modo temnebat, rediens exhorruit amnes.
Undoſa tum forte domo vitreiſque ſub antris
Rerum ignarus adhuc ingentes pectore curas
Volvebat pater Eridanus, quis bella maneret
Exitus: imperiumne Jovi, legeſque placerent,
Et vitæ Romana quies, an jura peroſus
Ad priſcos pecudum damnaret ſæcula ritus.

Talia

136 triremim *MS.* 137 putat *vulg.* 143 Italia *MS.* 146 terrebat *ante Heinſ.* 152 victus *MS.* rictus *MS.*

132 *Retexit iter*, relegit, Metaphora pulchra, non judicanda ex noſtris moribus, ſed ex illius conſuetudine temporis, quo nulla domus eſſet, neque tam humilis, neque tam magnifica, quæ non haberet textrinum, cujus operis nec reginas puderet, quæ ſua manu, veſtes texere ſuis caritatibus, decorum ſibi putarent.

140 Videtur reſpexiſſe Hor. Car. 1, 14 illud præſertim v. 15 *Tu*, navis, *niſi ventis ludibrium debes, cave.*

144 Illud *prona* etiam in proſa placuit Plinio Pan. 16. 5 *Omnia hæc tam prona, tam cedentia virtutibus tuis ſentiet* &c.

149 *Eridanum* inducit, quod res in ſuperiori parte Italiæ, ubi Padus regnat ſ. Eridanus, geſta eſt.

150 Epitheton *Romana* etiam ad *Imperium* & *Leges* revocandum.

Talia dum ſecum movet anxius, advolat una
Naiadum, reſoluta comam; complexaque patrem,
„*En Alaricus*, ait, *non qualem nuper ovantem*
Vidimus. exſangues, genitor, mirabere vultus.
Percenſere manum, tantaque ex gente juvabit
Relliquias numeraſſe breves. jam deſine mœſta
Fronte queri, Nymphaſque choris jam redde ſorores.„
Dixerat. ille caput placidis ſublime fluentis
Extulit, & totis lucem ſpargentia ripis
Aurea roranti micuerunt cornua vultu.
Non illi madidum vulgaris arundine crinem
Velat honos. rami caput umbravere virentes
Heliadum, totiſque fluunt electra capillis.
Palla tegit latos humeros, curruque paterno
Intextus Phaëthon glaucos incendit amictus.
Fultaque ſub gremio cælatis nobilis aſtris

155 adeſt *MS.* 159 i, redde *conj. Heinſ.* ſonoris *MSS. it. Baſ. marg.* 168 fulvaque *Baſ. marg. ſed* fulta *firmat Heinſ. ex 26, 223.*

157 *Percenſere manum* cum dicit, paucitatem ſignificat, quæ jam non dici meretur exercitus, quae non campis, quos occupat, cenſetur, ſed nullo negotio *percenſeri* & ſingulatim numerari poteſt.

162 *Cornua fluminibus*, etiam cum tauriforme caput non habent, tribui, jam monuimus ad 20, 163. *Aurea* hic ſunt, puto, ad indicandam illam divinitatem & καταστερισμὸν Eridani. Eſt hic locus in iis, ubi non variam modo eruditionem oſtendit noſter; ſed etiam audaciam ſibi ſumſit poëtæ primarii. Ponit Eridanum ſ. Padum in hac gratulatione non vulgari fluviorum habitu uſum: ſed cæleſte decus ſuum præ ſe ferre cornibus aureis, corona, amictu figurato & urna: eaque ſumit omnia ex Phaëthontis fabula, ut mox ſingulatim videbimus.

164 *Honos* capitis, corona, hic non eſt, ut alias arundinea, ſed populea, in quam arborem mutatæ Phaëthontis ſorores, *Heliades*: ex hac corona *fluunt* ſ. ſtillant electra &c.

166 Jam illud novum & ξένον quod *pallam* dat Eridano, cum nudi ſint alias, nec immerito, Fluvii. In hac palla glauci coloris ſ. aquei ex auro intextus eſt Phaëthon, in curru Solis patris adhuc hærens.

168 Urna, qua inniti ſolent in nummis & marmoribus fluvii, hic ſphæræ cæleſtis quandam habet imaginem, aſtris diſtincta iis, quæ habent aliquam ad ipſum Eridanum & Phaëthonta comparationem vel reſpectum. *Titan* eſt Phœbus, Hyperion, Sol quem in hoc ipſo argumento τιτάνων κάμιστον appellat Lucianeus Jupiter Dial.

Aethereum probat urna decus. namque omnia luctus
Argumenta sui Titan signavit Olympo,
Mutatumque senem plumis, & fronde sorores,
Et fluvium, nati qui vulnera lavit anheli.
Stat gelidis auriga plagis: vestigia fratris
Germanæ servant Hyades, Cycnique sodalis
Lacteus

Dial. Deor. 25 pr. Titan igitur ipse luctus sui ex filii interitu argumenta, hoc *Olympo*, hac urna qualicunque imagine cæli, *signavit*.

171 *Cycnus* senex, *rex Liguriæ*, *Phaëthonti propinquus*, *dum deflet propinquum*, *in cycnum conversus est*, teste Hygino fab. 154. Habet fabulam etiam Naso Met. 2, 367: neuter hunc cycnum cælo assignat, ut nec Aratus v. 273, nec illius Germanicus interpres ibid. neque Eratosthenes c. 25, qui potius illum cycnum honorant, sub cujus forma Jupiter Nemesi potitus est. Sed utitur noster poëtæ iure, & quid ni?

Fronde mutatæ sunt *sorores* Phaëthontis, Heliades, ut indicavimus, in *populos*, quibus *ulmos* vel *alnos* alii substituunt, e quibus stillans resina durari putabatur in electrum. Hæc dominatrix fabula pulchre narrata Ovid. Met. 2, 340 sqq.

172 *Fluvium*, Eridanum, signavit in urna, quæ hic describitur, Phœbus, qui sui h. e. Phœbi filii, *anheli* ab æstu, a casu, a morte imminenti *vulnera lavit*. Eridanus nempe jam Arati tempore in cælo fuit, Λείψανον Ηριδανοῖο πολυκλαύτου ποταμοῖο, ut est v. 359. Sequi autem videtur Claudianus Germanicum, qui a verbo πολυκλαύτου, *flebilis* admonitus forte, pulchre sic devincit has fabulas v. 360 sq. ut prædicet *Amnem*, *qui Phaëthonta suas deflevit ad undas Postquam patris equos non æquo pondere rexit*, *Vulnere reddentem flammas Jovis*: *hunc nova silva Planxere*, *ignotis* (antea) *mœstæ Phaëthontides ulmis*. Tum, *Eridanus medias liquidis interjacet undis*. Docet V. Scholiasta Germanici ad h. l. *ab Hesiodo inter astra collocatum Eridanum propter Phaëthonta*. Sed addemus etiam reliqua ad lucem Claudiani: *Hujus pars undæ lævum tenet Orionis Lapsa pedem*.

173 *Auriga* cælestis, Heniochus, vulgo Erichthonius, inventor currus, prædicatur; vel Myrtilus, Oenomai auriga. V. German. v. 156. (Aratus enim ipse v. 161 simpliciter ἡνιόχον habet) & Manil. 1, 369 & 5, 69. Plures habet fabulas Hygi. Poët. Astron. c. 13 p. 446 Stav. Quibus hanc, nempe Phaëthonta esse illum aurigam curru excussum, vel ex Hesiodi libro deperdito addit noster, ut illud quod observatum a Germanici Scholiaste modo monuimus, vel etiam iure poëtæ usus confingit. Quidquid ejus sit, similia Nonnus 38, 424 Ζεὺς δὲ πατὴρ Φαέθοντα κατεστήριξεν Ὀλύμπῳ Ἡνίοχον Ἡελίου καὶ ἐπώνυμον.

Quomodo *Hyades* sint *Germanæ* Phaëthontis, non puto traditum esse historice. Sed videtur Claudianus physiologice hoc indicare, Hyadas s. *Pluvias* (quod perpetuum earum non tam epitheton, quam synonymon est, de quo Heins. ad Aen. 3, 516) esse filias Solis, qui eas tollit ac suscipit ex mari s. Tethye, adeoque Phaëthontis sorores.

174 *Lacteus circulus cycni sodalis* est, quia in illo conspicitur: ut Hor. Car. 1, 25. 9 *Hiemis sodalis Eurus*.

Lacteus extentas aſpergit circulus alas.
Stelliger Eridanus ſinuatis flexibus errans
Clara Noti convexa rigat, gladioque tremendum
Gurgite ſidereo ſubterluit Oriona.
Hoc Deus effulgens habitu proſpectat euntes
Dejecta cervice Getas. tunc talia fatur.
„*Siccine mutatis properas, Alarice, reverti*
Conſiliis? Italæ ſic te jam pœnitet oræ?
Nec jam cornipedem Tiberino gramine paſcis,
Ut rebare, tuum? Tuſcis nec figis aratrum
Collibus? o cunctis Erebi digniſſime pœnis,
Tune Giganteis urbem tentare Deorum
Aggreſſus furiis? nec te meus, improbe, ſaltem
Terruit exemplo Phaëthon, qui fulmina præceps
In noſtris efflavit aquis, dum flammea cæli
Flectere terrenis meditatur frena lacertis,
Mortalique diem ſperat diffundere vultu?
Crede mihi, ſimili bacchatur crimine, quiſquis
Adſpirat Romæ ſpoliis, aut Solis habenis.„
Sic fatus, Ligures Venetosque erectior amnes
Magna voce ciet. Frondentibus humida ripis
Colla levant, pulcer Ticinus, & Addua viſu
Cærulus,

176 fluctibus *ante Heinſ.* 177 gladiique *MS. quod venuſtum ait Heinſ.*
179 proſpexit *ante Heinſ.* 193 ut *Raphel.*

176 De hoc jam dictum ad 172. Eridanum hunc cæleſtem *Noti convexa rigare*, verſus meridionalem polum ſ. antearcticum tendere, ut reliqua, quæ hic ἀσρολογεῖ noſter, ipſo conſpectu ſphæræ optime declarantur.

180 *Dejecta cervice* ad *Getas* pertinere, metu perculſos dejectosque vix monitu opus eſt.

188 Comparemus illa Germanici ad v. 172 laudata, *Vulnere reddentem flammas Jovis*, cui reſpondet ſolum ibi *anheli* epitheton.

190 *Meditatur* non ad ſolam cogitationem referri, ſed ad ipſam operis exercitationem, etiam hic res, de qua agitur, oſtendit.

191 *Vultu* ſuo illo lucido, qui ipſe Sol eſt, diffundit lumen Phœbus, quem imitari Phaëthon auſus eſt. Ideo Phœbus *pater ora ſui ſacro medicamine nati Contigit: & rapidæ fecit patientia flammæ Impoſuitque comæ radios*, Ovid. Met. 2, 124.

Cærulus, & velox Atheſis, tarduſque meatu
Mincius, inque novem conſurgens ora Timavus.
Inſultant omnes profugo, pacataque lætum
Invitant ad prata pecus. jam Pana Lycæum,
Jam Dryadas revocant, jam ruſtica numina Faunos.
Tu quoque non parvum Getico, Verona, triumpho
Adjungis cumulum: nec plus Pollentia rebus
Contulit Anſoniis, aut mœnia vindicis Aſtæ.
Hic rurſus, dum pacta movet, damniſque coactus
Extremo mutare parat præſentia caſu,
Nil ſibi perjurum ſenſit prodeſſe furorem,
Converti nec fata loco; multiſque ſuorum
Diras pavit aves; inimicaque corpora volvens
Jonios Atheſis mutavit ſanguine fluctus.
Oblatum Stilicho violato fœdere Martem
Omnibus arripuit votis, ubi Roma periclo
Jam procul, & belli medio Padus arbiter ibat.
Jamque opportunam motu ſtrepuiſſe rebelli

Gaudet

204 Haſtæ *MSS. etiam Cuj.* 205 novat *malebat Heinſ.* 207 ſentit *MSS.* 209 aquas *MS.* 212 medius *vulg.* medius belli *Barth. 2.* 213 ſtatuiſſe *Baſ. marg.*

198 De ſeptem an *novem Timavi ostibus* dictum ad 7, 120.

202 Ad *Veronam* prælio ſuperatum fuiſſe dicit Alaricum, cum poſt Pollentinam cladem denuo arma moveret: itemque ad *Aſtam* urbem.

205 *Pacta movere*, non ſtare conditionibus de quibus convenit.

207 *Fata loco converti* poſſe putabat Alaricus, feliciorem ſe futurum in illis partibus ultra Padum remotis, quam fuerat propius Romam. Recordabuntur hic, qui noſtros de religione libros amant, opinionum Balaci Num. 24, 23. & Syrorum 3 Reg. 20, 23.

209 Ultrane conſuetum extendit *Jonios fluctus*, cum in intimum Adriæ ſinum influat Atheſis: an horribili hyperb. decoloratum ait totum mare Adriaticum quam longum eſt usque ad Calabriam & Epirum, ubi demum iacipit Jonium? Neutro opus eſt, *Jonii fluctus* ſunt *ſinus Jonius*, κόλπος Ἰόνιος, quo nomine etiam hiſtorici mare Adriaticum appellant. Vid. Palmer. ad Thuc. 1, 24 pr.

210 Nimis forte bonum virum hic putabant poëtam noſtrum, qui tum erant magni politici. Non debebat *votis omnibus*, certe non apertis, *arripere perfidiam* Alarici Stilicho; ſed ingemiſcere infortunio illius & ſuo, qui cogeretur invitus cæde hominum pacem parare Italiæ. Cf. ad v. 219.

Gaudet perfidiam. Præbensque exempla labori
Suſtinet accenſos æſtivo pulvere ſoles.
Ipſe manu metuendus adeſt, inopinaque cunctis
Inſtruit arma locis, &, qua vocat uſus, ab omni
Parte venit. Feſſo ſi deficit agmine miles,
Utitur auxiliis damni ſecurus, & aſtu
Debilitat ſævum cognatis viribus Iſtrum,
Et duplici lucro committens prælia vertit
In ſe barbariem nobis utrimque cadentem.
Ipſum te caperet, letoque, Alarice, dediſſet,
Ni calor incauti male feſtinatus Alani
Diſpoſitum turbaſſet opus. prope captus anhelum
Verbere cogis equum. nec te vitaſſe dolemus.
I potius genti reliquus, tantiſque ſuperſtes
Danubii populis, i, noſtrum vive tropæum.
Non tamen ingenium tantis ſe cladibus atrox
Dejicit: occulto tentabat tramite montes,
Si qua per ſcopulos ſubitas exquirere poſſet

In

214 laboris *vulg.* 215 æſtivos accenſo *conj. Heinſ.* 217 quo *malit Heinſ.* 227 gentis reliquum *ante Heinſ.* 228 in noſtrum *ante Heinſ. qui vid. ad Ovid. 4, 127 & 14, 126. Sed add. Burm. ad locum priorem.* 230 montis *vulg.* obliquo-vertice montis *MS.* 231 ſi quas *vulg.*

214 Interpungendum ante *Præbensque*, cum nova res adjungatur. Qua in re etiam τῇ *que* locum eſſe, Suetonii aliorumque exemplis monuit Cl. Erneſtus ad Sueto. Nero. 38.

215 Conf. 21, 350.

218 De aſſumtis Alanorum, Geticæ gentis ipſius quoque, contra ſuos populares auxiliis agit, de quibus conf. 26, 580 ſq. Ceterum hic etiam hominem minime malum ſe probat Claudianus, qui tribuat Stilichoni conſilium & aſtum, barbaros mutuis cædibus arterendi. Inſanum quantum plus aceti in pectore habent hodie proceres, qui negant ſe agere quod faciunt, ſed Pacem & Conſtitutionem ſe noſtram tueri, ſerio teſtantur. Verſus hi pulcherrimi, veriſſimi (vid. Oroſ. 7, 37 pr. & 43) niſi quod parum decebat Claudianum, hæc vivo Stilichone in laudibus illius commemorare publice &c.

224 *Alanus* ille Saulus vocatur Paulo Diacono Hiſt. Miſc. 13, 26 qui vero totam hanc hiſtoriam ita narrat, ut multum a noſtro & Prudentio in Symm. 2, 709 ſq. diſſentiat. De hoc porro nimio Sauli vel Saulis ardore, & periculo Alarici, nihil, puto, alii. Captam non multo poſt ab illo Romam, mirum non eſt taceri a noſtro: etiam ſi forte ſupervixerit.

In Rhætos Galloſque vias. ſed fortior obſtat
Cura ducis. quis enim divinum fallere pectus
Poſſit, & excubiis vigilantia lumina regni?
Cujus conſilium non umquam repperit hoſtis,
Nec potuit texiſſe ſuum. ſecreta Getarum
Noſſe prior, celerique dolis occurrere ſenſu.
Omnibus excluſus cœptis conſidit in uno
Colle tremens: frondeſque licet depaſtus amaras
Arboreo figat ſonipes in cortice morſus,
Et tetris collecta cibis annique vapore
Sæviat aucta lues, & miles probra ſuperbus
Ingerat obſeſſo, captivaque pignora monſtret:
Non tamen aut morbi tabes, aut omne periclum
Docta ſubire fames, aut prædæ luctus ademtæ,
Aut pudor, aut dictis movere procacibus iræ,
Ut male tentato toties ſe credere campo
Cominus auderet. nulla eſt victoria major,
Quam quæ confeſſos animo quoque ſubjugat hoſtes.
Iamque frequens rarum decerpere transfuga robur
Cœperat, inque dies numerus decreſcere caſtris;
Nec jam ſeditio paucis occulta parari,
Sed cunei totæque palam diſcedere turmæ.
Conſequitur, vanoque fremens clamore retentat,
Cumque ſuis jam bella gerit: mox nomina ſupplex

Cum

234 excubias *per appoſitionem ad* lumina *malebat Heinſ.* numina *Vic. Vien. Baſ. marg. Plant. marg.* pfallere *Vic.* 238 conſidit *MSS.* conſedit *vulg.* in imo *Baſ.* 241 amnisque *MS.* annisque, *it.* animique, omnique *MSS.* animique pavore *MS.* 244 rabies *MSS. Vic. Vien. Baſ. marg.* 252 deditio *ante Heinſ.* 253 deſcendere *MSS.* diſcernere, decreſcere *MS.* deſciſcere *conj. Heinſ.* 255 numina *ante Heinſ. qui* nomina *ex MSS. dedit, & firmavit exemplis aliorum.*

243 *Captiva pignora*, conjuges, liberos jam incluſos, mox venturos in poteſtatem hoſtis.

255 *Nomina - ciet*, nobiliſſimos quosque & inſignes nominatim compellat, rogat, ut aut ſecum & pro ſe pugnent, aut ſe, cauſam malorum, interficiant. Sic 5, 369 it. 22, 153 ubi vid.

Cum fletu precibusque ciet, veterumque laborum
Admonet, & fruſtra jugulum parcentibus offert:
Defixoque malis animo ſua membra ſuaſque
Cernit abire manus. qualis Cybeleia quaſſans
Hyblæus procul æra ſenex revocare fugaces
Tinnitu conatur apes, quæ ſponte relictis
Deſcivere favis; ſonituque exhauſtus inani
Raptas mellis opes, ſolitæque oblita latebræ
Perfida deplorat vacuis examina ceris.
Ergo ubi prælucſæ voci laxata remiſit
Frena dolor, notas oculis humentibus Alpes
Adſpicit, & nimium diverſi ſtamine fati
Præſentes reditus, fortunatosque revolvit
Ingreſſus. ſolo peragens tum murmure bellum,
Protento leviter frangebat mœnia conto,
Irridens ſcopulos: nunc deſolatus & exſpes
Debita pulſato reddit ſpectacula monti.
Tunc ſic Auſonium reſpectans æthera fatur:
„*Heu regio funeſta Getis, heu terra ſiniſtris*
Auguriis calcata mihi, ſatiare nocentum
Cladibus,

261 conatus *MS.* 266 notasque *ante Heinſ.* 270 (Pro) tanto *Vien. marg.* 273 dixit *Cuj.*

259 *Cybeleia æra* pelves & tintinnabula, qualibus uti & tinnitum ſtrepitumque excitare ſolebant Cybeles ſ. Matris Deum cultores, Galli præſertim illi ſ. exſecti.

260 *Hyblæus* ſenex, incola Hyblæ, Attici montis, cujus apes & mella præter ceteras laudantur.

267 *Stamen fati*, ſolita Metaphora a colo & filis Parcarum, notat tenorem & continuationem eventuum fortunæ.

269 *Murmur* intelligo imperia, non magno clamore promulgata, ſed paucis amicis circumſtantibus ſubmiſſa voce impertita. Sic tum peragebat ſine ſtrepitu bellum.

270 Utrum hæc de *protento conto*, & *ſcopulis irriſis* hiſtoricum quid habeant, an modo ſint ſymbola arbitraria poëtæ, quibus auctoritatem & potentiam Alarici indicare voluerit, in medio relinquo: niſi quod v. 272 *debita pulſato monti ſpectacula* ſuadere videntur quiddam ſimile Xerxis inſolentiæ compedes iniicientis & verbera intentantis mari.

274 In hac oratione ne de ipſo ſoliloquio ſive Monodia dicam, quod

Cladibus, & tandem noſtris inflectere pœnis!
En ego, qui toto ſublimior orbe ferebar,
Ante tuum felix aditum, ceu legibus exſul,
Addictuſque reus flatu propiore ſequentum
Terga premor. quæ prima miſer, quæ funera dictis
Poſteriora querar? non me Pollentia tantum,
Nec captæ cruciaſtis opes. hoc aſpera fati
Sors tulerit, Martiſque vices. non funditus armis
Concideram. ſtipatus adhuc, equitumque catervis
Integer, ad montes reliquo cum robore ceſſi,
Quos Apenninum perhibent. Hunc eſſe ferebat
Incola, qui Siculum porrectus aduſque Pelorum
Finibus ab Ligurum populos complectitur omnes
Italiæ, geminumque latus ſtringentia longe
Utraque perpetuo diſcriminat æquora tractu.
Huc ego continuum ſi per juga tendere curſum,
(Ut prior iratæ fuerat ſententia mentis;)
Jam deſperata valuiſſem luce, quid ultra?

Omnibus

282 raptæ *Barth.* cruciatis *ante Heinſ.* 288 ad Lig. *vulg.* a Lig. *MSS.* ad *etiam Barth.* amplectitur *ante Heinſ.* 290 diſterminat *MSS. ut* 3, 175. 291 hunc, hic, hoc, hæc, hinc *al.* continuo — curſu *MS.* 293 voluiſſem *vulg.*

quod genus univerſum impugnare, nimium forte audax fuerit, illud certe reprehendendum videtur, quod illa nimis figurata & picta eſt: ut illud quod v. 280 dubitat, *quæ prima, quæ poſteriora* queratur, quod a v. 286 Apennini deſcriptionem interit.

278 *Ante tuum aditum*, ante aliquanto quam te adirem: collectis ex Græciæ & Illyrici præda divitiis.

279 *Flatu - ſequentum terga premor* picturam habet Ovidianæ ſimilem Met. 1, 539 *Tergoque fugaci Imminet, & crinem ſparſum cervicibus adflat.* Et 5, 616 *Ingens Crinales vittas adflabat anhelitus oris.*

286 Vera & pulchra Apennini deſcriptio, qua hodie utuntur, qui orbem noſtrum per illa montium & ultra terræ planitiem eminentium, & ſub mari adeo porrectorum, juga deſcribunt: ſed quam in ejusmodi occaſione in mentem venire Alarico, nimis improbabile eſt. Audirem, ſi iſta narraret Alaricus otioſus cuicunque amico.

293 Si *deſperata jam luce* vitæ hujus, felicitatis certe, potuiſſem Italiam, quam longa eſt, per Apennini juga percurrere; quid profeciſſem? Hoc certe ut glorioſius & propius Romam perirem. Diceretur, *magnis tamen excidit auſis*, quod in Phaëthontis ſepulcro ſcriptum memorat Ovid. Met. 2, 327.

Omnibus oppeterem fama majore periſtis:
Et certe moriens propius te, Roma, viderem.
Ipſaque per cultas ſegetes mors noſtra ſecuto
Victori damnoſa foret. Sed pignora nobis
Romanus, caraſque nurus prædamque, tenebat.
Hoc magis exſertum raperem ſuccinctior agmen.
Heu, quibus inſidiis, qua me circumdedit arte
Fatalis ſemper Stilicho! dum parcere fingit,
Rettudit hoſtiles animos, bellumque remenſo
Evaluit transferre Pado. Proh fœdera ſævo
Deteriora jugo! tunc vis extincta Getarum.
Tunc mihi, tunc letum pepigi. violentior armis
Omnibus expugnat noſtram clementia gentem.
Mars gravior ſub pace latet, capiorque viciſſim
Fraudibus ipſe meis. Quis jam ſolatia feſſo
Conſiliumve ferat? ſocius ſuſpectior hoſte.
Atque utinam cunctos licuiſſet perdere bello!
Nam quiſquis duro cecidit certamine, numquam
Deſiit eſſe meus. melius mucrone perirent,

Auſer-

294 meliore *vulg.* peremtis *MSS.* majore perillis *Cuj. f.* perielis.
302 extulit *Vic.* rettulit *alii omnes.* rettudit *MSS.* & *Baſ. marg.* & *verum judicavit cum Barth. Heinſ.* 309 dabit *MSS.*
310 o utinam *MSS.* 312 deſinit, deſiit *MSS.*

296 Turbatus nimium ordo impedire poteſt etiam non rudem lectorem: Ipſa mors noſtra damnoſa victori fuiſſet, perſequi nos coacto per ſegetes, easque conculcare.

297 Obiicit ſibi, quod commodius amicus excuſandi illius cauſa diceret, Non conſultum fuiſſe vaſtare Italiam, cum haberent Romani captivas Getarum vxores & alia pignora. Reſpondet, Tanto expeditius futurum fuiſſe agmen. Hoc enim eſt *exſertum*, vt brachium non impeditum pallio, toga, penula.

302 *Rettudit*, minus acrem & velut hebetem reddidit animum meum, paullo ante hoſtilem. Solet noſter illo verbo præſertim de lucis radiis uti, cum illi, ut ſagittæ obtuſæ, minus ſunt penetrabiles. Quod duplicata eſt poſt ſyllabam *re* prima verbi conſonans, poterat etiam intermitti, cum optimi quique libri eam ſyllabam ancipitem eſſe oſtendant. Sed dictum hac de re copioſe in Theſauris.

307 In hoc bene conſulit patrono ſuo Stilichoni, quod inducit confitentem Alaricum, arte ſe ſua, fraudibus ſuis captum.

Auferretque mihi luctu leviore ſodales
Victa manus, quam læſa fides. nulluſne clientum
Permanet? infenſi comites: odere propinqui.
Quid moror inviſam lucem? qua ſede recondam
Naufragii fragmenta mei? quæve arva requiram,
In quibus haud umquam Stilicho, nimiumque potentis
Italiæ noſtras nomen circumſonet aures? „
Hæc memorans inſtante fugam Stilichone tetendit
Expertas horrens aquilas. comitatur euntem
Pallor, & atra Fames, & ſaucia lividus ora
Luctus, & inferno ſtridentes agmine Morbi.
Luſtralem ſic rite facem, cui lumen odorum
Sulfure cæruleo nigroque bitumine fumat,
Circum membra rotat doctus purganda ſacerdos,
Rore

315 offenſi *MSS.* 319 circumſonat *al.* 324 *pro* rite, *quod habent etiam Cuj. & Claver.* triſte *reliqui, etiam Barth.*

321 *Aquilas* pro ipſis jam Romanis legionibus ponit antiquo more, licet eo tempore forte raras aquilas, pro quibus dracones tum magis in uſu fuiſſe, vel noſter poëta ſatis oſtendit. Legionum nomina eo tempore ſubſtitiſſe, ſatis docet Notitia utriusque Imperii: de diſciplina & honore huius militiæ legionariæ alia quæſtio eſt. Vid. Schelius ad Hygi. p. 87.

323 *Stridentes Morbi* ſignant febres, quarum frigus ſtridor dentium comitari ſolet.

324 Verſus hinc ſeptem, quid hic ſibi velint, me non ſatis intelligere, fateor, ac mirari, quid ſit, quod nemo, quidquam hic ſibi dubium videri, indicavit. Eſt hic imago ſacerdotis luſtrandi piandive cauſa facem rotantis, deinde piacula ſ. λύματα, corpora quibus in cerimonia uſus eſt, retro trans caput jactantis: ſed cui rei illuſtrandæ ea imago ſervire debeat, non declarat poëta. Forte hoc vult, Ut poſt luſtrales cerimonias fugiunt mali dæmones, & quæcunque peſtes: ſic Alaricus pellitur, & cum illo, tanquam face piaculari, ejecto fugiunt Pallor, Fames, Luctus, illius adhuc comites.

325 Fumum *ſulfuris cæruleum* intelligi, vix monitu opus eſt. Nempe phyſica etiam ratio docet, fumum ſulfuris eſſe ipſum ſulfur diſſolutum & diſſipatum per aëra: eadem bituminis ratio.

326 *Doctus purganda*, Græciſmus, doctus luſtrationes, purgationes, καθάρσεις. De ipſo apparatu luſtrali hic agere, & ritus gentilium e Judaicis derivatos percenſere, longum eſt, & librorum materia: ut illorum, quos Lomeiero debemus. *Rorem pium* eſſe aquam luſtralem, *ſulphur, bitumen*, lauros, *herbas*, antiquam talium ſacrorum materiem, *purificum Iovem*, quem καθάρσιον vocant Græci; *Triviam* Dianam, qua Hecate eſt, & inferorum

Rore pio ſpargens, & dira fugantibus herbis,
Numina purificumque Jovem Triviamque precatus,
Trans caput averſis manibus jaculatur in auſtrum
Secum rapturas cantata piacula tædas.
Acrior interea viſendi Principis ardor
Accendit cum plebe patres, & ſæpe negatum
Flagitat adventum. nec tali publica vota
Conſenſu tradunt atavi caluiſſe per Urbem,
Dacica bellipotens cum fregerat Ulpius arma,
Atque indignantes in jura redegerat Arctos,
Cum faſces cinxere Hypanin, miratæque leges
Romanum ſtupuit Mæotia terra tribunal.
Nec tantis patriæ ſtudiis ad templa vocatus,
Clemens Marce, redis, cum gentibus undique cinctam

328 terrificumque *vulg.* turif. *vel* turrif. *MS.* luſtrificum *conjiciebat Heinſ. ut Val. Fl.* 3, 448. *Sed* purificum *MSS.* 329 adverſis *Cuj.* averſus *Vien. Baſ. Plant. quod placet.* 330 nupturas *Baſ. marg.* 335 fregerit -- redegerit *vulg.* Dacia *Ald. Junt. Sed* Dacica *jam Vic. Vien. Baſ.* 337 cum cinxere faces *Vic. Ald. Junt. Baſ. Sed* cum faſces cinxere *Vien. Baſ. marg. &c.* 338 Mæotica *vulg.*

inferorum domina, tralaticium eſt & ad Theocriti Virgiliique Pharmaceutrias, ad Tibulli 1, 2. 61, ad Nemeſia. Ecl. 4, 63 &c. a viris doctis explicatum.

329 Quod *trans caput, & averſis manibus* jactantur *tædæ* h. e. faces, λύματα ſ. piacula, illud ipſum quoque frequenter obſervatum: hic illud neſcio an ſingulare, quod *in auſtrum*. Id videtur ideo factum, quod ſedes ibi eſſet dæmonum. Certe Porphyrius p. cxxi Barneſ. huc trahit: quod antro Nympharum Homerus Od. N. 112 tribuit duplices januas, ad boream alteras, mortalium commeatui deſtinatas, alteras ad auſtrum, quem DIs aſſignarent, τὸν Νότον θεοῖς νέμοντες &c.

331 Hic redit poëta ad argumentum ſuum, ad præſentiam Imperatoris in urbe ſua, ſuſcipiendumque ibi conſulatum, a quo diſceſſerat v. 126 exordio altius repetendo a clade Alarici.

335 Non ita expetitus eſt adventus Ulpii Trajani in urbem poſt victorias Dacicas. Harum victoriarum inſigne monimentum exſtat columna Trajani juſto volumine explicata a Fabretto. Sed utrum, quando, quomodo, cum exercitu victore ad *Arctos, Hypanin, Mæoticam* pervenerit, non puto, poſſe demonſtrari hodie. Certe quatenus nota eſt Dacia Trajani provincia, ultra Iſtrum non multum producta videtur. Sed legit Claudianus Dionis hiſtorias, de quibus forte nimis pauca excerpſit nobis Xiphilinus.

340 *Clementis* elogio Marcum Aurelium honorat, quæ virtus amabiles & gratioſos reddit. Et tamen præfert illi hac laude Honorium.

Exuit Heſperiam paribus Fortuna periclis.
Laus ibi nulla ducum: nam flammeus imber in hoſtem
Decidit: hunc dorſo trepidum flammante ferebat
Ambuſtus ſonipes: hic tabeſcente ſolutus
Subſidit galea, liquefactaque fulgure cuſpis
Canduit, & ſubitis fluxere vaporibus enſes.
Tunc contenta polo mortalis neſcia teli
Pugna fuit: Chaldæa mago ſeu carmina ritu
Armavere Deos: ſeu, quod reor, omne Tonantis
Obſequium Marci mores potuere mereri.
Nunc quoque præſidium Latio non deeſſet Olympi,
Deficeret ſi noſtra manus. Sed providus æther
Noluit humano titulos auferre labori,
Ne tibi jam, Princeps, ſoceri ſudore paratam,
Quam meruit virtus, ambirent fulmina laurum.
Jam toties miſſi proceres reſponſa morandi
Rettulerant, donec differri longius Urbis
Communes

343 fumante *MSS.* 345 ſubſedit *ante Heinſ.* 351 ſubſidium *MS.* 352 veſtra *MS.* 355 vulnera *MSS.* fulgura *conj. Heinſ.* 357 orbis *contra exemplaria omnia Barth. & obſcutus illi in altera edit. Heinſ.*

340 Ad Marcomanorum & Quadorum motum alii paſſim populi ab Illyrici limite usque in Galliam, res novas moliebantur. Victoria hæc eſt, quam Jovi pluvio tribuiſſe credibile eſt gentiles, cujus etiam imago eſt in Columna Antonini Pii; Chriſtianorum precibus impetratam, noſtri credunt non injuria: licet de Fulminatrice legione, & de literis ad Senatum Marci, alia omnia cordatiores ſentiant, quam quæ perſuaderi ſibi paſſa eſt pia credulitas. Vid. Dio Reimarianus 71, 8.

342 Modo partem cæleſtis auxilii noſter memorat terribilem hoſtibus; tacet de pluvia ſitienti Romanorum exercitui indulta.

344 *Tabeſcere* hic eſt liqueſcere ab igne & diſſolvi.

346 *Vapores* hic de vehementiſſimo igne fulminis, quo ferrum diſſolvi poteſt.

348 Arnuphin *Magum* nominavit Dio, refutatus a Xiphilino l. c.

353 Noluit Providentia Divina titulum & honorem victoriæ minuere vel auferre Honorio per ejusmodi miraculum. Callide hic tacet Poëta de Theodoſii contra Eugenium victoria, de qua cecinerat illud 7, 96 *O nimium dilecte Deo* &c.

357 *Urbis preces*, non *Orbis*, *differri* longius paſſa non eſt *Roma*, Dea urbis cognominis, ejusque velut genius. Nihil hic ταυτολόγον, quod mirum eſt Heinſium credidiſſe Barthio.

Communes non paſſa preces penetralibus altis
Profiluit, vultuſque palam confeſſa coruſcos
Impulit ipſa ſuis cunctantem Roma querelis:
„*Diſſimulata diu triſtes in amore repulſas*
Veſtra parens, Auguſte, queror. Quonam uſque tenebit
Prælatus mea vota Ligus, vetitumque propinqua
Luce frui, ſpatiis diſcernens gaudia parvis,
Torquebit Rubicon vicino numine Tibrin?
Nonne ſemel ſpreviſſe ſat eſt, cum reddita bellis
Africa venturi luſit ſpe Principis Urbem?
Nec duras tantis precibus permovimus aures?
Aſt ego frenabam geminos, quibus altior ires,
Electi candoris equos, & nominis arcum
Jam molita tui, per quem radiante decorus
Ingrederere toga, pugnæ monumenta dicabam,

359 profiliit *vulg.* *Sed* profiluit *meliores.* 362 precor *MSS.* Ligur *vulg.* *Sed* Ligus *MSS. hic & al.* 364 decernens *vulg. Sed* diſc. *MSS. Vien. & Baſ. marg.* 372 ferebam *Baſ. marg.* docebam *it.* parabam *MSS.*

361 *Diſſimulata* Græciſmo eleganti, quo uſus etiam Ovid. Art. 1, 690 *Veſte virum longa diſſimulatus erat* Achilles.

363 Liguriæ itaque adſcribit Mediolanum? nempe latius ſumtæ (de qua Cluver. 1, 7 & 8) ut poëtæ non multum laborant de regundis finibus. Et ſane Ligures etiam maritimi, quorum Genua caput, Mediolano & aulæ Honorii propiores longe quam Romani. Cf. 443. *Rubicon* ille, terminus licet quondam Galliæ provinciæ, tenuis tamen per ſe & contemtibilis, quatenus *ſpatiis parvis diſcernit* ac diſtinet *gaudia* accolarum, Auguſtum videre cupientium, *torquebit*, invidia & æmulatione ex *vicino* ſibi *numine* Auguſti, ipſum patrem *Tiberim*, quem vetat ita *propinqua luce* Imperatoris *frui*? Propter viciniam ſedis Auguſtæ Rubicon audet ſe præferre Tiberi.

366 *Reddita* imperio Honorii *bellis* contra Gildonem geſtis, quæ alienata illius rebellione fuerat, *Africa.* Per hanc occaſionem ſperabatur adventus Imperatoris in urbem.

369 Ego, Roma, jam parabam jugum equorum candidorum, quibus in triumpho uterere. Ipſum *ire altius* in equo vel in curru jam ſummum faſtigium notabat, cum ipſi Imperatores pedibus ſuis irent in urbe ordinarie. Pergit Roma, iam *moliebar arcum* triumphalem *nomini* tuo dedicandum. Talia monimenta non modo augebant triumphi ſplendorem: ſed titulo, qui in Zophoro ſcribebatur, victoriarum ſervabant memoriam. Hoc ita eſſe, qui ſuperſunt hodie arcus teſtantur.

Defenſam titulo Libyam teſtata perenni.
Jamque parabantur pompæ ſimulacra futuræ
Tarpejo ſpectanda Jovi, cælata metallo
Claſſis ut aurato ſulcaret remige fluctus,
Ut Maſſyla tuos anteirent oppida currus,
Palladiaque comas innexus arundine Triton
Edomitis veheretur equis: & in ære trementem
Succinctæ famulum ferrent Atlanta cohortes.
Ipſe Jugurthinam ſubiturus carcere pœnam
Præberet fera colla jugo, vi captus & armis,
Non Bocchi Syllæve dolis. Sed prima remitto.
Num præſens etiam Getici me laurea belli
Declinare poteſt? Sedeſne capacior ulla

Tantæ

376 auratos - fluctus *vulg.* auratum - fluctum *MSS.* pontum *MS. Auſus ſum tenui mutatione concinniorem reddere verſum.* 379 equis *vulg.* trementi *malit Heinſ.* 384 nunc *vulg.*

375 *Tarpejus* Jupiter eſt Capitolinus, quod templum in ſaxo Tarpejo ædificatum erat: in hujus templum ingrediebantur triumphantes: præferebantur autem in ferculis aut in curribus vehebantur ſimulacra urbium, pugnarum &c. Quinct. 6, 3. 6 *Chryſippus, cum in triumpho Cæſaris eborea oppida eſſent translata, & poſt dies paucos Fabii Maximi lignea, hæc thecas eſſe oppidorum Cæſaris dixit.*

376 *Auratus remex*, ſplendidum ſpectaculum; fluctus aureos nemo facile hic exſpectat.

378 *Palladia arundine Triton comas* innectit, i. ſumta ex *Tritonis* palude in Africa, e qua ortam ipſam quoque Minervam volunt, & inde appellant *Tritonida*: quemadmodum contra Tritonis palus etiam *Pallantias* a Pallade vocatur teſte Plinio 5, 4. Hic vidit deformitatem oris ſui ab inflatu tibiarum, quæ ex arundine parantur, easque abjecit. Solin. c. 27 *A Philænorum aris non procul palus eſt, quam Triton amnis influit* (cujus genius ille archetypus Triton eſſe videtur, a quo orti, ad quem efficti reliqui) *ubi ſpeculatam ſe artium Deam crediderunt.* Pulchre igitur in triumpho Libyco fabulas Libycas intexit doctus poëta.

380 *Atlantis* montis imago inter fercula triumphalia memoratur, ut indicetur eum eſſe denuo poſt victoriam de Gildone in Romanorum poteſtate. Propter magnitudinem & molem hoc Atlantis ferculum ferunt ſuccinctæ cohortes ſervorum.

381 Triumphum talem præfert, quam vere non diſputo, illi, quo ductus eſt Jugurtha: quod hic Sullæ artibus, & proditione Bocchi, in poteſtatem Romanorum venerit; Gildo vi & armis ſit ſuperatus.

385 *Declinare* q. d. prætervehi.

Tantæ laudis erit? Tua te benefacta morantem
Conveniunt, meritiſque tuis obnoxia virtus
Quos ſervavit amat. Jam flaveſcentia centum
Meſſibus æſtivæ detondent Gargara falces,
Spectandoſque iterum nulli celebrantia ludos
Circumflexa rapit centenus ſæcula conſul.
His annis, qui luſtra mihi bis dena recenſent,
Noſtra ter Auguſtos intra pomœria vidi,
Temporibus variis: eadem ſed cauſſa tropæis
Civilis diſſenſus erat. venere ſuperbi,
Scilicet ut Latio reſperſos ſanguine currus
Adſpicerem? quiſquamne piæ lætanda parenti
Naterum lamenta putet? periere tyranni,
Sed nobis periere tamen. Cum Gallica vulgo
Prælia jactaret, tacuit Pharſalica, Cæſar.

387 ſuis *al.* 388 quod, quem, quam *al.* 390 ſpectatosque *ante Heinſium, qui* ſpectandas *ex uno Mediceo.* 394 tropæi *ante Heinſ. qui dedit* tropæis *ex uno MS.* 397 laudata *Cuj.* 398 putat favere *vulg.*

386 Solent homines tueri beneficia ſua, & quos ſemel ſuſceperunt, ob id ipſum magis amare, quod ſuos putant. Beneficia tua in Romam jure hoc a te poſtulant, debet hoc virtus tua *meritis tuis*, hoc enim eſt *obnoxia, ut ames* & colas, ut honore præſentiæ tuæ afficias urbem, cui ſalutem dediſti. Nec mutabitur ſententia, ſi legas *meritisque ſuis.*

388 Intra centum annos ter modo Auguſtos intra mœnia ſua vidiſſe Romam, aſſeveranti Claudiano malo credere, quam perquirere ea de cauſa omnem Imperatorum a Conſtantino inde ad A. C. 504 hiſtoriam.

389 *Gargara* Myſiæ fertilitatis nomen facta ſunt: hic annos tantum ſignant meſſes.

390 *Conſul* h. e. annus centeſimus rapit ac celeriter adducit ſæculum, intervallum, quo alias ludi ſæculares ſolebant celebrari. *Sæcula* plurium numero dixit, puto, ut indicaret, eſſe in hoc nomine relationem ad plura, quorum quisque ſæculi ſui certum initium & finem numerat. Univerſim orbem centum annorum deſcribere voluit, nihil amplius. Nec enim audienda de ludis ſæcularibus ab Honorio celebratis hauſta ex hoc loco ſententia a Baronio & Gothofredo: quam refellit Pagius ad A. 404, 2.

400 Triumphos ſplendidiſſimos edidit Cæſar de reliquis bellis; de Pompejano, & Pharſalica victoria ſua, non item.

Namque inter ſocias acies cognataque ſigna
Ut vinci miſerum, numquam viciſſe decorum.
Reſtituat priſcum per te jam gloria morem
Verior, & fructum ſinceræ laudis ab hoſte
Deſuetum jam redde mihi, juſtisque furoris
Externi ſpoliis ſontes abſolve triumphos.
Quem precor ad finem Laribus ſejuncta poteſtas
Exſulat, imperiumque ſuis a ſedibus errat?
Cur mea quæ cunctis tribuere Palatia nomen
Neglecto ſqualent ſenio? nec creditur orbis
Illinc poſſe regi? medium non deſerit umquam
Cæli Phœbus iter, radiis tamen omnia luſtrat.
Segnius an veteres Iſtrum Rhenumque tenebant,
Qui noſtram coluere domum? leviuſne tremebant
Tigris & Euphrates, cum fœdera Medus & Indus
Hinc peteret, pacemque mea ſperaret ab arce?

Hic

405 deſſuetæ *Vic.* deſuetæ *Heinſ. ex MSS.* ſumtisque *ante Heinſ.* fultosque *MSS. & Heinſ.* 1. juſtisque *Heinſ.* 2 *ex MSS.* fultosque-ſontesque abſolve *ſuſpicabatur idem.* 411 illic *vulg. Sed* illinc *etiam Baſ. marg.* 414 timebant *vulg.* 428 obſtare parenti *MS.*

405 Difficile eſt non modo conſtituere, quid ſcripſerit poëta: ſed etiam quæ videatur commodior lectio. De ſententia non laboramus. Poſuit eam aliis quoque locis. Ut 15, 430 *Juſto magnoque triumpho Civiles abolete notas:* & 26, 56. *Obſeſſi Principis armis Excuſate nefas.* —— *Alpinum gladiis abolete pudorem.* Formulæ *Abolere notas* vel *pudorem*, *Excuſare nefas*, *Abſolvere triumphos ſontes*, eandem omnes vim habent, nempe facere, ut earum rerum homines obliviſcantur. Jam in hoc noſtro loco illud fieri poteſt vel *ſumtis ſpoliis* h. e. partis, captis ab hoſte; vel *juſtis ſpoliis*, ut intelligatur *captis* vel *partis*; vel denique dici poteſt Honorius hoc facere *fultus* h. e. innixus & elatus, Metaphorice ut Cic. Offic. 3 c. 22 *Imperium gloria fultum.*

407 *Lares* h. e. domus ac *ſedes Poteſtatis* atque Imperii Romani Roma eſt, a qua abeſſe & velut *exſulare* non debet.

409 *Palatium* Romanum nomen proprium eſt, a quo Palatinus mons dictus, a quo poſtea domus omnes Auguſtorum Palatia dicta ſunt.

411 Sol nunquam egreditur *iter* ſuum, eam, quæ vocatur ecliptica. Hæc ſplendidior fuerit comparatio, ſi ſumatur Philolaica illa hypotheſis de ſole in medio Planetarum quieſcente, a qua non alienum fuiſſe noſtrum, ad 1, 1 monuimus.

Hic illi manſere viri, quos mutua virtus
Legit, & in nomen Romanis rebus adoptans
Judicio pulcram ſeriem, non ſanguine, duxit.
Hic proles atavum deducens Aelia Nervam,
Tranquillique Pii, bellatoreſque Severi.
Hoc civis dignare forum, conſpectaque dudum
Ora refer, pompam recolens ut mente priorem,
Quem tenero patris comitem ſuſceperat aevo,
Nunc duce cum ſocero juvenem te Tibris adoret.„
Orantem medio Princeps ſermone refovit:
„*Numquam aliquid fruſtra per me voluiſſe dolebis,*

422 hic *al.* hunc - chorum *MSS.* 423 ſub mente *vulg.* vt *ex MSS. Heinſ.* priorum *MSS.*

417 *Manſere* i. habitarunt: quæ deinde ratio in vulgarem conſuetudinem loquendi abiit. Ceterum loquitur non de antiqua conſuetudine militiæ, qua *vir virum legere* jubebatur, ad cujus latus pugnare vellet; neque de lectione per ſuffragia ad honores gerendos; ſed de more adoptandi ſibi ſucceſſorem imperii, non illo antiquo Cæſarum, *e ſinu uxoris*, *intra domum*, ſed exemplo Nervæ, qui eſſet optimus, de qua ratione pulchre diſputat Plin. Pan. 7. *Mutua virtus* etiam hic locum habet: neque enim legi ſe paſſus eſſet ſucceſſorem Trajanus a Domitiano: certe de Plinii & Claudiani ſententia. *Rebus Romanis adoptare* eſt legere ſucceſſorem, qui rebus Ro. h. e. imperio præſit; *in nomen*, qui tanquam filius nomen adoptivi patris gerat. Eadem formula utitur Plin. Pan. 88.

420 Hic Romæ habitauit *proles Aelia*, nomen Hadriani, ab Antonino Pio, quem is adoptavit, transmiſſum ad ſucceſſores. Antonini Pii autem *proavus* (abavus M. Aurelii, Commodi *atavus*) fuit *Nerva*, cujus nomen ad Trajanum filium, Hadrianum nepotem, Antoninum pronepotem &c. derivatum, antiquæ inſcriptiones teſtantur. Idem de *Antoninorum Piorum*, & *Severorum* nominibus, verum eſſe, qui titulos Imperatorum luſtrabit, comperiet. Quod autem hic *proles deducere* dicitur *atavum*, videtur Hypallage eſſe. Hoc, puto, indicatur, ſi incipias ab *adnepote* deveniri tandem ad *atavum*. Sed cur non ſcribimus *adavum*, ut §. 5 Inſtit. de Gradib. Cognat.

421 *Tranquillus* jam aliquanto ante in Auguſtorum titulis fuit. Quin abſtracto inde *Tranquillitatis* nomine ipſum Imperatorem Auguſtum appellarunt Vegetius R. Mil. 2 prol. atque Eutropius præf. ad Valentem. Videtur ergo noſter *Tranquillum* hic poſuiſſe ut Synonymum *Auguſti*. Nerva hoc cognomine deſignatus a Pacato Pan. 11, 6.

422 *Hunc* Auguſtorum *chorum*, qui Romæ habitarunt *dignare* tu, qui *civis* illorum & Romæ es, imitatione & ſocietate.

423 Memoriam tribuit Tiberi, qua recordetur prioris pompæ, qua puerum Honorium cum patre olim invectum *ſuſceperat*; & reverentiam, qua *adoret* nunc juvenem cum ſocero Stilichone.

O Dea, nec legum fas eſt occurrere matri.
Sed nec poſt Libyam (falſis ne perge querelis
Incuſare tuos) patriæ mandata vocantis
Sprevimus. advectæ miſſo Stilichone curules,
Ut noſtras tibi, Roma, vices pro principe conſul
Impleret, generoque ſocer. Vidiſtis in illo
Me quoque. Sic credit pietas; non ſanguine ſolo,
Sed claris potius factis, experta parentem.
Cuncta quidem centum nequeam perſtringere linguis,
Quæ pro me mundoque gerit: ſed ab omnibus unum,
Si fama necdum patuit, te, Roma, docebo,
Subjectum noſtris oculis, & cujus agendi
Spectator vel cauſſa fui. Populator Achivæ
Biſtoniœque plagæ, crebris ſucceſſibus amens,
Et ruptas animis ſpirans immanibus Alpes,
Jam Ligurum trepidis admoverat agmina muris,
Tutior auxilio brumæ, (quo agentibus illis
Sidere conſueti favet inclementia cœli)
Meque minabatur calcato obſidere vallo,

Spem

428 obſtare parenti *MS.* 431 ſecures *MSS.* 440 fuit *vulg.*
443 ripis *pro* muris *Cuj.* 445 frigore *vulg.*

428 *Occurrere* eſt etiam adverſari, ut in illo Cic. Off. 2 c. 2 *Occurritur nobis a doctis. Legum mater* pulchre dicitur Roma, cum etiam ſub Imperatoribus valerent leges in urbe latæ & rogatæ in comitiis.

429 *Poſt Libyam* Gildone victo receptam, negat Honorius ſpreta a ſe *mandata* Romæ, *patriæ*, ipſum vocantis: miſſum enim cum ſella curuli Stilichonem, qui vice Honorii conſulatum gereret.

434 *Sic credit pietas* mea: ſic credo ego Honorius &c.

437 *Ab omnibus unum*, h. e. *de* vel *ex* omnibus, ut ab arbore poma decerpuntur.

440 Incipit narrare eventus belli Getici contra Alaricum, de quibus agit carmen 26. Argutum eſt illud *ſpectator vel cauſa* fui.

441 *Biſtoniam* pro Thracico ſæpe noſter ponit, exemplo optimorum.

443 Etiam hic *Ligurum* nomen late patet, vt ſupra v. 363.

445 *Sidus* hic tempeſtatem notat & aëris conſtitutionem, a comparatione Solis ad terram noſtram & ſidera alia pendentem, quam deinde ſideribus tribuere, orta a Metonymia doctiorum errore, ſolent etiam aſtrologi. Getæ, frigidæ regionis ad Iſtrum incolæ, brumam in Italia facile tolerant. Cf. 4, 30.

Spem vano terrore fovens, ſi forte, remotis
Præſidiis, urgente metu, qua vellet, obirem
Conditione fidem. Nec me timor impulit ullus,
Et duce venturo fretum, memoremque tuorum,
Roma, ducum, quibus haud umquam vel morte parata
Fœdus lucis amor pepigit diſpendia famæ.
Nox erat, & late ſtellarum more videbam
Barbaricos ardere focos: jam claſſica primos
Excierant vigiles, gelida cum pulcer ab Arcto
Adventat Stilicho. Medius ſed clauſerat hoſtis
Inter me ſocerumque viam, pontemque tenebat,
Addua quo ſciſſas ſpumoſior incitat undas.
Quid faceret? differret iter? diſcrimina nullas
Noſtra dabant adeunda moras. Perrumperet agmen?
Sed paucis comitatus erat. nam plurima retro,
Dum nobis properat ſuccurrere, liquerat arma
Extera, vel noſtras acies. Hoc ille locatus
Ancipiti, longum ſocias tardumque putavit
Exſpectaſſe manus, & noſtra pericula tendit

Poſtha-

447 ni forte *MSS.* 450 hoc duce *Raphel. ex conj.* 453 mox & per latum *Vic.* m. e. p. Latium *Vien. & vell. ante Heinſ.* 455 exierant, exuerant *Vien. Sed* excierant *jam Vic.* 457 & ſocerum pontemque viamque *ante Barth.* 463 hic ille locatus *Cuj. & Claver.* hoc ille locatus *Barth. & Heinſ.* hæc ille locutus *al.*

448 *Obire fidem*, ut vadimonium obire. Sperabat Alaricus, quacunque conditione ſe jam exprimere pacem ab Honorio poſſe.

451 Immemor eſt noſter Caudinæ pactionis, & fœderis Numantini. Nempe hæc ad rem ipſius non pertinebant. Debebat profecto modeſtius hic loqui etiam Poëta. *Fœdus lucis amor*, qui metu mortis turpia paciſcitur.

454 *Claſſica* ſunt omnia ſigna tubis data exercitui, ut hic vigiliarum. Sic claſſico ad concionem vocantur milites &c. Videtur autem hic ſignare vigiliam primam diei.

455 Conſideranti *Adduam* & ſitum ad dextram illius ripam Mediolanum, ubi erat Honorius, apparet, a ſeptentrionali plaga (hoc ſatis eſt poëtæ ut vocet *gelidas Arctos*) venire debuiſſe Stilichonem.

458 A ſublicis ligneis, vel lapideis pilis, quibus pons impoſitus eſt, impeditæ & coartatæ aquæ tanto magis incitantur, & agunt ſpumas.

460 *Adeunda* erant Honorio *diſcrimina*, ſi cunctatus eſſet Stilicho.

Poſthabitis pulſare ſuis, mediumque per hoſtem
Flammatus virtute pia, propriæque ſalutis
Immemor, & ſtricto proſternens obvia ferro,
Barbaro fulmineo ſecuit tentoria curſu.
Nunc mihi Tydiden attollant carmina vatum,
Quod juncto fidens Ithaco patefacta Dolonis
Indicio, dapibuſque ſimul, religataque ſomno
Thracia ſopiti penetraverit agmina Rheſi,
Grajaque rettulerit captos ad caſtra jugales.
Quorum, ſi qua fides augentibus omnia Muſis,
Impetus exceſſit Zephyros, candorque pruinas.
Ecce virum, taciti qui nulla fraude ſoporis
Enſe palam ſibi pandit iter, remeatque cruentus,
Et Diomedeis tantum præclarior auſis,
Quantum lux tenebris, manifeſtaque prælia furtis.
Adde quod & ripis ſteterat munitior hoſtis,
Et cui nec vigilem fas eſt componere Rheſum,
Thrax erat: hic Thracum domitor. Non tela retardant.
Objice non hæſit fluvii. Sic ille minacem
Tyrrhenam labente manum pro ponte repellens
Trajecit

468 præſternens *Raphel. ex conj.* 470 nunc tibi *MSS.* 479 tanto-Quanto *legi vult Heinſ. ſine libro.* 482 non vigil. *vulg.* fas ſit *conj. Heinſ.* 483 Thrax ille, hic Thracum *vel* Thrax erat hic, Thracum hic *conj. Heinſ.* 485 manu *Raphel.* Tyrrhenum - manu *conj. Barth.*

467 *Virtus pii* eſt fortitudo, quam ſtimulat incitatque *pietas* ſoceri in generum, magni civis in principem.

470 Iliadis decimæ argumentum, Diomedes Tydei F. & Ulyſſes explorant caſtra Trojanorum, ex intercepto Dolone diſcunt de Rheſi Thraciæ regis adventu & equis, quos interfecto domino in caſtra Græca perducunt.

472 *Religata*, devincta hinc faturitate, hinc *ſomno*, Rheſi agmina penetrare ob id ipſum non fuit difficile.

476 Homerus v. 437 Λευκότεροι χιόνος, θείειν δ' ἀνέμοισιν ὁμοῖοι.

481 *Ripis* Adduæ *munitior* ſtetit Alaricus, quam Rheſus ille.

484 *Sic ille* Cocles Horatius repellens ante pontem jamjam lapſurum, manum Tuſcorum eo clipeo, quo adhuc urbem texerat &c. Sed nec improbaverim Barthii *minacem Tyrrhenum*, quem *manu* repulerit Horatius.

Trajecit clipeo Tibrin, quo texerat Urbem
Tarquinio mirante Cocles, mediisque superbus
Porsennam respexit aquis. Celer Addua nostro
Sulcatus socero. Sed cum tranaret, Etruscis
Ille dabat tergum, Geticis hic pectora, bellis.
Exsere nunc doctos tantæ certamina laudis
Roma choros, & quanta tuis facundia pollet
Ingeniis, nostrum digno sonet ore parentem.„
Dixit, & antiquæ muros egressa Ravennæ
Signa movet; jamque ora Padi, portusque relinquit
Flumineos, certis ubi legibus advena Nereus
Æstuat, & pronas puppes nunc amne secundo,
Nunc redeunte, vehit: nudataque litora fluctu
Deserit, Oceani lunaribus æmula damnis.
Lætior hinc Fano recipit Fortuna vetusto,
Despiciturque vagus prærupta valle Metaurus,

Qua

489 sulcatus *vulg.* 490 *pro* bellis, telis *Raphel. sine libro.* 491 certamine *vulg.* certamina ex *MSS. Heinf.* 497 ore secundo *MS.* recuso, retuso, refuso, retruso *MSS.* 501 deseriturque *Cuj.*

488 Dabat quidem Cocles tergum Etruscis h. e. Etruriæ civibus. Nemo negat. Sed rotundare voluit carmen poëta, & nomen *bellis* referre ad *Etruscis* pariter & *Geticis*.

491 Hortatur Romanos, ut producere velint, hoc enim est *exsererе choros doctos, tantæ laudis certamina*, qui possint carminibus suis comparare veteres Græcorum Romanorumque heroas & Stilichonis facinora. *Choros, certamina* per appositionem, pro choris certantibus: ut 15, 137 *Crinales dentes Effractum ebur.*

495 Æstuaria indicat, vel ostia potius Padi, quæ nunc intrat, nunc relinquit mare Adriaticum, ob quam rem septem maria dicta sunt. *Nereus* maris genius, pater Nereidum. Ceterum describit Ravennæ illum situm, & mutata ibi manu ostia Padi, Procop. de B. Gotth. 1 p. 390. Jornandes Getic. c. 29.

496 *Lunaria damna* vocat ordinarium illum in Oceani litoribus fluxum refluxumque maris, respondentem illis Lunæ mutationibus, quas vulgo etiam vocamus Phases, de quibus Hor. Car. 4, 7. 13 *Damna tamen celeres reparant cælestia Lunæ.* Hic etiam, in sinu maris mediterranei, in Padi ostiis, si non iidem, similes tamen motus observantur.

500 Pergit poëta iter Honorii describere ad mare superum. *Fanum Fortunæ* ad *Metauri* exitum est in Umbria.

501 *Metaurus* nobilitatus clade Asdrubalis, de qua Liv. 27, 43 sq.

Qua mons arte patens vivo ſe perforat arcu,
Admittitque viam ſectæ per viſcera rupis,
Exſuperans delubra Jovis, ſaxoque minantes
Apenninigenis cultas paſtoribus aras.
Quin & Clitummi ſacras victoribus undas,
Candida quæ Latiis præbent armenta triumphis,
Viſere cura fuit. nec te miracula fontis
Prætereunt: tacito paſſu quem ſi quis adiret,
Lentus erat: ſi voce gradum majore citaſſet,
Commotis fervebat aquis. cumque omnibus una

Sit

503 admiſitque *omnes præter Heinſ. priorem ex MSS. quam ſequimur.* 504 minaces *MSS.* micantes *MS.* 508 *pro* fuit, trahunt *MS. unde* trahit *conj. Heinſ.* 511 commiſtis *vel* commixtis *omnes.* commotis *MSS.* admiſſis *conj. Heinſ.*

502 Jam flexo' ad dextram & Apenninum itinere ducit poëta Honorium ad locum notabilem, & explicatione dignum, nempe perfoſſum Veſpaſiani imperio montem, Apennini partem. Aurel. Victor de Cæſ. 10 & plenius Epit. 19 *Cavati montes per Flaminiam ſunt prono transgreſſu, quæ vulgariter* Pertuſa petra *vocatur.* Repetiit inde Paullus Diac. hiſt. miſc. 9, 6. Vid. & Procop. Gotth. 2, 11 p. 213, B. Fuiſſe videtur eo circiter loco, ubi Strabone prodente erant ὑπερβολαὶ τῆ ὄρους, L. 5 p. 157, 47. In Tabula Peutingeriana *ad interciſa*, & in Itinerario Hieroſolymit. p. 614 Weſſel. *Mutatio interciſa* dicitur. Huc refert Anto. Morillonius apud Grut. p. 149, 7 veterem titulum, in via Flaminia, ad locum *Furlo* (Foruli) repertum, & deſcribit ipſe operis veſtigia. Alia autem eſt *Pertuſa* in Antonini Itiner. p. 45. Ceterum via Flaminia hic ingreditur Honorius, quæ a Flumentana porta Ariminum usque recto itinere extendebatur.

504 *Delubra Jovis.* Fuiſſe in vertice Apennini in hac via templum Jovis, hinc diſcimus, pulchreque adhibuit h. l. Cluverius 2, 7 p. 604 ad declarandum quod eſt in Tabula Peutingeriana *Jovis penninus idem Agubio. Jupiter Apenninus & Iguvium* doctiori ætate dicebantur.

506 *Clitummi* fontis & fluvii naturam deſcribit Plin. Epiſt. 8, 8 ubi quædam illuſtrandi cauſa ante hos xx annos adſcripſi. Sed omnia collegit Cluver. 2, 10 p. 701 ſq. Neque tamen ille, neque quisquam ad h. l. docent, quodnam miraculum hic narret poëta. Dicam, quid nos intelligere voluerit. Utrum verum narraverit, haud dixerim. Si quis ad Clitumni ripas iret placide & tacitis paſſibus, lentus & ipſe ibat: ſed ſi acceleraret gradum viator, & cum ſonitu quodam & ſtrepitu procurreret, fluvius velut imiturus aut æmulaturus adeo ambulantem, & cum illo certaturus, *commotis* & concitatis *aquis* ſuis *fervebat*, (quo verbo & celeritatem auctam & ſonum indicat) ut adeo non *umbram* modo ſ. imaginem corporum, ut alii flumina, referret, ſed nova forte gloriari poſſet & natura ſibi propria, imitandi etiam actiones & *mores* (qui ſunt in actionibus) hominum.

Sit natura vadis, ſimiles ut corporis umbras
Oſtendant: hæc ſola novam jactantia ſortem
Humanos properant imitari flumina mores.
Celſa dehinc patulum proſpectans Narnia campum
Regali calcatur equo, rarique coloris
Non procul amnis abeſt, urbi qui nominis auctor,
Ilice ſub denſa ſilvis arctatus opacis,
Inter utrumque jugum tortis anfractibus albet.
Inde, ſalutato libatis Tibride lymphis,
Excipiunt arcus, operoſaque ſemita vaſtis
Molibus, & quidquid tantæ præmittitur urbi.
Ac velut officiis trepidantibus ora puellæ
Spe propiore tori mater ſollertior ornat
Adveniente proco, veſteſque & cingula comit
Sæpe manu, viridique anguſtat jaſpide pectus,
Subſtringitque comam gemmis, & colla monili
Circuit, & baccis onerat candentibus aures:
Sic oculis placitura tuis, inſignior auctis
Collibus,

512 undas *MS.* 518 arctatur *vulg.* arcatur *MS.* *unde* arcatus *i. arcuatus conj. Heinſ.* 520 Nymphis *MSS.*

516 *Sulfurea Nar albus aqua* dicitur Virgilio Aen. 7, 517. Nempe ad odorem pertinet Sulfur, ut apud noſtrum 1, 256 *Nar vitiatus odoro Sulfure*, ne quis cum Barthio ad colorem flaveſcentem referat. Statim noſtro v. 519 *albet* hic fluvius, qui Tiberi infunditur.

520 *Salutatur* & adoratur, verbo proprie ſumto, fluvius, ſi *lymphæ* illius ſ. aquæ libentur, guſtentur, quod feciſſe homines ad primum acceſſum, velut auſpicandi cauſa, videntur.

521 *Arcus* & *moles* intelligamus admirabilem pontem, quo Auguſtus duos montes, inter quos Nar labitur, junxit, ſpectaculum Procopii ætate adhuc viſendum, cujus reliquias laudat Cluverius p. 636.

522 *Præmittuntur* urbi aquæductus, viarum monimenta, villæ.

523 *Officia trepidant*, cum familiares officioſi ſtudioſe ſe movent & ſatagunt. Nihil opus eſt, ut metum & trepidationem anguſte ita dictam cogites.

526 *Viridem jaſpidem*, & *ſmaragdo ſimilem*, habemus etiam apud Plin. 37, 8 ſ. 37. *Anguſtare pectus* eſt conſtringere fibula gemmis ornata. Ter. Eun. 2, 3. 23 *Matres ſtudent* ut *graciles* ſint virgines - *reddunt curatura junceas.*

529 *Colles* Romæ non ita *auctos* dicit, uti plures ſint, ſed eo quod ædificiis quibusdam cultiores. *Septem montes* ipſe poëta mox memorat.

Collibus, & nota major ſe Roma videndam
Obtulit. Addebant pulcrum nova mœnia vultum,
Audito perfecta recens rumore Getarum.
Profecitque opifex decori timor, &, vice mira,
Quam pax intulerat, bello diſcuſſa ſenectus;
Erexit ſubitas turres, cinctoſque coëgit
Septem continuo montes juveneſcere muro.
Ipſe favens votis, ſolitoque decentior aër,
Quamvis aſſiduo noctem fœdaverit imbri,
Principis & Solis radiis deterſa removit
Nubila. namque ideo pluviis turbaverat omnes
Ante dies, lunamque rudem madefecerat Auſter,
Ut tibi ſervatum ſcirent convexa ſerenum.

Omne,

537 ſerenior *conj. Heinſ.* 538 fœdaverit imbri *MSS.*
540 omnem Ante diem *MSS.*

531 Proximo ante Conſulatum VI Honorii atque adventum in urbem anno, metu Alarici, reditum & vindictam minantis ſpirantisque, mœnia Romana eſſe inſtaurata, loquitur etiam vetus lapis apud Grut. p. 165, 1 S. P. Q. R. IMPP CAESS. DD. NN. INVICTISSIMIS. PRINCIPIBUS. ARCADIO ET. HONORIO. VICTORIBUS AC. TRIUMFATORIBUS. SEMPER. AUGG. OB. INSTAURATOS. URBI. AETERNAE. MUROS. PORTAS. AC. TURRES EGESTIS. IMMENSIS. RUDERIBUS. EX. SUGGESTIONE. V. C ET. INLUSTRIS. MILITIS. ET MAGISTRI. UTRIUSQUE. MILITIAE. *Stilichonis* AD. PERPETUITATEM. NOMINIS. EORUM SIMULACRA. CONSTITUIT. CURANTE. *Fl. Macrobio Longiniano V. C. Præf. urbis* D. N. M. Q. EORUM. Ut igitur hic diſcimus *Divino Numini Majeſtatique* Arcadii & Honorii *Senatus Populusque Romanus*, ſimulacra conſtituit, h. e. ſtatuas poſuit. Verba, *ex ſuggeſtione* -- *Stilichonis* forte ſtudioſe ita collocata ſunt, ut & ad ea quæ præcedunt referri queant ſuperbius, & modeſtius ad ea quæ ſequuntur. Denique nomina quæ typis diſtinguenda curavi, eraſa fuerunt in lapide, (ſic tamen, ut legi adhuc poſſent) poſt caſum nempe & ſupplicium Stilichonis. Illa *egeſta immenſa rudera* monere nos poſſunt, quot vel tum monimenta perierint &c.

539 Vide, quam ſuavi adulatione jungantur *Princeps* & *Sol*. Horat. Car. 4, 5. 6 *Inſtar veris enim vultus ubi tuus Affulſit, populo gratior it dies, Et ſoles melius nitent.*

541 *Luna rudis* nova eſt, quo tempore pluvium cælum tanto noctes facit obſcuriores. *Convexa* pro cælo ponere ſolemne noſtro.

Omne, Palatino quod pons a colle recedit
Mulvius, & quantum licuit conſurgere tectis,
Una replet turbæ facies: undare videres
Ima viris, altas effulgere matribus ædes.
Exſultant juvenes æquævi Principis annis:
Temnunt priſca ſenes, & in hunc ſibi proſpera fati
Gratantur duraſſe diem. moderataque laudant
Tempora, quod clemens aditu, quod pectore, ſolus
Romanos vetuit currum præcedere Patres:
Cum tamen Eucherius, cui regius undique ſanguis,
Atque Auguſta ſoror, fratri præberet ovanti
Militis obſequium: ſic illum dura parentis
Inſtituit

543 qua pons *al.* 544 Miluius *al.* in quantum *MS.* 548 temptant *Vien. marg.* fata *vulg.* 550 quo tempore *vulg.* quod pectore *etiam Plant. marg. it. Cuj.* quo pectore *MS.* 554 officium *ante Heinſ.*

543 *Omne* ſpatium, per *quod pons Mulvius*, qui mille paſſibus extra Romam eſt in via Flaminia jungens Tiberim, recedit a colle Palatino, ubi eſt Palatium, & quantum in toto illo ſpatio capere tecta poſſunt, turba hominum conferta plenum eſt. Solum viri occupant, tecta & feneſtras feminæ.

548 *Temnunt priſca ſenes* non ſine magna cauſa, cum ſoleat quisque ſenior eſſe *Laudator temporis acti ſe puero*, *cenſor* idem *caſtigatorque minorum*.

550 *Clemens aditu*, qui facilem omnibus aditum vultu & geſtu corporis daret, *clemens pectore*, qui non præ ſe ferret modo illam clementiam, ſed animo etiam vere propitio in cives eſſet.

551 Non admiſit honorem, quem in pompa tali Senatus habere Imperatori ſolebat. Comitabantur alias triumphantis currum (cui cerimoniæ talis conſulis ingreſſus eſt ſimilis; quin *triumphantem* Honorium dicit v. 580;) propinqui Imperatoris, vel in ipſum currum aſſumti, vel in equis curru junctis, vel in ſeparatis adeo. Vid. Viri docti ad Sueto. Tib. 7. Hic Eucherius, Stilichonis filius, & uxor Stilichonis, Serena, adoptiva ſoror Honorii, illud præbent Honorio ſuo comitatu obſequium, quod alias milites Imperatorem ſuum comitantes.

554 Etiam hinc laudandi Stilichonis materiam poëta arripit, cujus, in ſe & ſuos nimis parci, *dura pietas* ita Eucherium ſuum *inſtituerit*, ut tantum illi negarit, quantum honori ſenatus adſtruxerit. Ejusdem moderationis eſſe indicat remittere Senatui comitatum pedeſtrem Imperatoris, & eundem ſuo filio, conjugique ſuæ injungere. Si verum eſt, quod accuſatur Stilicho, voluiſſe imperium parare filio ſuo, egregium hic ſimulatæ modeſtiæ ſpecimen dederit. Ipſe tamen hoc eodem in triumpho *curru vectus eodem* 579.

Inſtituit pietas in ſe vel pignora parci;
Quique neget nato, procerum quod præſtet honori.
Hæc ſibi cura ſenum, maturaque comprobat ætas:
Idque inter veteris ſpeciem præſentis & aulæ
Judicat, hunc civem, dominos veniſſe priores.
Conſpicuas tum flore genas, diademate crinem,
Membraque gemmato trabeæ viridantia cinctu,
Et fortes humeros, & certatura Lyæo
Inter Erythræas ſurgentia colla ſmaragdos
Mirari ſine fine nurus: ignaraque virgo,
Cui ſimplex calet ore pudor, per ſingula cernens
Nutricem conſultat anum, Quid fixa draconum
Ora velint? ventis fluitent, an vera minentur
Sibila ſuſpenſum rapturi faucibus hoſtem?
Ut chalybem indutos equites, & in ære latentes
Vidit

557 hoc *al.* hic *MS.* 560 cum flore *al.* 563 Erythræos *al.* [*Femininam terminationem probat Heinſ.* 565 ille pudor *it.* rubor *MS.* 569 calibe *vel* chalybe *ante Heinſ.* chalybem dutos *MS.*

557 *Hæc* ita a Stilichone inſtituta apud ſe & intra animum ſuum *comprobant* ſenes, ſuperiorum temporum memores, & judicant hoc *intereſſe inter* aulam veterem & hanc. Ellipſis durior primum inruenti: ſed quæ mollietur, vel nulla erit potius, ſi ſeniorem unumquemque cogitatione noſtra arbitrum conſtituamus, qui *judicet inter ſpeciem* utriusque *aulæ*: quid igitur hic judicabit? hoc, Honorium veniſſe ut civem, ſuperiores ut dominos. Cicero de divin. 1 c. 50 ex poëta, *Indicavit inclytum judicium inter Deas tres aliquis*, de Paride.

560 *Flos genarum* non rubor modo, ſed prima illa lanugo, qua ſibi & aliis placebant juvenes. *Diadema* Honorii i. vitta alligata capiti duobus margaritarum ordinibus diſtincta, tæniis a cervice fluentibus & in bacas majores deſinentibus, in nummis illius videri poteſt apud Cangium.

563 *Erythræum* vocari meminerimus, quidquid ab oriente venit, quousque patet Erythræum ſ. rubrum mare, quo nomine omnis Oceanus ab Africa inde ad Seras comprehenditur. V. 8, 606. it. 29, 4.

566 *Draconum* iſta imago valde placet noſtro. Vid. ad 5, 177.

569 Cataphractos, quaſi tu dicas obſeptos, munitos tectosque undique ferro homines pariter & equos, graphice jam deſcripſit noſter 5, 356 qui locus ex hoc noſtro lucem accipit. Ceterum galeati, thoracati, ocreati aere jam Homerici heroës. De equis ſerius ad Græcos Romanosque veniſſe videtur a barbaris, nominatim a Parthis. Vid. Brouckh. ad Prop. 3, 10. 12. Phrygio Chloreo tribuit Virg. Aen. 11, 770 *equum, quem pellis aënis In plumam ſquamis auro conſerta*

Vidit cornipedes; „*Quanam de gente* rogabat
Ferrati venere viri? Quæ terra metallo
Naſcentes informat equos? Num Lemnius auctor
Addidit hinnitum ferro, ſimulacraque bellis
Viva dedit?„ Gaudet metuens, & pollice monſtrat,
Quod picturatas galeæ Junonia criſtas
Ornet avis, vel quod rigidos vibrata per armos
Rubra ſubaurato criſpentur ſerica dorſo.
Tum tibi magnorum mercem Fortuna laborum
Perſolvit, Stilicho; curru cum vectus eodem
Urbe triumphantem generum florente juventa
Conſpiceres, illumque diem ſub corde referres,
Quo tibi confuſa dubiis formidine rebus
Infantem genitor moriens commiſit alendum.
Virtutes variæ fructus ſenſere receptos:
Depoſitum ſervaſſe, Fides: Conſtantia, parvum

573 indidit *Heinſ. 2 ex uno MS.* 577 ſubaerato *al.*

ſerta tegebat. Hic Servius Salluſtio quoque teſte utitur. Viros ad formam nudi corporis cataphractos in equis ſimili ratione indutis repræſentat columna Trajani fig. 27. n. 161 ed. Morell. ubi Sarmatas interpretatur Gorius.

572 *Lemnius* Vulcanus eſt, qui decidit in Lemnum a Jove detruſus Ιλ. α, 593 & ibi ferrarias inſtituit.

573 *Addere* Varroni, Columellæ, Plinio, eſſe idem quod *indere* in Lexico ruſtico pariter atque in Theſauris, a me oſtenſum eſt.

574 *Pollice monſtrare* videtur ipſum quoque furtivæ ob metum ſignificationis vim habere. Quinctil. II, 3. 104 *Averſo pollice demonſtrare aliquid, receptum magis puto, quam oratori decorum.* Nempe non decet oratorem vel meticuloſa ſignificatio, vel furtiva malignitas.

577 Hunc verſum declaravi ad 5, 356.

578 *Mercem* pro mercede dicit. Præmium quodcunque poteſt cogitari ut merx, quæ emitur labore, periculis &c.

580 *Urbe triumphantem*, h. e. in urbe, rariuſculum, ſed non alienum ab uſu & noſtri ut mox v. 614 *convexum gradibus vulgus*, & aliorum. V. G. *Domitianus natus eſt — regione urbis ſexta* Suet. c. 1. Vid. Voſſ. de conſtr. c. 46.

584 *Virtutes variæ* Stilichonis, dum ſua is repetit acta ſuperiora, *ſenſere fructus receptos*, i. ipſe Stilicho ſenſit fructum ſe percipere jam, adulto & florente Honorio, virtutum, quibus in illo educando uſus fuerat. Conſcientia ſua nunc fruentem Stilichonem inducit eaque deinde loquentem, quæ typis diſtingui juſſi, ut a poëtæ narratione reliqua diſcernantur.

Præfeciſſe orbi: Pietas, foviſſe propinquum.
„*Hic eſt ille puer, qui nunc ad Roſtra Quirites*
Evocat: & ſolio fultus genitoris eburno
Geſtarum Patribus cauſſas ex ordine rerum,
Eventuſque refert: veterumque exempla ſecutus
Digerit imperii ſub judice fata Senatu.„
Nil cumulat, verbiſque nihil fiducia celat.
Fucati ſermonis opem mens conſcia laudis
Abnuit. Agnoſcunt proceres, habituque Gabino
Principis, & ducibus circumſtipata togatis
Jure paludatæ jam curia militat aulæ.
Adfuit ipſa ſuis ales Victoria templis
Romanæ tutela togæ: quæ divite pompa
Patricii

591 dirigit *MSS.* 597 talis Vict. *vulg. Sed* ales *jam Baſ. marg. & al.* 598 divite penna *ante Heinſ.* parma *MS.* pinna *Plant. marg.* pompa *ex MSS. Heinſ.*

588 Poſt *evocat* inſiſtendum paullulum eſt, ne quis eandem actionem putet, qua Quirites evocantur ad roſtra, & qua refert Conſul ad Senatum. Illic ſuſcipiebat, ut alii boni principes, magiſtratum. vid. Plin. Pan. 65, 3. Hic, in Senatu, ſedens curuli ſella patris ſui, agebat cum Patribus. Illud *fultus* antiquum eſt. Serv. ad Virg. Ecl. 6, 53 *Ille latus niveum molli fultus hyacintho, Apud veteres unusquisque eo, ſuper quod jacebat* (addendum erat, vel ſedebat) fultus *dicebatur*. Addit ex Lucilii tertio, *Et pulvino fultus*. Sic noſter 10, 152. 24. 199.

591 *Digerit fata*, ſplendide, quaſi de Deo ſermo eſſet.

592 *Nil cumulat*, i. exaggerat, ſupra modum dicendo auget: *nihil celat*, tacet, ſubducit. Utrumque *fiducia* eſt, quæ neque adſciſcit auxilium a jactabundo mendacio, neque habet, quod ſilentio diſſimulet.

594 *Habitus Gabinus* noſtro Conſularis prætexta eſt. Vid. 7, 3. Eſt hic feſtiva velut permutatio: Princeps & duces, paludati alias, qui militum habitus eſt, in Senatu jam ſunt togati: jure ergo viciſſim curia alias quieta, aulæ paludatæ militat.

597 *Ales Victoria*, ut *Fama* 22, 408: & oſtendunt ſexcenta monumenta. Hujus templum in monte Palatino bonis auctoribus, ut Liv. 29, 14, collocant antiquarii. Hæc in pompis omnibus, in curribus triumphantium, in ſignis militaribus. In primis vero in Capitolio, ubi ſine dubio Senatum modo habuit Honorius. Poſt cladem Romanorum ad Traſimenum lacum, auctore Livio 22, 37, Hiero Syracuſanus rex mittit Romanis inter alia munera Victoriam auream pondo cccxx. Eam illi, omenque accipiunt, ſedemque Divæ dant, dicant *Capitolium, templum Jovis O. M. in ea arce urbis Roma-*

næ

Patricii reverenda fovet ſacraria cœtus,
Caſtrorumque eadem comes indefeſſa tuorum,
Nunc tandem fruitur junctis, atque omne futurum
Te Romæ ſeſeque tibi promittit in ævum.
Hinc te jam patriis Laribus via nomine vero
Sacra refert. Flagrat ſtudiis concordia vulgi,
Quam non illecebris diſperſi colligis auri;
Nec tibi venales captant æraria plauſus
Corruptura fidem. Meritis offertur inemtus
Pura mente favor. nam munere carior omni
Obſtringit ſua quemque ſalus. Procul ambitus erret.
Non quærat pretium, vitam qui debet amori.
O quantum populo ſecreti numinis addit
Imperii præſens genius, quantamque rependit
Majeſtas alterna vicem, cum regia Circi

601 *pro* votis, junctis *MSS.* 609 adſtringit *vulg.* errat - quaerit *ante Heinſ.* 610 *pro* debet, dedit *MS.* 611 muneris *Heinſ. ſolus.* nominis *MSS.* 612 ſpecies *ante Heinſ.* Genius *MSS.* *& ex illis Gron. ad Stat.* c. 31.

næ ſacratam volentem propitiamque, firmam ac ſtabilem fore populo Ro. ſperantes. Hæc ſatis, puto, declarant, quam *pompam*, quæ *ſacraria cœtus patricii* hic poëta nominet.

603 Per *viam ſacram* flexu dextro itur in Palatinam Cæſarum domum: hi ſunt *Lares* Imperatorum *patrii.*

605 Non ſparſit igitur nummos, aut pretioſa miſſilia Honorius, quæ non minus laudaturus fuerat noſter, exemplo Papinii Silv. 1, 6, quam nunc gratuitam fidem populi ſplendide prædicat.

609 *Sua ſalus*, quam a ſalute boni Imperatoris pendere exiſtimat, invitat quemque, & cogit adeo. Ne quærat pretium aliud ſui in Principem ſtudii, qui amori in ſe Principis debet vitam.

611 *Numen* hic ponitur pro inſtinctu vehementiore, qui ſit inſtar divini impulſus & ἐνθουσιασμοῦ, quem præſentia Imperatoris excitet. Virg. Aen. 9, 183 *Niſus ait DIne hunc ardorem mentibus addunt, Euryale, an ſua cuique deus ſit dira cupido?* Quod *Genium Imperii* vocat Honorium, delicata atque ingenioſa adulatio eſt.

613 *Majeſtas* antiqua ratione eſt populi: quam cum ſibi arrogarent ſolis Imperatores, bonis tamen ſub principibus licuit formulas illas veteres revocare. Hic poëta duplicem ponit majeſtatem mutuo honore certantem, alteram Honorii quod *regia purpura*, Imperator purpuratus, *veneratur* adorat, jaciendis oſculis, (ut Otho apud Tac. Hiſt. 1, 36) *vulgus in gradibus circi convexum*, v. ad 24, 190:

Convexum gradibus veneratur purpura vulgus,
Aſſenſuque cavæ ſublatus in æthera vallis
Plebis adoratæ reboat fragor, unaque totis
Intonat Auguſtum ſeptenis arcibus Echo.
Nec ſolis hic curſus equis: aſſueta quadrigis
Cingunt arva trabes, ſubitæque adſpectus arenæ
Diffundit Libycos aliena valle cruores.
Hæc & belligeros exercuit area luſus.
Armatos hic ſæpe choros, certaque vagandi
Textas lege fugas, inconfuſoſque recurſus,
Et pulcras errorum acies, jucundaque Martis
Cernimus: inſonuit cum verbere ſigna magiſter,
Mutatoſque edunt pariter tot pectora motus,
In latus alliſis clipeis, aut rurſus in altum
Vibratis.

614 connexum *vel* connixum *ante Heinſ.* 615 conſenſuque *ante Heinſ* conſeſſu *MS.* 617 vocibus, collibus, montibus, partibus *MSS.* collibus & arcubus *Cuj.* 618 advecta *MS.* attrita *MS.* 619 tingunt *MSS. quod placet Heinſio.* cingunt rava tigres *conj. Scal. quod ſe non intelligere fatetur Heinſ.* cingunt arma *MS. & Janſſo.* 1628. *pro* trabes, tigres *ante Heinſ.* 621 hic *vulg.* 624 erronum acies *conj. Heinſ.* errorum acies *Claver. & Plant. marg.* 626 *pro* tot, tunc *vulg.* tot *etiam Cuj.*

190: alteram populi, cujus *fragor reboat aſſenſu cavæ vallis* h. e. plauſu multitudinis in circo, occupante vallem, congregatæ, adeo ut a ſeptem collibus, quibus inædificata Roma eſt, *echo* ſ. repercuſſus ſonus *intonet.*

618 *Trabes*, conſepta & clathri de trabibus, circumdant *arua* ſ. ſpatia circi, quadrigis ordinarie ſolita tribui, & ſpecies *arenæ* amphitheatralis ſubito comparatæ, fundi videt intra ſe Africanarum beſtiarum ſanguinem in *valle aliena* h. e. in cavo aliis alias, equeſtribus ſcilicet, ſpectaculis deſtinato. Circus Maximus vallem inter Palatinum & Aventinum montes occupat.

621 *Belligeros* modo *ludos*, ſ. bella ludicra, memorat poëta: nam gladiatorii cruenti eo ipſo tempore abrogati ſunt. Forte promoverunt hoc interdictum preces Honorio oblatæ a Prudentio adv. Symmach. 2, 1113 ſq. Abrogaverat illos in Oriente jam olim Conſtantinus M. Vid. Gothofr. ad l. 1 C. Th. de Gladiatoribus.

622 *Armatos choros.* Hæc eſt illa Pyrrhicha, quam *armaturam* poſtera ætas dixit, de qua diligenter egit Valeſ. ad Ammia. 14, 11 p. 58.

625 Non opus eſt, ut tympani intelligamus pulſus: poteſt flagelli a valida excuſſione ſubito reducti ictus, aut ſonus quicunque alius percuſſione excitatus ſic indicari.

Vibratis. grave parma ſonat mucronis acuti
Murmure, & umbonum pulſu modulante reſultans,
Ferreus alterno concentus clauditur enſe.
Una omnis ſubmiſſa phalanx, tantæque ſalutant
Te, Princeps, galeæ. partitis inde catervis
In varios docto diſcurritur ordine gyros,
Quos neque ſemiferi Gortynia tecta juvenci,
Flumina nec crebro vincant Mæandria flexu.
Diſcreto revoluta gradu torquentur in orbes
Agmina, perpetuiſque immoto cardine clauſtris
Janus bella premens, lætæ ſub imagine pugnæ,
Armorum innocuos Paci largitur honores.
Jamque novum faſtis aperit felicibus annum
Ore coronatus gemino. jam Tibris in uno
Et Bruti cernit trabeas, & ſceptra Quirini.

628 mucronis acutum Murmura, *ſcil.* ſonant *conj. Heinſ.* 629 reſultant *MSS.* 630 plauditur *Raphel. conj.* 633 ducto *Cuj.* agmine *MS.* 635 vel crebro *MS.* 637 clathris *MS.* 638 lætæ *MS.*

628 *Mucronis* gladiorum vel haſtarum *acutum murmur* vocari poteſt, in quantum gravi de parma opponitur. De illa percuſſione clipeorum vid. Spanh. ad Callim. in Del. v. 136 p. 422 ſq.

629 *Modulantem pulſum* vocat numeroſum, numeris ac rhythmis v. g. anapæſtis, choriambis conſtantem. Talis eſt *concentus ferreus*, qui *clauditur*, h. e. continetur alternis enſium conflictibus.

634 Labyrinthi Cretici deſcriptio, *Gortynium* a Gortyna urbe vocatur quidquid Creticum vel Cretenſe eſt. *Semivir juvencus* Minotaurus. *Mæandri flexus* ad labyrinthi rationem explicandam adhibet Ovid. Met. 8, 162 qui *Phrygiis in arvis ludit, & ambiguo lapſu refluitque fluitque. Occurrensque ſibi venturas adſpicit undas* &c.

636 *Diſcretum gradum* dicit, niſi fallor, diverſum inceſſus genus, pro quo trepidiarii dicuntur equi & guttonarii, & apud Plautum totutim badizare. Vid. Veget. mulomed. 1, 56. 37, & Salmaſ. ad Capitolini Maxim. p. 13.

637 *Janus* clauſus Deæ Paci honorem hunc habet, ut ludos illi innocuos, pugnæ imaginem referentes, faciat, eo ipſo tempore quo annum aperit.

641 *Bruti* liberatoris & conſulis primi *trabea* eſt prætexta conſularis, *ſceptra Quirini* regium faſtigium notant.

Conſule lætatur poſt plurima ſæcula viſo
Pallanteus apex. agnoſcunt Roſtra curules
Auditas quondam proavis, deſuetaque cingit
Regius auratis fora faſcibus Ulpia lictor:
Et ſextas Getica prævelans fronde ſecures
Colla triumphati proculcat Honorius Iſtri.
Exeat in populos cunctis illuſtrior annus,
Natus fonte ſuo: quem non aliena per arva
Induit hoſpes honos: cujus cunabula fovit
Curia: quem primi tandem videre Quirites:
Quem domitis auſpex peperit Victoria bellis.

Hunc

651 imbuit *Raphel. conj.*

643 An hoc dicit, Palatium (nam is quidem eſt *Pallanteus apex*) poſt multa ſæcula hunc videt verum Conſulem, eundem Auguſtum, utroque tam auguſto nomine dignum? Certe ſi aliud ſibi velit, ego non intelligere me fateor. Et *plurima ſæcula* vel ſic dicta ſint ὑπερβολικῶς, niſi ſi generationes intelligamus tricenorum circiter annorum. Etiam illud longe retro removet Conſulem Honorio æqualem & ſimilem, quod *proavi audire* tantum potuere *curules* Imperatorum in Roſtris poſitas, non videre. Breviter omnia eo ducunt, quaſi reſpiciat poëta ad Trajani imperium: quo jure, viderit. Ceterum a Trajani gente Ulpia etiam Theodoſianam familiam derivat noſter, uti vidimus ad 7, 189. Quin audet Trajano aliqua parte præferre Honorium hic v. 335. Exaggerare ultra modum & laudes ſolet & crimina.

646 Utrum revera in foro Trajano f. Ulpio pompam ex triumphali & conſulari miſtam celebraverit Honorius, an ornandi modo cauſa hoc poëta finxerit, non liquet. Credibile eſt hoc forum celebraſſe principes, qui Trajani ſimiles videri vellent populo.

647 *Fronde Getica*, i. lauro in bello Getico contra Alaricum parta, velantur ſexti Conſulatus indices ſecures. In hac pompa etiam fluvii Getarum Iſtri ſimulacrum conſueta forma repræſentatum, quæ in Trajani numinis frequens eſt, memorat aut fingit Poëta, ut collum illius premeret victor Honorius.

650 *Fons* Conſulatus, & inſtitutorum Romanorum omnium eſt ipſa Roma. Conſulatus ergo, qui Romæ ſuſcipitur, *fonte ſuo* videtur *natus*.

651 *Honos hoſpes*, qui extra domum propriam, hoſpitisque adeo miniſterio exhibetur.

653 *Auſpex* fuit hujus Conſulatus *Victoria* Getica. Solebat auſpicato deferri in comitiis, ac deinde ſuſcipi Conſulatus: huic ſexto Honorii auſpicium fecit Victoria de Alarico.

Hunc & privati titulis famulantibus anni,
Et quos armipotens genitor, retroque priores
Diverſis geſſere locis, ceu Numen, adorent.
Hunc & quinque tui, vel quos habiturus in Urbe
Poſt alios, Auguſte, colant: licet unus in omnes
Conſul eas, magno ſextus tamen iſte ſuperbit
Nomine, præteritis melior, venientibus auctor.



655 regesque priores *ante Heinſ.* 657 in urbem *MS.* in orbem *MS. addita gloſſa,* in circuitum, *quod recepit in altera edit. Heinſ.*

654 *Privati anni*, quibus Conſulatum geſſere privati, quod nomen, ut plurimis Pliniani Panegyrici locis conſtat, jam olim comprehendebat omnes, exceptis Imperatoribus: ſed hæc de *titulis famulantibus* adjectio inclinati ad barbariem imperii titulus & ſignum videtur. Præcedentes igitur Conſulatus non privatorum modo, ſed etiam quos Theodoſius geſſit, & quos ipſe Honorius, hunc ſextum adorare debent: quin quotquot geret in poſterum, etiam *in urbe*, quo titulo hunc ſextum ita magnifice poëta extulit. Ratio, color certe, ſplendida brevitate proponitur. Hic enim ſextus Conſulatus melior eſt ſuperioribus, & exemplum futuris præivit. Finis magnifici carminis inveniri magnificentior an potuerit, dubito.

XXIX

CL. CLAUDIANI LAUS SERENAE REGINAE

UXORIS STILICHONIS

Dic, mea Calliope, cur tanto tempore differs
Pierio meritam ſerto redimire Serenam?
Vile putas donum, ſolitam conſurgere gemmis,
Et rubro radiare mari, ſi floribus ornes
Reginæ Regina comam? ſi floribus illis,
Quos neque frigoribus Boreas, nec Sirius urit
Aeſtibus, æterno ſed veris honore rubentes

Fons

Totum carmen hoc deeſt in Vic. 1 dic mihi *vulg.* mea *etiam Cuj. it. Vien. & probabat Barth.* cur tanto in tempore, c. tantum i. tempore, cur tantum interprete *al.* cur tanta in tempora *Cuj. & ſic conj. Heinſ.* 4 aut *MSS.* ſed floribus *al.*

* Carmen vel non abſolutum a Poëta forte, poſtquam Serena ſupplicio affecta eſt, vel mutilatum temporis injuria. Sero ſcriptum, ipſe primus verſus indicat.

3 *Conſurgit* coma, cum in galerum vel tutulum ſtruitur.

4 *Rubrum mare* ſ. Erythræum patria gemmarum i. oriens. Vid. 28, 563.

5 Vel hoc ipſum carmen ſatis declarat, *Reginas* vocari non ſolas regum uxores, aut quæ ipſæ rerum potiuntur, ſed filias quoque & ſorores regum: ut nempe ipſum quoque regis nomen latius patet. DI Deæque etiam inferioris ſubſellii ut hic Muſa Calliope, Reges & Reginæ ſunt, ut Græcis ἄνακτες & ἄνασσαι.

7 *Veris honorem* eſſe flores, apertum eſt: *rubentes* non puto ſimpliciter ad colorem pertinere, ſed lucem & vividum ſplendorem indicare, ut Virg. Ge. 4, 36 *Ante novis rubeant quam prata coloribus*: & *ſuave rubens hyacinthus* ecl. 3, 63: & *ſuave rubens narciſſus* Ciri 96. Et ne obiicias, narciſſos rubros etiam memorari, etiam hyacinthos non modo ferrugineos, ſed & rubros: cogita etiam *Brachia purpurea candidiora nive* eſſe Albinovani 2, 62: & *olores purpureos* Horatii Car. 4, 1. 10. Nempe *purpureum* & hic *rubens* eſt ſplendidum, luminis plenum, ἀγλαόν. Vid. Lacerda ad Virg. Aen. 6, 641 & quos laudat Gorallus ſ. Clericus ad Albinovani l. c. Cf. 31, 116. 35, 90.

Fons Aganippea Permeſſius educat unda:
Unde piæ paſcuntur apes, & prata legentes
Tranſmittunt ſæclis Heliconia mella futuris.
Dignius an vates alios exercuit unum
Femineæ virtutis opus? conſorte redemto
Caſta maritali ſucceſſit Theſſala fato,
Inque ſuos migrare virum non abnuit annos.
Hoc Graji memorant. Latiis movet ora Camœnis
Præſcia fatorum Tanaquil, rediensque per undas
Clœlia Tibrinas, & eodem flumine ducens
Claudia virgineo cunctantem crine Cybellen.
Anne aliud toto molitur carminis actu
Mæonii mens alta ſenis? quod ſtagna Charybdis
Armarit, quod Scylla canes, quod pocula Circe:
Antiphatæ vitata fames, ſurdoque carina
Remige

8 Permeſidos *Cuj. Ald.* 9 paſcantur *MSS.* 11 dignius haud *Vien. Baſ.* 14 viros *MS. inde* viro *conj. Heinſ.* 18 fune Cyb. *conj. Heinſ. ſed mox ab ipſo damnata.*

8 *Permeſſus* Heliconis fons & flumen apud Heſiod. Theog. 5, & Virgilium Ecl. 6, 64. Vid. Strabo 9 p. 281. De *Aganippe* vel ex 17, 272 conſtare poteſt. Ovid. Faſt. 5, 7 *Hippocrenen Aganippida* unum fontem facit.

9 In hac allegoria *piæ apes* Poëtæ ſunt.

13 *Theſſala* hæc Alceſtis Admeti conjux eſt. Vid. 26, 439.

16 *Tanaquil* Tarquinii Priſci conjux teſte Livio 1, 34 *perita, ut vulgo Etruſci, cœleſtium prodigiorum mulier:* cujus rei ibi ſpecimina memorantur. De *Clœlia* Liv. 2, 13.

18 De *Claudia* Veſtaline virgine, an matrona, diſputandi occaſionem dedit ſcriptorum diſſenſus. Vid. Brouckh. ad Propert. 4, 11. 51, Drakenb. ad Sil. 17, 33 & Duker. ad Liv. 29, 14. Id, quo alligatam navem, cum in vadis Tiberinis hæreret, matris Deum, ſperduxiſſe dicitur Claudia, *funem* vocat Propert. l. c. & Sil. l. c. 41. Fuerit igitur funis ex Claudiæ capillis tortus. *Cingulum* dicunt fere Chriſtiani, qui ejus meminerant, apologetæ. Graphicum hujus deductionis monimentum habetur in Muſeo Veron. p. 252, 4, in quo catenam potius grandibus annulis intelligas, quam funem. *Capillum* nominat Sido. Apoll. car. 24, 43 *Qualis nec Phrygiæ dicata Veſtæ, Quæ contra fatis Albulam tumentem Duxit virgineo ratem capillo.* Cybellen, Cybellem, Matrem Deum Phrygiam, eſſe idem numen meminerimus.

19 Audax pronunciatum poëtæ, Totius Odyſſeæ conſilium eſſe ornare Penelopen, cum quidquid vel fecit vel paſſus eſt Ulyſſes, illius cauſa ſuſceperit.

22 *Antiphatæ fames* Læſtrygonis, qua ille appeteret carnem humanam. Sedes fabulæ Odyſſ. K, 114.

Surdos

Remige Sirenum cantus tranſvecta tenaces:
Lumine fraudatus Cyclops, contemta Calypſo:
Penelopæ decus eſt atque uni tanta paratur
Scena pudicitiæ: terræ pelagique labores,
Et totidem ſævi bellis, quot fluctibus, anni,
Conjugii docuere fidem. ſit Claudia felix
Teſte Dea, caſtoſque probet ſub numine mores,
Abſolvens puppiſque moras crimenque pudoris:
Penelope trahat arte procos, fallatque furentes
Stamina nocturnæ relegens ſollertia telæ;
Non tamen audebunt titulis certare Serenæ.
Quod ſi nobilitas cunctis exordia pandit

Laudi-

25 Penelopeque ſuum decus eſt, cui *Vien. forte* Penelopeja, tuum. Pen. decus atque ſuum, cui *Junt. Plant.* Pen. dec. atque uni *Ald.* Penelopes decus æquævum *Raph.* Pen. decus auſa ſuum *Clav.* Penelopea decus uni cui *conj. Barth.* Penelopæ decus atque viri *Cuj.* 27 et ſævi totidem *vulg.* bello *al.* 28 decuere *MS.* ſic Claudia *al.* 32 ſtamine *Vien. Baſ.* Laërtia *MSS. etiam Cuj.* lacertia *MS. ubi emendatum* laſſantia. laxantia *MS.* certiſſima *Ald. & MSS.* 33 ſervare *MS. unde* ſe æquare *conj. Heinſ.*

Surdos idem Ulyſſes fecit ſocios ſuos ſive *remiges* auribus cera obturandis; ſe alligari juſſit ad malum. *Cantus tenaces*, qui retinent, & quaſi invitum affigunt, ne velit poſſitque adeo diſcedere.

24 *Contemta Calypſo* quin decus ſit Penelopes? non eſt dubium. Sed quid ad illam Polyphemi oculus exterebratus? niſi forte facit ita tenerum amorem Ulyſſis in conjugem, ut illius tantum reviſendæ cauſa vivere, utque vivere poſſet, excæcare Polyphemum voluerit. Tale quid de ſe ſuaque uxore prædicat Seneca epiſt. 104 p. 514 de tutela valetudinis agens, *Quid jucundius, quam uxori tam carum eſſe, ut propter hoc tibi carior ſias. Poteſt itaque Paulina mea non tantum ſuum mihi timorem imputare.*

25 *Uni pudicitiæ* Penelopes celebrandæ paratur tanta ſcena mirabilium hiſtoriarum.

27 Decem Ulyſſis anni *ſævi* erant *bellis* & pugnis ad Trojam, *totidem* anni *fluctibus* ac tempeſtatibus in reditu ſuſtinendis. Omnes fidelem oſtenderunt conjugi, cujus inde elucet virtus & amabilitas.

30 *Crimen pudoris*, intell. violati. Fuiſſe enim ante hoc factum ambiguæ famæ Claudiam, ſcriptores laudati narrant.

32 *Solertia* eſt ipſum virtutis nomen abſtractum pro concreto poſitum. Sed quod *nocturnam telam* vocat, non eſt accipiendum, quaſi nocte texuerit Penelope, ſed tela, quam nocte retexuit: hoc ſignificat h. l. verbum *relegere*, q. d. retro legere, ut *relegere curſus* Horat. car. 1, 34. 5 eſt retro currere ea via qua veneras.

Laudibus, atque omnes redeunt in ſemina cauſſæ,
Quis venerabilior ſanguis? quæ major origo,
Quam regalis, erit? non hoc privata dedere
Limina, nec tantum poterat contingere numen
Anguſtis Laribus. patruo te Principe celſam
Bellipotens illuſtrat avus: qui ſigna Britanno
Intulit Oceano, Gætulaque reppulit arma.
Claram Scipiadum taceat Cornelia gentem,
Seque minus jactet Libycis dotata tropæis.
Cardine tu gemino lauros prætendis avitas.
Inde Caledoniis, Auſtralibus inde parentum
Cingeris exuviis. Necdum moderamina mundi
Sumſerat illa domus, cum te Lucina beatis
Ederet aſtrorum radiis. o maxima rerum
Gloria! poſt genitam didicit regnare Serenam.

Quid

37 non te priv. *vulg.* 38 nomen *vulg.* 48 adderet *omnes. Sed* ederet *MS. Palatinus, & conjecerat Gevartius, & reponi Heinſius juſſerat.*

35 *Omnes* laudes redeunt tanquam in ſemina cauſæ ſuæ. Ingenita a majoribus virtus, ingenium virtutis capax, velut ſemen eſt, e quo enaſcuntur actiones. Cur tantus vir factus eſt Cæſar? præclarum nactus erat ingenium, materiem velut herois. Hoc jam ad Serenæ natales transfert, de quibus videnda Tabula genealogica.

38 *Numen* hic majeſtas, & magna vis ingenii.

42 *Cornelia* Grachorum mater virtute & doctrina florens mulier, cujus etiam fragmenta literarum exſtant, & cum Cornelio Nepote ſolent edi.

44 *Cardinem* ponit ut alias *polum*, pro regione: quamquam hic etiam propria ſ. anguſtiore ſignificatione poteſt accipi, cum ſeptentrionales ſint Britanni, Caledonii præſertim, qui hodiernis Scotis (vid. 22, 146) reſpondent. Conf. 7, 52. 8, 24 ſq. *Prætendis lauros*, præ te fers, ut in triumpho.

45 *Parentum* nomine patrem & avum comprehendit. *Exuviæ*, ſpolia, quæ detraxerunt pater & avus hinc Britannis hinc Mauris.

47 *Luna* maturandis partibus præfecta, *Rite maturos aperire partus Lenis Ilithyia* (Hor. Car. ſæc. 13) *edidit* Serenam *beatis aſtrorum radiis*, ſub felici conſtellatione.

49 Splendidum nihil hoc videtur. Tale quid autem, niſi fallor, in animo poëta habuit: domus Theodoſiana ideo regno aucta eſt, quia habebat jam Serenam, quam humilior ſors regia non deceret. Ceterum hinc diſcimus, poſt A. C. 379 quo imperare cœpit Theodoſius, natam eſſe Serenam.

Quid dignum memorare tuis, Hiſpania, terris
Vox humana valet? primo levat æquore Solem
India: tu feſſos exacta luce jugales
Proluis, inque tuo reſpirant ſidera fluctu.
Dives equis, frugum facilis, pretioſa metallis,
Principibus fecunda piis. tibi ſæcula debent
Trajanum: ſeries his fontibus Aelia fluxit.
Hinc ſenior pater; hinc juvenum diademata fratrum.
Namque aliæ gentes, quas federe Roma recepit,
Aut armis domuit, varios aptantur in uſus
Imperii: Phariæ ſegetes, & Punica meſſis
Caſtrorum devota cibo: dat Gallia robur
Militis: Illyricis ſudant equitatibus alæ.
Sola novum Latiis vectigal Iberia rebus
Contulit,

51 primum *malit Heinſ.* lavat *vulg. Sed* levat *jam Vien. marg. & Baſ. marg.* 53 tuos - fluctus *MSS.*
62 Illyricæ *conj. Heinſ.*

50 Poſt generis laudem tranſit ad patriam, & hic etiam, ut ſolet, modum excedit.

51 Solemne poëtis Solem mergere Oceano occidentali circa Hiſpaniam, & Indico ſive Orientali educere. Vid. 18, 353. Dant illi nempe equos, quos a fatigatione & ſudore curant abluendo poëtæ, ut noſtros.

54 *Equus* antiquum Hiſpaniæ in nummis ſymbolum, ad equorum, quos gignit multitudinem & præſtantiam refertur. Propter fertilitatem terræ, & metallorum divitias olim fuiſſe nobilem idque mutatum, & quibus rationibus? non difficilis, ſed longior eſt diſputatio.

56 *Series Aelia*, Hadrianus, & qui ab eo nomen per adoptionem duxere. *Senior pater* Theodoſius eſt; *juvenes fratres* Arcadius & Honorius. Dicit *juvenum diademata* ad ſignandos juvenes diademate regio ornatos.

58 *Gentes* vocat, ſed maxime regionum ipſarum munera intelligere poëtam, apparet.

61 *Devota* videtur dixiſſe, ut inde numen aliquod & divina majeſtas Imperii Ro. intelligatur. Deo enim proprie *devoveri* aliquid dicitur.

62 *Miles* antiqua ratione ab equite diſtinguitur. *Illyricæ* gentes adhuc equeſtrem militiam amant: inde illa Huſarorum, ut hodie vocantur, diſciplina. Nempe loquimur de Illyrico, quantum erat Claudiani ætate, ad Danubium usque a ſinu inde Hadriatico patens. Vid. ad 7, 201. Verbo *ſudant* celeritatem, credo, equorum voluit notare. Hor. Car. 1, 25. *Eheu quantus equis, quantus adeſt viris ſudor! Alas* eſſe equitum, ut militum *cohortes*, bene poëta meminerat.

Contulit, Auguſtos. Fruges, æraria, miles
Vndique conveniunt, totoque ex orbe leguntur:
Hæc generat, qui cuncta regant. nec laude virorum
Cenſeri contenta fuit, niſi matribus æque
Vinceret, &, gemino certatim ſplendida ſexu,
Flaccillam Mariamque daret pulcramque Serenam.
Te naſcente ferunt per pinguia culta tumentem
Divitiis undaſſe Tagum. Callæcia riſit
Floribus, & roſeis formoſus Duria ripis
Vellera purpureo paſſim mutavit ovili.
Cantaber Oceanus vicino litore gemmas
Exſpuit: effoſſis nec pallidus Aſtur oberrat
Montibus. Oblatum ſacris natalibus aurum
Vulgo vena vomit. Pirenæisque ſub antris
Ignea flumineæ legere Ceraunia nymphæ.
Quæque

73 vellere - ovile *vulg.* 77 Pirenæique - fulmineis *vulg.*

69 Aelia *Flaccilla* mater Imperatoris Honorii, 10,43. *Maria* Honorii comitis uxor, mater Serenæ.

71 Hiſpanica nomina, & quidem Hiſpaniæ Septentrionalis, ponit, *Tagum* aureas arenas agentem, *Callæciam* regionem, ſ. Callaicam, quæ Gallicia hodie eſt, tum *Duriam*, quem *Durium* alii vocant prima Syllaba producta: ſive cogitate ita ſcripſit noſter, ſive aberravit ad Duriam Italiæ, Alpinum flumen.

73 Imitatus videtur Virgil. Ecl. 4, 43 *Aries jam ſuave rubenti Murice, jam croceo mutabit vellera luto* &c. *Ovili* deſignat gregem ovile implentium.

75 *Pallidi* metallorum Aſturiæ foſſores, quod toti huic generi, apud inferos & velut inter manes verſanti, ſolemne eſt. Cetcrum in hac auri gignendi ſocietate *Aſturiam, atque Callæciam & Luſitaniam* conjungit Plin. 33, 4 ſ. 21.

74 In litore inter calculos alios interdum inveniuntur etiam gemmæ.

76 *Oblatum -- aurum* videtur dicere cum reſpectu ad *aurum oblaticium*, quod Senatores quibusdam occaſionibus (quibus forte ex h. l. gratulatio natalium adjicienda eſt) ultro offerre Imperatori ſolebant, de quo vid. Jac. Gothofr. paratit. ad Titulum C. Th. 6, 2 de Senatoribus, & -- auro oblaticio. Pro hoc auro oblaticio igitur Serenæ natalibus aurum *vulgo vena vomit.*

78 *Ceraunia* gemma memorata Plinio 37, 9 & 10: poſteriore loco ſ. 65 nomen inde videtur repetere, quod *cadere cum fulminibus* (κεραυνοῖς) dicatur. Mihi probabile eſt, potius inſignem gemmæ fulgorem, quaſi cujusdam fulminis ſic notatum: certe noſter ea de cauſa vocat *ignea.*

Quæque relabentes undas æstumque secutæ
In refluos venere palam Nereides amnes;
Confessæ plausu dominam, cecinere futuris
Auspicium thalamis. Alio tum parvus in axe
Crescebat Stilicho, votique ignarus agebat,
Debita cui longe conjux, penitusque remoto
Orbe parabatur tanti concordia fati.
Nec tua mortalis meruit cunabula nutrix.
Ubera prima dabant gremiis redolentibus Horæ,
Ternaque

79 rebellantes *vulg.* relegentes *Ald.* & *MSS.* *it. Cuj.* recedentes *MS.*
87 aulæ *Vien.* aulam *Bas. marg.* auræ *Bas.* & *rell. ante Claver. qui primus dedit* Horæ. gremio redolente Napes *MS. unde* Napææ *conj. Heins.*

81 *Cecinere auspicium Nereides*, i. prædixere, quod illa quondam adulta matrimonium habitura, quanto marito destinata sit. Omnis antiquitas futurorum prædictionem DIs tribuit, non summis tantum, & quos majorum gentium ludens vocavit Cicero: sed minoribus quoque, Silenis, Satyris, Harpyiis adeo, tum speciatim marinis, Proteo, Nymphis &c. Ipsum *divinationis* nomen inde ortum, ut reciproca videantur esse & ἀντιστρέφειν, Deus est, ergo divinare potest: divinat, ergo divinus est. Ipsum autem *divinus* utramque notionem habet.

82 *Alio in axe*, apud Vandalos. Oros. 7, 38 *Interea comes Stilicho, Vandalorum, imbellis, avaræ, perfidæ & dolosæ gentis genere editus* &c. Sed assignare propius patriam Stilichoni, in gente tam vaga & ambulatrice, cui non inepte a nostro verbo *wandeln* nomen arcessas, difficile est: non improbabile tamen videtur, ad sinistram Danubii ripam, Illyrico, speciatim Pannoniæ oppositam, patriam Stilichonis fuisse.

83 *Voti* nuptialis, ipsarumque nuptiarum ac matrimonii. Forte hoc ipso tempore cœperunt *voti* nomine ita uti, quod deinde ICtis solemne fuit, ubi dicerent, *ad secunda vota transsire* e. i. g. a. *Debita conjux* fato destinata, solemni formula, de qua vid. ad Aen. 6, 66. *Concordia fati* ipsum matrimonium significat.

87 *Redolentia gremia* videtur Horis tribuere cum respectu ad Veris flores & fructus Auctumni, quæ tempestates apud Græcos *Horæ* peculiariter dicuntur. In Hymno Orphico p. 140 πολύοδμοι dicuntur, Πέπλους ἐννύμεναι δροσεροὺς ἀνθῶν &c. Ceterum antiquum est Horis, in quantum personæ & Deæ sunt, tale munus nutricium tribuere. Opportune huc adtulit Heinsius locum Pindari Pyth. Θ, 104 ubi Aristæum, Cyrenes nymphæ filium, Mercurius defert Horis, Ταὶ δ' ἐπιγουνίδιον κατθηκαμεναι βρέφος ἁυταῖς, Νέκταρ ἐν χείλεσι καὶ ἀμβροσίαν στάζουσι, pueri suis genibus impositi labiis nectar instillant & ambrosiam. Hic dant ubera Serenæ: itaque matres fuisse oportet, quod nescio an aliquis tradiderit. Ceterum nomina boni ominis tribuunt eis Hesiodus Theog. 902 Hymnusque Orphicus 42 Ευνομίαν, Δίκην, Ειρήνην.

Ternaque te nudis innectens Gratia membris
Afflavit, docuitque loqui. Quacumque per herbam
Reptares, fluxere roſæ: candentia naſci
Lilia. Si placido ceſſiſſent lumina ſomno,
Purpura ſurgebat violæ, factura cubile
Gramineum, vernanſque tori regalis imago.
Omina non audet genitrix tam magna fateri,
Succeſſusque ſuos arcani conſcia voti
Spe trepidante tegit. Geſtabat Honorius arcto
Te pater amplexu. Quoties ad limina princeps
Theudoſius privatus adhuc fraterna veniret,
Oſcula libabat, teque ad ſua tecta ferebat
Lætior. In matrem teneris converſa querelis,
Quid de me propriis auferre Penatibus, inquis,
Imperat hic ſemper? Præſagia luſerat error,

Et

89 affluxit *MSS. Cuj.* alluſit *MSS.* quocunque *MSS.* 90 comæ *Cuj.* 92 fulgebat *vulg.* fractura *ex 2 MSS. & Gronovii conj. Heinſ.* 93 vernatque *vulg.* 94 omnia *plerique editi. Sed* omina *jam Baſ. Barth.* 99 in ſua t. *vulg.* 101 quis-Imperat? *al.* patriis *malit Heinſ.* inquit *al.*

89 *Afflavit* delectum docte verbum, quo divinum munus, commendationem vultus, ſermonis, geſtus, impertitam Serenæ, declaratur, ut Aen. 1,391 filio ſuo Aeneæ *lumenque juventæ Purpureum, & lætos oculis adflarat honores.*

91 Si in gramine dormiendi cauſa jaceret Serena infans, *ſurgebat* ſtatim e terra purpurea viola, *factura* & præſtitura infanti *cubile.* Hæc erat veris ſpeciem præbens *imago regalis* lecti, cui deſtinata erat puella. Igitur *factura* ſervandum puto: *fractura* neſcio, quomodo hic placere potuerit. *Frangere lectos* ſ. *toros* dicuntur ſuo incubitu homines: purpura violæ quomodo frangere cubile potuerit, non video. Porro bene convenit, ut illa *purpura* dicatur per appoſitionem *imago tori*, ſpecies lecti.

94 *Genitrix* Serenæ hæc portenta obſervans, & pro ominibus illa magnitudinis infanti deſtinatæ habens, non auſa eſt fateri. Si Chriſtiana fuit, ut nec improbabile eſt, forte Joſephi patriarchæ invidiam metuit.

98 *Theudoſius.* De hac forma vid. ad 15, 216.

102 Hoc proprie *omen* vocabant, cum verba alio conſilio prolata apte caderent, ut poſſent futurum quiddam ſignificare. Collegi olim pluſcula de hoc genere ominum Chreſtom. Plin. 51, 55 p. 438 præſertim ex Cic. de Divinat. 1, 45 & 2, 40. Parvula Serena queritur, a Theodoſio patruo de ſuis Penatibus

Et dedit augurium regnis infantia linguæ.
Defuncto genitore tuo ſublimis adoptat
Te patruus, magnique animo ſolatia luctus
Reſtituens, propius, quam ſi genuiſſet, amavit
Defuncti fratris ſobolem. Nec carior olim
Mutua Ledæos devinxit cura Laconas.
Addidit & proprio germana vocabula nato;
Quaque datur, fratris ſpeciem ſibi reddit ademti.
Denique cum rerum ſummas electus habenas
Suſciperet, non ante ſuis impendit amorem
Pignoribus, quam te pariter fidamque ſororem
Litus ad Eoum terris acciret Iberis.
Deferitur jam ripa Tagi, Zephyrique relictis
Sedibus Auroræ famulas properatur in urbes.
Incedunt geminæ proles fraterna puellæ;
Inde Serena minor, prior hinc Thermantia natu,
Expertes thalami, quarum Cythereïa nec dum
Sub juga cervices niveas Hymenæus adegit.
Utraque luminibus tumidum micat: utraque pulcras
Excitat

108 dilexit *MSS. Cuj.* 111 delectus *al.* elatus *al. etiam Cuj.*
112 intendit *ante Heinſ.* 121 timidum *ante Heinſ.*

tibus auferri: hoc deinde magna cum illius felicitate factum per adoptionem. *Regnum* hic eſt conditio mulieris a Rege vel Imperatore adoptatæ.

108 *Laconas* intelligit Caſtora & Pollucem, quorum hic natura immortalis, illum mortali creatum ſemine *alterna morte redemit*, ut eſt Aen. 6, 121. Theodoſius ſuo filio dedit *germana vocabula*, nomen fratris ſui defuncti, vocavit Honorium.

114 *Sororem* Serenæ Thermantiam forte neſciremus, niſi hic & deinde v. 186 illius memoriam ſervaſſet poëta.

116 *Urbes Auroræ famulæ* Orientalis imperii ſedes Conſtantinopolis, & vicinæ.

119 *Cythereia juga* eſſe matri amorem ſexus alterius, conſtat: ille amor, illud jugum eo ſanctius eſt, cum *Hymenæus*, nuptiarum Deus, cervicem ante liberam ſub illud adegit.

121 *Tumidum* a poëtis ad maturitatem nubilem ſignificandam adhiberi, vel noſter ſatis docet 31, 124 *Matura tumeſcit virginitas.* Sic *Tumida virginitas eſt* Stat. Theb. 2, 204, & Achill. 1, 292 *Virginitas matura toris, annique tumentes.* Nondum tamen auſim ſimpliciter

Excitat ore faces. qualis Latonia virgo,
Et ſolo Jove nata ſoror: cum forte reviſunt
Aequorei ſortem patrui, ſpumantia cedunt
Aequora, caſtarum greſſus venerata Dearum.
Non ludit Galatea procax, non improbus audet
Tangere Cymothoën Triton, totoque ſeveros
Indicit mores pelago pudor, ipſaque Proteus
Arcet ab amplexu turpi Neptunia monſtra.
Tales ſceptriferi viſuræ tecta parentis
Limen Honoriades penetrant regale ſorores.
Ambas ille quidem patrio complexus amore:
Sed merito pietas in te proclivior ibat.
Et quoties, rerum moles ut publica cogit,
Triſtior, aut ira tumidus flagrante redibat,
Cum patrem nati fugerent, atque ipſa timeret
Commotum Flaccilla virum, tu ſola frementem
Frangere, tu blando poteras ſermone, mederi.
Alloquiis hærere tuis: ſecreta fidelis:
Priſca puellares reverentia tranſilit annos.

127 totique *malit Heinſ.* 128 inducit *vulg.* 135 rediret *vulg.* 139 fideli *Ald. Junt. MSS. quod ſervat Heinſ. & putat, poſt hunc verſum unum alterumque excidiſſe. Malui interim dare lectionem Vien. Baſ. Plant. Clav. Barth.* 140 transtulit *MS. Barthii.*

pliciter damnare antiquam lectionem *timidum*, quæ virginalem modeſtiam, virorum metuentem, indicare poteſt. Verbum *micare* vividum illum oculorum vigorem, quas ſibi ſagittas Cupido facit, ſignat: *timidum* illis ignibus moderatur.

123 *Solo Jove* nata eſt, e cerebro illius, Minerva, ſoror Dianæ.

124 *Patruus* filiarum Jovis Neptunus. *Spumantia* ipſum jam indicat quiddam affine Veneri, quæ Ἀφροδίτη, e ſpuma maris orta putatur.

127 *Tritonis & Cymothoës* luſus deſcribit etiam 10, 136 ſq.

128 *Proteus* velut paſtor quidam monſtrorum marinorum. Virg. Ge. 4, 395. Hor. Car. 1, 2, 7.

135 Hic alius *tumor* ab ira ut Hor. A. P. 94 *Iratus Chremes tumido delitigat ore.* Vid. Bentl. ad ejus libelli v. 197, ubi legit, *Et amet pacare tumentes.*

139 *Alloquiis hærere tuis* ſolebat Theodoſius: tu, Serena, *ſecreta*, taciturna, ſecreti capax jam tum eras, & *fidelis*. *Priſca*, ſæculo antiquo digna *reverentia*, & venerabilitas, ſit venia verbo, quæ in te erat, ſuperabat annos puellares.

Non talem Triviæ confert laudator Homerus
Alcinoo genitam: quæ, dum per litora veſtes
Explicat, & famulas exercet læta choreas,
Auratam jaculata pilam, poſt naufraga ſomni
Otia, progreſſum foliis expavit Ulyſſem.
Pierius labor, & veterum tibi carmina vatum
Ludus erant: quos Smyrna dedit, quos Mantua, libros
Percurrens, damnas Helenen, nec parcis Eliſſæ.
Nobiliora tenent animos exempla pudicos.
Laodamia ſequens remeantem rurſus ad umbras
Phylaciden, & prona ruens Capaneia conjux
Communes ardente viro miſtura favillas,
Et gravis incumbens caſto Lucretia ferro,
Vulnere quæ proprio, facinus teſtata tyranni
Armavit patriæ juſtos in bella dolores,
Exſule Tarquinio; memorandaque concidit uno
Ulta pudicitiam libertatemque cruore.
Talia facta libens non tu virtute minori,

Sed

145 Ulixem *MS.* 147 erat *al.* 148 Eliſæ *al.*

141 Nauſicaæ Alcinoi Phæacum regis filiæ præfert Serenam, quam Dianæ (hæc enim eſt *Trivia*, triformis Hecate) comparat Homerus *Od.* Z, 102. Hæc dum ſiccantur in litore veſtes, pila ludit cum puellis ſuis; ſtrepitu illo excitatus Ulyſſes a naufragii labore ſomno ſe recreans, prodit de virgultis ſuis &c.

147 *Smyrnam* hic facit Homeri patriam, imitatus Statium ſuum Silv. 4, 2. 9 *Non, ſi pariter mihi vertice læto Nectar adoratas & Smyrnæ & Mantua lauros, Digna loquar.*

148 Laudat caſtitatem Serenæ, quæ *Helenen damnet*, nec *Eliſſæ* ſ. Didoni, *parcat*: ſecus atque illa apud Juvenalem 6, 435 doctrinæ affectatrix, quæ *perituræ ignoſcit Eliſſæ.*

150 *Laodamia* impatienter adeo tulit mortem Proteſilai conjugis ſui, cui Iphiclus pater, *Phylacus* avus aſſignatur (vid. Euſtath. ad Iλ. B, 695 p. 245, 11) ut mortem in complexu ejus ab inferis revocati oppeteret. Hinc *comes extincto Laodamia viro* Ovid. Tr. 1, 6. 20. Hujus Laodamiæ ad Proteſilaum ſuum eſt Ovidiana Epiſtola XIII.

151 *Capanei* conjux Evadne, viri ſe rogo injecit, de qua Martial 4, 75 *Arſerit Evadne flammis injecta mariti.* Evadnen & Laodamian etiam uno verſu Aen. 6, 447 junxit Virgilius.

156 Ablativi *Exule Tarquinio* rarior hic vis eſt. Ita armavit dolores patriæ Lucretia, ut exſul fieret, exſulatum abiret ad Etruſcos, Tarquinius.

Sed fato meliore, legis. Jam nubilis ætas
Principe follicito votis erexerat aulam
Incertis, quem tanta tori fortuna maneret.
Antiquos loquitur Muſarum pagina reges,
Quod dira ſub lege procos certare juberent,
Emturos thalamum dubii diſcrimine leti,
Et ſua crudeles gauderent pignora mortis
Ambitione peti. Curru Piſæa marino
Fugit tela Pelops. nam perfidus objice regis

160 aulæ Ingentis *MS. hinc* aulam Intentis *conj. Heinſ.* 163 dira *MSS.* 166 maligno *MS.* marito *conj. Scal. quod recepit Heinſ.* marino *etiam defenditur in Miſcell. Obſervatt. Britann. Vol. 1* p. 323. 167 providus *vulg.* fervidus *MSS. Cuj.* pervidus *MS.*

159 *Fato meliore.* Laodamia, Evadne, Lucretia, amorem maritorum & fidem conjugii probarunt in morte virorum, in injuria illata corpori: tu felicior, idem factura, non habuiſti exempli talis occaſionem vel neceſſitatem.

160 *Vota* referenda videntur ad adoleſcentes, qui erigebantur votis & ſpe nuptiarum regiarum.

163 *Quod* particula non ſimpliciter ἀφηγηματικὴ eſt, quam tamen hæc ætas non refugit; ſed poteſt rationalis ſ. cauſalis quodammodo videri. Quosdam reges hoc nomine celebravit hiſtoria, *quod juberent* &c. His regibus e noſtris libris addere licet Saulum, a genero ſuo C præputia Philiſtæorum ſibi ſtipulantem.

164 *Emere thalamum*, Virgiliana formula, Ge. 1, 31 *Teque ſibi generum Tethys emat omnibus undis.* Hic etiam ad antiquum omnium fere gentium morem reſpicitur, quo viri ſibi emebant, pretio comparabant, uxores.

166 Oenomaus Elidis & Piſarum tyrannus, a genero mortem ut caveret aboraculo monitus eam legem poſuit procis Hippodamiæ filiæ ſuæ, ut eam haberet, qui ipſum patrem quadrigis viciſſet, interficerentur vero victi. Poſt XIII ita interemtos accipit conditionem Pelops &c. *Currum* pro equis junctis hic etiam capiendum, apparet: *Marinum* autem, a Neptuno acceptum. Fabula hæc inter nobiliſſimas Græcorum, multis quoque monimentis, quæ Pauſanias adhuc vidit, celebrata. Vid. qui laudantur ad Hygi. fab. 84. Cum ab ea originem ludorum Olympicorum derivarent, ſuo illam more cecinit Pindarus Ol. A. Illud de equis, a Neptuno acceptis v. 139 ſq. Hinc *Neptunia lora* Pelopi dat Stat. Theb. 6, 283.

167 *Objex* ſ. obex eſt ille clavus, qui perforato axi extremo inditus prohibet, ne rota, lubricato axungia modiolo, inter rapidum illum circumactum deſilire, deſtituere (*decipere*) axem, & terræ illiſum frangere, evertere quidem certe aurigam, poſſit. Hunc clavum, (ἔμβολον ἐπὶ τῷ ἀκροξονίῳ) aut plane non indidit, aut cereum fecit Myrtilus, faber & auriga Oenomai (ἁρματοπηγὸς καὶ ἡνιόχος) ab Hippodamia corruptus, ut ex antiquioribus narrat Schol. Apollo. Argon. 1, 752.

Prodidit Oenomai deceptum Myrtilus axem.
Hippomenes trepidus curſu ferroque ſecutam
Aurato volucrem flexit Schœneïda pomo.
Herculeas vidit fluvio luctante palæſtras
Mœnibus ex altis Calydon, pretiumque labori
Deïanira fuit, cum pectore victor anhelo
Alcides premeret, retroque Acheloïus iret
Decolor. Attonitæ ſtringebant vulnera Nymphæ.
Saucia truncato pellebant flumina cornu.
Te non Heſperidum pomis, non amne ſubacto,
Non ſocerum fallente rota, ſed judice dignus
Auguſto, variis Stilicho ſpectatus in armis
Accipit, & regni dotes virtute paravit.

Saepe

172 laboris *vulg.* 173 pectore - fremeret *vulg.* 176 ſquallebant *conj. Heinſ.*

168 *Deceptus axis* eſt, ut jam innuimus, deſtitutus ab illo clavo ſ. retinaculo ſuo, ut non amplius innitatur rotæ, ſed terræ illiſus frangatur, aut hæreat certe. Vid. de uſu hujus verbi poëtico copioſam ſilvam ab Heinſio & Burmanno collectam ad Aen. 4, 17.

169 Hippomenis & Atalantæ Schœnei F. fabulam delicate narrat Ovid. Met. 10, 560. Breviter curſu certantem ſecum puellam, quoties ſuperatura videbatur, malo aureo (qualia ſunt Heſperidum, quorum tria a Venere acceperat) projecto retardavit. Turbas ac diſſidia mythologorum de hac Atalanta refert Spanh. ad Call. H. in Dian. v. 216 p. 275 ſqq.

171 Deianiram Oenei, qui Calydone imperitabat, filiam, ſimul petebant Hercules & Achelous, fluvius patrius, qui, ut alii DI marini, formas aſſumere, prout opus eſſet, varias poterat. Exitus hic fuit, ut ſuperaret Hercules, cornu alterum perderet Achelous, quod nymphæ ſuſceptum fructibus omnibus impletum *Copiæ Cornu* fecere: eædem nempe, quas noſter facit *ſtringere*, h. e. alligare & claudere ſtudere vulnera patris ſui. Narrat pulchre ipſe Achelous apud Ovid. Met. 9 pr. De fluvio *pallente*, & *cornibus* fluviorum conf. dicta ad 20, 163 ſq.

177 *Heſperidum poma* vocat mala aurea, quæ a Venere accepta jactavit, ut modo dictum, Hippomenes. Cf. 7, 37.

Sæpe duces meritas bello tribuere coronas.
Hunc cingit muralis honos: hunc civica quercus
Nexuit: hunc domitis ambit roſtrata carinis.
Solus militiæ mira mercede jugalem
Promeruit Stilicho, ſocero referente, coronam.
Agnovit patrui ſimilem Thermantia curam:
Nupſit & illa duci. ſed longe fata ſororis
Inferiora tuis. alio tibi lumine tædas
Accendit Romana Salus, magniſque coronis
Conjugium fit cura tuum. dilectus equorum,
Quos Phrygiæ matres, Argeaque gramina paſtæ
Semine Cappadocum ſacris præſepibus edunt,

181 meritis *vulg.* 188 numine *ante Heinſ. non certe male.* munere *MSS.* vivere *MSS.* lumine *ex conj. repoſuit Heinſ.* 189 choreis *MS.* coloris *MS.* 190 cauſa *MSS.* caa *Cuj.* chorèis Conj. junctura tuum, *vel* tropæis-fotura ſ. fultura *al.*

180 *Regni Dotes*, munera, quæ debebantur domui regiæ pro puella regina.

181 De militaribus coronis multa ubique mentio. Locus claſſicus Plin. 16, 4 explicatus & illuſtratus a me Chreſtom. Plin. n. 72 collato præſertim altero Gellii 5, 6.

184 *Jugalem coronam* h. e. nuptialem ſ. matrimonium e domo regnatrice, militaris virtutis præmium interdum fuiſſe, docet hiſtoria tum ſacra, tum alia.

185 *Referre mercedem* hic dicitur ea ratione, ut referre gratiam.

187 Quis hic *dux* maritus Thermantiæ fuerit, non poteſt hodie, ut videtur, confici. Barthius conjicit, fuiſſe Bathanarium, de quo Zoſ. 5, 37: ſed levi nimis conjectura.

189 *Romana ſalus* hic ut Deæ cujusdam nomen poni videtur, ita fere ut alias Fortuna P. R. Quæ ſequuntur, ita intelligo: *Conjugium tuum*, Serena, fit in Stilichone *cura* & incitamentum *magnis coronis*, h. e. ad fortia facta patranda, & magnas inde promerendas coronas. Dativus caſus *coronis* poſitus pro accuſativo a præpoſitione *ad* recto. Sed dignius mihi locutus videretur poëta, ſi pro *cura* legeretur *cauſa*: quod nomen, cum invenire in bono libro optarem, voti critici me compotem mox obſervavi.

191 *Dilectus equorum* indicat illud quod eſt in tabula honorum Stilichonis *Comes domeſticorum & ſtabuli ſacri.* Vid. Guther. de Off. Do. Aug. 2, 17. Nam *ſacra* vocantur Conſtantinopolitanorum non *largitiones* modo, ſed *ſtabula* etiam & *præſepia*. Laudantur hic patriæ equorum inſignium. Atque Argos *ἱππόβοτον* quidem jam Homero laudatum Ιλ. Γ, 75 & 258. Vid. Varr. R. R. 2, 1. 9. *Phrygios* hoc poëtæ noſtri teſtimonio, ab ætate Vegetii non remoti, intelligo Mulom. 4, 6. 3 ubi *Frigiſci* librariorum culpa vocari videntur. Eodem loco memoratur *Cappadocum glorioſa curribus nobilitas.*

Primus honos. Gemino mox idem culmine duxit
Agmina: commiſſosque labor ſic geſſit honores,
Ut ſemper merito princeps cum magna dediſſet,
Deberet majora tamen. Si bellica nubes
Ingrueret, quamvis annis & jure minori
Cedere grandævos equitum peditumque Magiſtros
Adſpiceres, totumque palam permittere Martem.
Nec gradus ætatiſve pudor ſenioribus obſtat,
Ne juveni parere velint. Ceu flamine molli,
Tranquilliſque fretis, clavum ſibi quiſque regendum
Vindicat: incumbat ſi turbidus Auſter, & unda
Pulſet utrumque latus; poſito certamine nautæ
Contenti

193 *Quidam MSS. omittunt lacuna relicta.* gemino nox in germ. geminæ nex inde. geminæ mox inde. inde e germine duxit. geminæ nexu tibi germine. geminæ mox inde e gramine. geminæ nec inde Germania. g. n. i. germina. gemino nec inde gemin. duxit. geminæ vexivum gramine. mox ide germine. geminæ mox inde germine. gemino mox inde e gramine. geminæ nex inguiam duxit. gemino nox inde germina duxit. Primus honor, tantaque fide victricia duxit Agmina. *ſinguli MSS. apud Heinſ.* mox inde germine mouit *Cuj.* Culmine *fuit in libro Claverii.* gemino mox Idæ germine duxit *omnes ante Heinſ. et tuetur Hagenb.* V. N. 196 auderet *MS.* deferret *conj. Heinſ.* 199 permittere *MSS.* 200 non *Cuj.* 101 flumine *vulg.*

193 Eſſe in hoc verſu deſcriptionem Magiſtri utriusque militiæ per Orientem, dubium mihi non eſt. Hanc autem commode effici lectione, quam retinui, Heinſiana, itidem mihi liquet. *Culmen* certe de magiſterio & quocunque gradu altiore frequenter ponitur. Vid. Gothofr. Gloſſar. nomic. Cod. Theod. & ipſe noſter 3, 205. 17, 16 it. 31, 58. Sed hoc non eo valet, ut hanc Claudiani manum eſſe, auſim contendere. *Geminum Idæ germen*, interpretatur Cl. Hagenbuchius Epiſt. epigraph. p. 294 & (28) intelligit Idæ nomine ipſum Orientis imperium, cujus germen ſint milites. Mihi, ſi ſit a Claudiano, interpretari liberet, geminum baculum ſ. ſceptrum Symbolum duplicis magiſterii, ab Idæ nobiliſſima ſilva deciſum: ita ut illud 5, 162 *Fraternas ex æquo dividat haſtas* ſignificat exercitum a Theodoſio relictum inter fratres æquis partibus dividat.

194 *Labor* Stilichonis, h. e. conſueta Metonymia ipſe Stilicho laborioſa diligentia ſua *ſic geſſit* munera ſibi demandata atque *honores* &c. *Merito* deponentis ſignificatione, merenti.

200 *Pudor ætatis* vel eſt reverentia, quam ſuæ putabant habendam ætati a minori poteſtate majores; vel metus, ne ſibi turpe eſſet minori parere.

Contenti meliore manu, ſeſeque ratemque
Unius imperiis tradunt, artemque pavore
Confeſſis finem ſtudiis fecere procellæ.
Haud aliter Stilicho, fremuit cum Thracia belli
Tempeſtas, cunctis pariter cedentibus, unus
Eligitur ductor. ſuffragia quippe peregit
Judex vera timor. victus ratione ſalutis
Ambitus, & pulſus tacuit formidine livor.
Quis tibi tunc per membra tremor, quantæque cadebant
Ubertim lacrimæ, cum ſæva vocantibus arma
Jam lituis, madido reſpectans limina vultu,
Optares reducem, galeæque inſerta minaci
Oſcula criſtati raperes feſtina mariti?
Gaudia quæ rurſus, cum poſt victricia tandem
Claſſica ſidereas ferratum pectus in ulnas
Exciperes: caſtæ tuto per dulcia noctis
Otia pugnarum ſeriem narrare juberes?
Non illo nitidos umquam bellante capillos
Comere: non ſolitos gemmarum ſumere cultus.
Numinibus votiſve vacas, & ſupplice crine

206 ſeſeque pavere Confeſſi finem ſtudiis fecere procellæ, *omiſſo verſu toto ante Heinſ. qui ex* XI *codicibus ſic reſtituit.* 212 jacuit *vulg.* 213 rigor *MS.* 215 lumina *MSS.* numina *conj. Heinſ.* 220 *pro* dulcia, dubia *MSS.* devia *MS.* caſtæque tibi per *conj. Heinſ.*

206 *Procellæ* turbantes animos ac dejicientes *fecere finem ſtudiis* vectorum gubernare volentium, *pavore* ſuo *confeſſis artem* gubernatoris, quam ante vel contemnebant, vel vindicabant ſibi. *Studia* ipſos vectores ſignant, in quantum ſtudiis gubernandi turbantur & turbant.

215 Quomodo Serena hic in diſceſſu viri *reſpectet limina*, non facile eſt dicere. An fingit deducendi cauſa extra limen progreſſam, nunc in ipſo diſceſſu illud reſpicere, & velut oſtendere marito, atque commendare. Si *numina* legamus, intelligentur oculi in cælum ſublati.

219 *Siderum* apud noſtrum poëtam & alios ſimpliciter præſtantiam inſignem, & Deo dignam notat: *ferratum pectus* eſt thorace munitum.

220 Poteſt *tuto* hoc facile intelligi. Nam tuto & ſecure adeo narrantur magno cum periculo acta. Sed niſi fallor non habet hic ſedem poëta tam bono dignam.

Verris humum. Teritur neglectæ gratia formæ
Cum proprio reditura viro. Nec deſide cura
Segnis marcet amor. laudem prudentia belli
Feminea pro parte ſubit. dum gentibus ille
Confligit, vigili tu proſpicis omnia ſenſu:
Ne quid in abſentem virtutibus obvia ſemper
Audeat invidiæ rabies, neu rumor iniquus;
Ne qua procul poſitis furto ſubſederit armis
Calliditas nocitura domi. Tu ſedula quondam
Rufino meditante nefas, cum quæreret artes
In ducis exitium, conjuratoſque foveret
Contra pila Getas, motus rimata latentes,
Mandatis tremebunda virum ſcriptiſque monebas.

RELIQUA DESIDERANTUR

225 tegitur *plerique edd. ſed* te[r]itur *etiam Cuj.* 231 fervor iniquis *ante Claver.* fervor iniquus *al. ante Heinſ.* fulgor *MS.* ſeu fervet *MS.* non ſem. *MS. Latere hic aliquid, monet Heinſ.*

224 *Crine humum verrere* Romanarum matronarum fuit in ſupplicatione vel obſecratione publica. Vid. Liv. 3, 7 extr. & ibi Drakenborch. Quod volebat Mariæ Magdalenæ honorem, Domino noſtro habitum, hinc explicare vir doctus, in eo mihi non liquet. Certe loco, conſilio, affectu diverſo utrumque factum eſſe, apparet.

230 *Obvia*, contraria. Vid. ad 22, 20.

232 *Furtum* vel maxime etiam de his dicitur quæ in bello occulta quadam arte aguntur. V. G. Virg. Aen. 11, 515 *Furta paro belli - obſidam milite fauces.* Pluſcula dedimus in Theſauro.

236 *Pila* arma ita propria Romanis, ut eorum ſolo nomine ſatis Romanus exercitus ſignetur, ut Luca. 1, 7 *Pila minantia pilis.*

XXX

CL. CLAUDIANI

EPITHALAMIUM

DICTUM

PALLADIO

V. C. TRIBUNO ET NOTARIO

ET CELERINAE

PRAEFATIO

Carmina per thalamum, quamvis feſtina, negare
Nec volui genero, nec potui ſocero.
Hic ſocius, dux ille mihi; noſtrique per aulam
Ordinis hic conſors emicat, ille prior.
Hunc mihi conjungit ſtudiis communibus ætas;
Hunc mihi præponit vel ſenium, vel honos.
Carmen amor generi, ſoceri reverentia poſcit,
Officio vatis, militis obſequio.

* *Titulos* V. C. Tribuno & Notario *habet ſolus Heinſ. ex duobus libris. Licet ſuſpicari, horum ſcriptores uſos eſſe argumento verſus 3 & veteri titulo, in quo poëta noſter* V. C. Tribunus & Notarius *vocatur.* Serenæ *omnes ante Claver.* Celerinæ *MSS. Cuj. Plant. marg.* Epulamus dictus præfatio *MS.*

* Palladios plures habet Proſopographia Codicis Theodoſiani Gothofrediana: An horum aliquis hic celebretur, N. L. Nec, puto, de Celerina veri ſimile quidquam dici poteſt præter ea, quæ hic habentur v. 69 ſq. Quod Stilichonis filiam facit Claverius, mera hariolatio eſt.

3 *Dux ille*, forte Magiſter Officiorum, vel Primicerius Notariorum. Nomen *Ducis* late patet. Rationes officiorum & ordines non ſemper iidem. Vid. ad v. 82.

XXXI

EPITHALAMIUM

Forte Venus blando quæſitum frigore ſomnos
Vitibus intexti gremio ſucceſſerat antri,
Denſaque fidereos per gramina fuderat artus,
Acclinis florum cumulo. criſpatur opaca
Pampinus, & mites undatim ventilat uvas.
Ora decet neglecta ſopor, faſtidit amictum
Aeſtus, & exuto translucent pectore frondes.
Idaliæ juxta famulæ, triplexque viciſſim
Nexa ſub ingenti requieſcit Gratia quercu.
Pennati paſſim pueri, quo quemque vocavit
Umbra,

1 quæſitans *MS.* ſomnum *ante Heinſ.* 2. 2 ſucceſſerat *ante Claver.* ſeceſſerat *MSS.* 4 acclivi *Vien.* acclini *al. pro* florum, foribus *it.* floribus *MS.* 5 vitem ſudantem ventilat uvis *ante Heinſ.* mites ſudanti v. uva *MS.* multos ſudantem *MS.* muſto vitem ſudantem *MS. unde* & muſto ſudantem ventilat uvam *conj. Heinſ.* mites undatim vent. uvas *ex MS. Clauerii Heinſ.* 7 ceſtus *conj. Heinſ.* excuſſo *MS.* 10 quacunque *Cuj.* vocabat *MS.* vocarat *conj. Heinſ. Mihi placeret* vocaret.

4 *Opaca pampinus* recte dicta a noſtro, ſi bene Servius ad Virg. Ecl. 7, 58 monuit, *Varronem genere feminino* hujus nominis *uti frequentius.* Quatenus exſtat Varro hodie, non puto exſtare exemplum. Sed eſſe dicunt etiam apud Apollinarem Sidonium. Columellæ 3, 18. 4 ſunt *pampini*, *quos ruſtici vocant racemarios*

5 *Undatim*, ut uvæ a vento motæ arcum deſcribant, qualem undæ.

6 Fuit, credo, in mente Poëtæ illud Naſonianum *Forma viros neglecta decet.* Ceterum Hypallage videtur hic uſus eſſe noſter: non tam *ſopor decet ora neglecta*, quam hæc ſoporem.

7 *Aeſtus* reſpondet conſilio Veneris v. 1 frigore quærentis ſomnos. *Ceſtus* decet ille quidem Venerem, ſed niſi fallor, non valde decet hunc locum. *Frondes translucent pectore*, h. e. transmittunt lucidum ſplendorem nivei pectoris.

8 *Idaliæ famulæ*, Nymphæ, quarum omne genus cognatum, & familiare, & prope dixerim peculiare, Veneri. *Triplex Gratia*, tres Gratiæ nexis etiam dum quieſcunt, implexisque brachiis.

11 *Fluitant* remiſſo plane nervo, ut is agitari a vento poſſit, arcu immoto.

Umbra, jacent. fluitant arcus, ramiſque propinquis
Pendentes placido ſuſpirant igne pharetræ.
Pars vigiles ludunt, aut per virgulta vagantur.
Scrutantur nidos avium, vel roſcida læti
Mala legunt donum Veneris, flexuſque ſequuntur
Palmitis, & ſummas pennis librantur in ulmos.
Defendunt alii lucum; Dryadaſque procaces
Spectandi cupidas, & ruſtica Numina pellunt,
Silveſtreſque Deos. longeque tuentibus antrum
Flammea laſcivis intendunt ſpicula Faunis.
Cum ſubito varius vicina clamor ab urbe,
Et fauſti juvenum plauſus, miſtæque choreis
Auditæ per rura lyræ, Celerina per omnes
Italiæ canitur montes, omniſque maritum
Palladium reſonabat ager. pervenit ad aures
Vox jucunda Deæ, ſtrepituque excita reſedit,
Et reliquum nitido deterſit pollice ſomnum.
Utque erat indigeſta comas, turbata capillos,
Mollibus

11 propinquant *ante Claver.* propinquis *etiam Cuj.* 12 prudentes *ante Claver.* pendentes *etiam Cuj.* pendent & *MSS.* 13 pervigiles l. & per *MSS.* nidos alii *aut* vagantes *vel* vagati ſcrutantur, *aut* vagantur ſcrutati *conj. Heinſ.* 15 flexumque *MS.* flexumve *conj. Heinſ.* 17 lucos *MSS.* luco *conj. Heinſ. Vid. ad 22, 389.* 18 inſpectant cupidi *Cuj.* 23 tubæ *MS.* 28 utque erat interjecta *editi omnes.* Utque fuit intexta, interjecta, intecta, detecta, turbata, merita, incomta, impexa: Utque erat intexta, intecta, intertexta *in MSS. unde* indepexa *vel* indigeſta *conj. Heinſ.* turbata papillas *MS.*

12 Audaci Metaphora ſic deſcribit tenuem luculam a pharetra & ſagittis repercuſſam, imaginem animorum amantium nunquam plane quietorum, ſed lene certe quiddam ac molle ſuſpirantium.

14 *Roſcida mala* non ſimpliciter a rore madentia; caloris enim & æſtus vitandi cauſa antrum ſubiit Venus (cf. v. 47): ſed ipſa amœnitas videtur hoc epitheto ſignari, ſive ſit a matutino frigore & humore, quem proprie deſignat, ſive ab alia cauſa, ut *roſcida mella*, *poma* &c.

26 *Reſidere ἀναπαύεσθαι* proprie dicuntur, qui a decubitu caput & pectus attollunt.

28 Non valde mihi placet hic verſus, ut *ταυτολόγος* nimium: meliorem tamen ex illa ſilva varietatis, quam dedit Heinſius, eruere non poſſum: nec videtur ipſi, ſummo poëtæ, ſucceſſiſſe. Singula pulchra ſunt, *indigeſta comas*, & *turbata capillos*: conjun-

cta

Mollibus exſurgit ſtratis, Hymenæon & omne
Agmen, & innumeros Hymenæum poſcit Amores.
Hunc Muſa genitum legit Cytherea, ducemque
Præfecit thalamis: nullum junxiſſe cubile
Hoc ſine, nec primas fas eſt attollere tædas.
Conſpicitur tandem. Platano namque ille ſub alta
Fuſus inæquales cera texebat avenas,
Mænalioſque modos, & paſtoralia labris
Murmura tentabat relegens, oriſque recurſu
Diſſimilem tenui variabat arundine ventum.
Reſtitit, ut vidit Venerem, digitiſque remiſſis
Ad terram tacito defluxit fiſtula lapſu.
Dulce micant oculi. niveas infecerat igni

Solque

29 aſſurgit *ante Heinſ. Deinde* interque ſuorum Agmen - quærit *Heinſ.* 1 *eum Claver.* & VII *MSS.* revocatque ſuorum *MS.* procul ecce ſuorum *MS. poſt lacunam* Inde per immenſos Hy. quærit amores *MS. pro* quærit, poſcit *MS. pro* interque ſuorum, Hymenæus & omne *MS. unde lectionem, quam dedimus, effingit Heinſ. Commendat illam repetitio & difficultas.* 30 in numeris - Amoris *Raphel. ex conj.* 32 vinxiſſe *ante Heinſ.* 38 diſſimilis tenuem *vulg.* 40 flatu *MS.* 41 interſerit *MS. hinc* niveis interſerit ignem - genis *conj. Heinſ.*

ta offendunt. Qui voluit *turbata papillas*, ille obliviſcebatur, de Venere ſermonem eſſe, non de vetulæ alicujus pannuceis uberibus. Quomodo ex *indigeſta*, verbo rarjuſculo, *interjecta* vel *intertexta*, in ſcriptura Langobardica, orrum ſit, intelligere mihi videor.

29 Venus, quæ audiſſet Hymenæum, h. e. nuptiale carmen, & clamores gratulantium, cupida & alacris Deum *Hymenæon* primo indiſcretim poſcit totum *agmen*, h. e. toti agmini imperat, Vocate mihi Hymenæon! Deinde, cum impatienti non ſtatim ſatisfieret, unicuique Cupidinum circa ſe ludentium ſingulatim, innumerisque adeo, dat hoc negotium, & ipſa mox inventum alloquitur.

31 *Muſa* (ſive ea Calliope fuit, ſive Uraniæ) *genitum* Hymenæum facit etiam Martianus Capella in pr. *Tu, quem pſallentem thalamis, quem matre Camena Progenitum perhibent, copula ſacra Deum.* Deinde, *ſeu tibi quod Bacchus pater eſt placuiſſe choreas, cantare ad thalamos ſeu genetricis* (Veneris) *habes.* Nempe luxuriatur hic etiam Mythologia. Qui eam perſequi velit, inſpiciat laudatos ad Hygi. f. 273.

33 *Attollere tædas* ſolemne nuptiarum. Vid. 5, 97.

35 Syringa, qualem Pan, Mænali Arcadiæ montis incola, habet, ſeptem fiſtulis inæqualibus conſtantem, componebat. Pan memoratur etiam v. 48 *Lycei* nomine.

40 *Tacito lapſu*, quia *defluxit*, h. e. non cecidit uno impetu, ſed lubrico motu ad veſtem vel membra adeo Hymenæi deſcendit.

Solque pudorque genas: dubiam lanuginis umbram
Cæſaries intonſa tegit. Prior ipſa ſilentem
Compellat: „*Numquam ne, puer, dilecta relinques*
Carmina? maternis numquam ſatiabere donis,
Dedite Muſarum ſtudio, nimiumque parentis
Aemule? quid medio tecum modularis in æſtu?
Jamne tibi ſordent citharæ? jam luſtra Lycei,
Atque pecus cordi, redituraque rupibus Echo?
Huc ades, & tantæ nobis ediſſere cauſſas
Lætitiæ. cui pompa toro tam clara reſultet,
Quæ nova dotetur virgo, patriamque genuſque
Pande, quibus terris orti, quo ſemine ducti.
Haud ignarus enim: nec te connubia fallunt
Ulla. tuo primæ libantur fœdere noctes.„
Ille refert: „*Equidem dudum te, Diva, morantem*
Mirabar, quid adhuc tanti ſecura maneres
Conjugii.

49 jamque pecus *MSS.* atque nemus *MS.* & *Cuj.* jamne nemus *conj. Heinſ.* 50 tantas, tacitæ, tandem *MSS.* 51 quæ pompa *vulg.* cui *etiam Cuj.* 55 tuo cunctæ *Cuj.* 56 morari *MS.* 57 quod adhuc *ante Heinſ.* 2, *qui formulam illuſtrat exemplis.*

42 *Dubiam lanuginis* h. e. novæ barbæ *umbram* pulchre dixit. Sed quomodo convenit, quomodo pictor exprimet, quod ſequitur *Cæſaries tegit*? prima lanugo exoritur, & primum conſpicua eſt in labio ſuperiore: an illum quoque locum tegit cæſaries?

46 *Parentem* matrem intelligit? Sed tamen Bacchus quoque, quem Patrem quidam aſſignant Hymenæo ap. Serv. ad Aen. 4, 127 muſicus eſt, & amat tibias.

48 *Citharæ* urbanus magis & ſedatior cantus: tibiarum genus magis clamoſum, ſimplicius idem, pecorique & campis aptius. Homerus tamen Λ. Σ, 495 αὐλὸς & φόρμιγγας in Hymenæo, hoc eſt cantu & ſtrepitu nuptiali conjungit. *Pſallentem* hoc eſt κιθαρίζοντα facit Capella loco, quem modo laudabam ad v. 31.

51 *Reſultare* ad ſonum & ſtrepitum pompæ refertur, quem auribus perceperat Venus. Et habet domicilium pene vnicum hoc verbum in tali ſono, & clamore multitudinis, a ſilvis, rupibus, tectis relato: quod intelliget qui Theſaurum noſtrum volet inſpicere.

55 *Libare* eſt deguſtare, primum guſtum capere. Non libant conjugii voluptates prius novi mariti, quam Hymenæi h. e. nuptiarum ſedus ictum ſit.

58 *Mandantur* & commendantur Veneri conjugia, ut *origo* inde novæ ſtirpis exiſtat.

Conjugii. Non parva tibi mandatur origo.
Fascibus insignes, & legum culmine fultæ
Convenere domus, & qui lectissimus orbi
Sanguis erat. Rubris quæ fluctibus insula latrat?
Quis locus Aethiopum? quæ sic impervia famæ
Secessit regio, quo non rumore secundo
Palladii penetravit amor, mentisque benigna
Temperies, doctique sales, & grata senectus?
Per cunctos iit ille gradus, aulæque labores
Emensus, tenuit summæ fastigia sedis,
Eoum stabili moderatus jure Senatum.
Hic splendor juveni. Cunabula prima puellæ
Danubius, veteresque Tomi. Mavortia matris
Nobilitas

60 lætissimus *ante Heinf.* orbi *MS.* 61 flatibus *vulg.* fluctibus *etiam Cuj.* 62 qui locus *MS.* 63 succeſſit *vulg.* ſeceſſit *etiam Baſ. marg.* 64 penetrarit *malit Heinſ. et ego.* benignæ *ex MS. uno Heinſ.* 65 terga ſenectus *MSS. hinc* terſa *conj. Heinſ.* amica *MSS.* 67 tenuis *al.* 69 hinc *malit Heinſ.* juvenum *ante Clav.* 70 Marti, Martis *MS.* patris *vel* patri *conj. Heinſ.*

59 *Fasces* conſularem familiam notant: *Legum culmen* eſt Præfectura Prætorii. Vid. ad 29, 193.

61 *Latrare* de ſono fluctuum a ſaxis repercuſſorum dici, vel illa Scylla nos monere poteſt, *quam fama ſecuta eſt, Candida ſuccinctam latrantibus inguina monſtris* &c. Virg. ecl. 6, 75. Sic noſter 33, 148. *Rubros fluctus* eſſe mare Erythræum, ſ. Orientalem omnem Oceanum, cum reliquo uſu poëtæ noſtri convenit, V. G. 5, 242.

67 Præfecturam Prætorii per Orientem, vel Præfecturam vrbis nouæ Romæ ſ. Conſtantinopolis ita ſignari, monuit Barthius. Sed ſunrne hæc *faſtigia ſummæ ſedis*? Eſtne Præfecti Prætorii vel urbis *Senatum moderari?* Aut egregie fallor, aut hæc Conſularia ſigna ſunt. Et tamen Palladium Conſulem alium non habent Faſti, præter illum *Junium Quartum Palladium*, qui cum Imp. Fl. Theodoſio jun. Aug. VII. Conſul fuit A. C. 416. Utrum hoc tempore ſuperfuerit Claudianus, utrum laudare Stilichonem (quod hic fit v. 93) octo annis ante punitum, auſus fuerit? mihi, ut nunc eſt, N. L. Poëtæ quidem noſtri ſtilum, virtutes, vitia agnoſcere mihi hic videor. Nec me valde mouet quod abeſt hoc carmen in exemplaribus primæ editionis Vicentinæ.

70 *Veteres Tomos* non modo ab Ovidii exilio nobiles, ſed ab antiqua Abſyrti fabula, quæ urbi nomen dediſſe ferebatur, quam narrat Ovid. Triſt. 3, 9 & ita claudit, *Inde* Tomos *dictus locus hic, quia fertur in illo Membra ſoror fratris* conſecuiſſe *ſui.* Ceterum *Mavortia matris nobilitas* eſt, quia e gente bellicoſa Getarum, quia vir fortis & militibus carus Celerinus.

Nobilitas ſpoliis armiſque exſultat avitis,
Immenſamque trahit Celerini robore lucem,
Qui quondam Meroën juſſus Nilumque tueri,
Cum ſibi poſt domitas ad Parthica flumina Carras
Sceptra daret miles, rebuſque imponere vellet,
Deſpexit fremitus, & prætulit otia regno.
Reſpuit ingeſtum, quod vi, quod poſcere ferro
Poſthabita pietate ſolent. Tum purpura primum
Inferior virtute fuit, meruitque repulſam
Obvia majeſtas. Doluit Fortuna minorem

Se

72 Celeris de *MS.* 74 domitos - claros *vulg.* domitos - Carros, domitas Carras, Caras *MS.* domitas ad Parthica flumina Carras *Claver. ſuffragante hiſtoria.* obitus & P. ful. caro *vel* claros *MSS. unde effinxit lectionem, quam dedi.* 77 inceſtum *vulg.* reſpuit, inceſtus quod *Claver.* incertum *Scal.* hoc ſceptrum *conj. Delr.* ingeſtum *MSS. Barth. curis ſecundis, qui etiam exemplis firmat, ut Heinſ.* 78 *pro* tum, non *vulg.* 79 metuitque *vulg. Sed* meruit *etiam Cuj.*

73 *Celerinus* avus, de majoribus certe Celerinæ ſponſæ unus, ſecundum hæc Præfectus Aegypto debet fuiſſe, & poſt mortem Cari, *fulmine* ut ferebatur, apud *Parthos* occiſi, ab exercitu ſalutatus eſſe Imperator, quem honorem moderate ac ſapienter deprecatus eſt. Utrum hoc ab alio quoque ſit traditum, valde dubito. Hoc poteſt fieri, ſi valde ſenex fuit, cum deferretur illi imperium, ut idem ſit *Cuſpidius Celerinus*, cujus ſenatoriam ſententiam refert Capitoli. Maximin. extr. *Celerinus & avia illius Celerina Martyrio coronata* ſunt apud Cyprianum Epiſt. 39. Rem ipſam, & lectionem Heinſianam unice firmat laudatus ab illo Sidonius Car. 23, 90 *Nam quis Perſidis expeditionem, Aut victricia caſtra præteribit Cari principis, & perambulatum Romanis legionibus Niphaten Tum cum fulmine raptus* (ſic leg. pro *captus*) *Imperator Vitam fulminibus parem peregit.*

76 *Fremitus* proprium nomen exprimendis vocibus multitudinis concitatæ.

77 *Ingeſtum* cum vehementia quadam & importunitate adeo oblatum: ut *ingerere ſe* dicuntur, qui calide nimis & importune petunt honores. Plin. Pan. 86, 2 *Præfectum Prætorii non ex ingerentibus, ſed ex ſubtrahentibus legere.*

79 *Meruit repulſam*, tulit, nullo reſpectu dignitatis, pro ingenio ſæculi jam Pliniani. *Obvia majeſtas*, imperium, quod ſe ultro obtulit, h. e. ab his, in quorum manu erat, oblatum eſt.

80 *Fortuna doluit ſe minorem* eſſe, ἐπιτραπεῖσα, dum conceſſit & permiſit ſe viro, qui eam vel amplecti ac retinere poſſet, vel, quod fecit, aſpernari. Amat Græcari, hoc eſt Græciſſare, noſter. Sed fateor, mihi magis probari vulgatum *confeſſa.*

Se conceſſa viro. Magnum delata poteſtas,
Majorem contenta probat. Cognomina ſumſit
Plena ducum genitor. Paulatim vectus ad altum
Princeps militiæ, qua non illuſtrior exſtat
Altera: cunctorum tabulas aſſignat honorum,
Regnorum tractat numeros, conſtringit in unum
Sparſas imperii vires, cuneosque recenſet
Diſpoſitos: quæ Sarmaticis cuſtodia ripis,
Quæ ſævis objecta Getis, quæ Saxona frenat
Vel Scotum legio. Quantæ cinxere cohortes
Oceanum: quanto pacatur milite Rhenus.
Caſta domus, ſincera fides, induſtria ſollers.
Elegit Stilicho. nihil ultra laudibus addi
Judiciove poteſt. tali nubente puella
Nonne tibi ceſſare nefas? duc protinus omnes,

Duc

81 confeſſa & *pro* delata, delecta *ante Heinſ.* 83 diem *MS.* ducit *MSS.* *unde* ducis *conj Heinſ.* 84 quo - Alter *ante Heinſ.* 85 ac ſignat *conj. Heinſ.* 86 regnorum tractat numeros, cuneosque recenſet. Sparſas imperii vires conſtringit in unum Depoſitum *ante Heinſ.* 88 diſpoſitis *Cuj.* 90 quantum *vulg.* 91 quantum *vulg.* quantæ & quanto *etiam Cuj.*

82 Adhuc de avo Celerinæ, ſive is proavus fuit, aut quiscunque majorum. Jam de patre. Is *ſumſit plena ducis cognomina* h. e. ad ducatum ordinis ſui pervenit. Nec plane probare poſſum, ſed minus etiam refellere Jac. Gothofredi opinionem, qui ad C. Theod. to. 3 p. 110, a. *Militiam* intelligit Palatinam, & Celerinæ patrem facit Primicerium Notariorum, cujus muneris rationes hic ſatis accurate deſcribuntur. Talem virum hodie forte vocent noſtri Præſidem Cancellariæ, militaris præſertim.

85 *Tabulas honorum* hic intelligam principales codicillos, quibus imperium, honos, aut poteſtas quæcunque mandatur, quales habemus Varias illas Caſſiodori; reliqua pertinent ad notitiam, & ſummarium illud imperii vel breviarium, cujus ope uno velut obtutu intelligi poſſent opes imperii, & illud magnum corpus membris omnibus ſuis melius adminiſtrari. Hujus Notitiæ exemplum horum ipſorum temporum, non illud corruptionis expers, ſed tamen quantivis pretii, exſtat hodie a Guido Pancirolo & aliis qua emendatum qua explicatum. Poëta illa modo capita memorat, quæ cum re militari conjuncta ſunt. Notitia illa ad reliquas etiam imperii partes extenditur.

93 Hæc, ut dicebam ad v. 67, vix videntur ſcribi potuiſſe poſt caſum Stilichonis & vivo Honorio. Sed quando verſamur in tenebris a luce hiſtoriarum relicti, non deſunt viæ per conjecturas elabendi.

Duc age. marcentes cupio quaſſare coronas,
Et vibrare faces, & noctem ducere ludo.
Hæc quoque non vilem mihi fiſtula commodat uſum,
Reſponſura choris.„ Vix hæc Hymenæus. at illa
Fontibus abluitur gelidis, legemque capillo
Reddit, & ornatum formæ: preliſque ſolutæ
Mira Dioneæ ſumit velamina telæ.
Floribus exſtruitur currus: juga floribus halant.
Florea purpureas adnectunt frena columbas.
Undique concurrunt volucres, quæcumque fremente
Permulcent Atheſin cantu, quas Larius audit,
Quas Benacus alit, quas excipit amne quieto
Mincius. ereptis obmutuit unda querelis.
Eridani ripas, & raucæ ſtagna Paduſæ
Diffugiens nudavit olor. Lætantur Amores,

98 jam fiſtula *MSS.* 101 peplisque, peplumque, prælisque *MSS.* populisque *ante Claver.* pplique *Cuj.* polita *vel* ſolutis *conj. Heinſ.* 102 Cleoneæ reddit *MS.* miracula *MSS.* 103 currum *MSS. quem Græciſmum dicit Heinſ.* 105 frementem *vulg.* 108 abruptis *malit Heinſ.* 109 rauci *MS.* 110 viduavit *malit Heinſ.*

96 Quod dicit *marcentes coronas*, indicat, ſe continuare velle nuptialem hilaritatem, dum marceſcant ab æſtu & vapore corporum coronæ.

98 *Fiſtula* vel Syrinx, in qua compingenda occupatum Venus deprehenderat v. 35.

101 De hoc genere preli Sen. de Tranquillit. An. 1 *Non ex arcula prolata veſtis, non mille ponderibus aut tormentis ſplendere cogentibus preſſa.* In ſuavi odore deſcribendo Mart. 1, 9 *De Pallatinis dominæ quod ſerica prelis* ſpirant. Ammia. 28, 4 *Solutis preſſoriis veſtes luce nitentes arbitra.* Et tamen mihi in Dea non placet operoſa hæc machinatio.

102 *Dionea tela*, quam Dione mater Veneri neverat texueratque.

105 Luxuriat more ſuo Poëta in advocandis & congregandis undique circa Venerem avibus, pulchritudinis, levitatis, ſalacitatis cauſa huic choragio aptis. Porro aquas Italiæ Alpibus vicinæ memorat, ut indicet in illa parte, Mediolani forte, ubi tum aula, celebratas eſſe nuptias.

108 *Querelas* avium, ſpeciatim luſciniarum, vocari, ſolemne eſt: & *Querumtur in ſilvis aves* Hor. Epod. 2, 26.

109 *Raucam* vocat *Paduſam*, Padi ſ. Eridani oſtium, ob id ipſum quod rauco cycnorum ſtrepitu perſonet. Virg. Ae. 11, 458 *Piſcoſove amne Paduſæ Dant ſonitum rauci per ſtagna loquacia cycni.*

Frenatiſque truces avibus per nubila vecti
Oſtentant ſe quiſque Deæ, magnoque tumultu
Confligunt; pronique manus in verbera tendunt,
Atque impune cadunt. Lapſus meliore volatu
Conſequitur, vincitque ſuos auriga jugales.
Ut thalami tetigere fores, tum vere rubentes
Deſuper invertunt calathos, largoſque roſarum
Imbres, & violas plenis ſparſere pharetris,
Collectas Veneris prato, quibus ipſe pepercit
Sirius, & teneras clementi ſidere fovit.
Gemmatis alii per totum balſama tectum
Effudere cadis, duro quæ ſaucius ungue
Niliacus pingui deſudat vulnere cortex.
Aggreditur Cytherea nurum, flentemqe pudico
Detra-

114 lapſu meliore volantes *vulg.* *Verſus hic & 115 erant transpoſiti.* 116 timuere rub. *Cuj.* 117 invergunt *conj. Heinſ. & citat ſe ad Ovid. Pont. 1, 9. 54.* 118 caniſtris *malit Heinſ. vid. Not.* 124 virum *primæ editt.* nurum *etiam Cuj.*

111 Miraſuavitas & Alexandrinæ quædam deliciæ in *frenatis avibus*, in nomine *truces*, & in eo quod *oſtentant ſe quisque Deæ*. Huc mihi pictor aliquis ingenioſus, qui cum poëta certet. Illud *truces* in mentem mihi revocat Alexandrini archetypi Callimachi leporem, qui de Hymenæo Ἥξει κηρόων, inquit H. in Delum 297, μορμύσσεται. Μορμύσσεσθαι eſt geſtu quodam, & pronuncianda voce Μορμῶ pueros terrere leviter, ut paullo poſt videant. Sic puellas terret Hymenæi mentio. Sed reliqua etiam hujus loci ſunt dulciſſima.

114 *Impune cadunt* de ſuis velut equis, avibus, quia ipſi volucres, qui ſuperare volatu aves poſſint.

116 *Rubentes* non uno colore. Vid. ad 29, 7.

118 Dulcis quidam luſus, quod de *pharetris* modo Amores non ſagittas ſpargunt terribiles, ſed *violas*.

123 *Niliacus cortex* balſami non accurate, ſed licentia poëtarum dictus videri poſſit qui vicina loca permutare ſibi religioni non ducant. Plin. 12, 25 *Balſamum uni terrarum Judææ* (circa Hierichuntem Juſti. 36, 3) *conceſſum.* Et 6, 32 *Faſtidit balſamum alibi naſci.* Τῷ αὐλῶνι. τῷ περὶ Συρίαν ſoli etiam aſſignaverat Theophr. 9, 6. Verum ſalva res eſt: cum Aegypto etiam communicavit hanc laudem Dioſcorides 1, 18. Quin ex Aegypto & Arabia illatum Judææ non improbabile eſt. Vid. Jo. Bodæus a Stapel ad Theophraſti l. c. p. 997 ſq. Nec falli hac in re potuiſſe Alexandrinum Poëtam, & virum doctiſſimum, facile credas. Quod *ungue ſaucius* cortex hic memoratur, Plinii quoque obſervatio eſt, ferro vitalia hujus arbuſculæ lædi, & Tac. hiſt. 5, 6. 3.

124 *Nurus* poëtis mulier juvencula *nuptiis* vel jam devincta, vel certe

Detraxit matris gremio. matura tumeſcit
Virginitas, ſuperatque nives ac lilia candor,
Et patrium flavis teſtatur crinibus Iſtrum.
Tum dextram complexa viri, dextramque puellæ
Tradit, & his ultro ſancit connubia dictis:
„*Vivite concordes, & noſtrum diſcite munus.*
Oſcula mille ſonent. liveſcant brachia nexu,
Labra ligent animas. neu tu virtute paterna
Confidas, juvenis. non eſt terrore domanda,
Sed precibus pacanda tibi. Concede marito
Tu quoque, neu Scythicas infenſis unguibus iras
Exercere velis. vinci patiare rogamus.
Sic uxor, ſic mater eris. quid lumina tingis,
Virgo? crede mihi, quem nunc horreſcis, amabis.„
Dixit: & aligera geminos arcuque manuque
Præſtantes e plebe vocat. puer ilicet Aethon,
Et Pyrois rutilas reſperſi murice plumas
Proſiliunt, puroque imbutis melle ſagittis,
Hic nuptam petit, ille virum. ſonuere reducta
Cornua. certa Notos pariter ſulcavit arundo,
Et pariter fixis hæſerunt tela medullis.

132 animos *vulg.* animas *e conj. Heinſ.* 134 placanda *vulg.*
137 eas *malit Heinſ. vid. ad* 20, 156. 139 aligeros *Barth.* 2.
140 ex plebe *Cuj.* 141 diſperſi *vulg.*

certe deſtinata, ut Gr. *νύμφη*. *Pudicum gremium matris*, in quod præ pudore ſe puella recepit.

125 *Tumeſcit virginitas.* Vid. ad 29, 121.

127 *Flavi crines* inſigne Germanicarum gentium. Sic de Biſſula ſua Auſo. Id. 17 p. 341 *Oculos cærula, flava comas.* Sic noſter 21, 38 &c.

130 *Diſcite*, ut 22, 74. Sic 35, 368.

132 *Animas, τὰς ψυχὰς*, cum reſpectu ad occurrentem ſibi halitum, quæ proprie *anima* eſt. Plu-

ſcula dedit ad h. l. Heinſius. Ipſe noſter 14, 23 *Et, labris animam conciliantibus*, *Alternum rapiat ſomnus anhelitum.*

140 *Aethon* & *Pyrois* alias nomina equorum Solis. Nempe *αἴθων* ardens, *πυρόεις* igneus.

142 *Puro melle*, ut nihil ſit in hoc vulnere amari fellis. Amor alias *γλυκύπικρον*.

143 *Reducta cornua*, arcum oſtendunt vehementer adductum, ferientem fortiter.

XXXII

CL. CLAUDIANI

IN LIBRUM I

DE

RAPTU PROSERPINAE

PRAEFATIO

Inventa ſecuit qui primus nave profundum,
Et rudibus remis ſollicitavit aquas:
Qui dubiis auſus committere flatibus alnum,
Quas natura negat, præbuit arte vias.
Tranquillis primum trepidus ſe credidit undis,
Litora ſecuro tramite ſumma legens:
Mox longos tentare ſinus, & linquere terras,
Et leni cœpit pandere vela Noto.

Aſt

* Raptus Proſerpinæ *inſcriptum ab auctore, putat Heinſ.*
3 fluctibus *Cuj.* aluum *ſolus habet ac defendit. Biff.*
6 ſecreto *MS.*

2 *Rudes* remos intelligere licet aut fabrili arte non politos, aut, quod præferam, novos, recens inventos, quamquam ob id ipſum quoque artis & polituræ omnis expertes.

7 *Longos ſinus* merito vocat, quatenus hoc nomine venit etiam ſinus Adriaticus, Arabicus, magna maria, & totum mare mediterraneum a Plinio 3, 1 in quatuor ſinus, quos deinde enarrat, dividitur.

Aſt ubi paullatim præceps audacia crevit,
Cordaque languentem dedidicere metum:
Jam vagus exſultat pelago, cælumque ſecutus
Aegeas hiemes, Ioniumque domat.

9 in præc. *al.* 11 irrupit *ante Heinſ.* irrumpit *MSS.* pelagus *MSS.* exſultat *Baſ. marg. Plant. marg. Heinſ.* 12 Ioniasque *eſt a Scal. improbante Barthio, in cujus tamen, ut & Heinſii exempla irrepſit.*

11 *Exſultare* de omni genere intemperantiæ modum excedentis dici, poſſunt, ſi quis dubitet, docere Theſauri etiam noſtri. *Cælum ſequitur* nauta, dum ad arctoa ſidera navis curſum regit. *Aegeas hiemes* etiam Statius Silv. 5, 2. 5 vocavit tempeſtates ac procellas in Aegeo mari propter inſularum & promuntoriorum multitudinem ſolemnes & graves. *Ionium* ſubſtantive, h. e. elliptice dicere optimi quique ſolent, etiam cum adjectivo *Immenſum*, *Magnum* &c. Sic noſter 8, 461. Ceterum hoc proœmium abruptum, ſi non truncatum, eſt: deſtituitur enim apodoſi in hanc fere ſententiam, Sicut nautæ primi, ipſo ſucceſſu audaciores facti, & ultra progreſſi ſunt: ita ego favore & proceſſu minorum opuſculorum ad majora audenda invitatus, eo tandem provectus ſum, ut canere facinus omnium maximum, raptum Proſerpinæ, ſuſceperim. Utrum ipſe Poëta recitaturus hunc librum, abrupta adeo præfatione excitare auditorum attentionem voluerit, non dixerim. Propendet animus, ut credam, reliqua deeſſe.

XXXIII

CL. CLAUDIANI DE RAPTU PROSERPINAE

LIBER I

Inferni raptoris equos, afflataque curru
Sidera Tænario, caligantesque profundæ
Junonis thalamos audaci prodere cantu
Mens congesta jubet. Gressus removete, profani.
Jam

2 Tartareo *Vien. marg.* 3 promere *ante Heinf. præter Baf. & Claver. qui* prodere, *ut Heinf. ex MSS. qui & aliunde firmat.* 4 concussa, commota *MS. apud Dempst.*

1 Non placuisset Horatio hoc exordium, cui comparatum modestum videri potest illud quod reprehendit Art. Poët. 137 *Fortunam Priami cantabo, & nobile bellum. Afflatus* alias ipsis sideribus tribuitur, cum vim suam in terrestria exserunt: hic sidera afflantur ab equis Plutonis: hi enim sunt *currus*, & quidem *Tænarius*, quod Laconicæ illud promuntorium spiraculum quoddam inferorum habere crederetur, per quod Cerberum eduxerit Hercules, quod refellit Pausa. Lacon. c. 3, 25. Ceterum hoc in ingressu statim annotationis nostræ monendi sunt studiosi, operæ pretium esse cum toto hoc carmine componere Callimachi Hymnum in Cererem Ez. Spanhemii observationibus illustratum, adeo mutuas sibi operas præbent duo Poëtæ Alexandrini, adeo hic etiam sui similis, superior cunctis, est Spanhemius.

4 Brodæus Misc. 1, 4 *mentem congestam* Poëtæ comparat cum Platonica ratione, de qua in Phædone Socrates, de illa mortis μελέτῃ, qua jubet (p. 379, G) illam ἑδίσαι αὐτὴν καθ' ἑαυτὴν παντα χόθεν ἐκ τῦ σώματος συναγείρεσθαι τε καὶ ἀθροίζεσθαι, & talem animam appellat (p. 381, A) αὐτὴν καθ' ἑαυτὴν συνηθροισμένην, collectam, congestam. Sed non profecto a corpore in se ipsam hic revocat animam noster: potius res a sensu remotas velut oculis admovet. Itaque simpliciter eo sensu accipio, quo ipsum verbum *cogitandi*, h. e. cogendi, coagitandi notiones & conferendi. Hae credo sunt etiam πυκιναὶ φρένες Homeri, πυκνὴ βυλὴ e. i. g. a.

Gressus removete profani! ἐκὰς, ἐκὰς ὅσις ἀλιτρὸς, vox, qua arcentur a Callimacho H. in Apoll. 2 non simpliciter ἀμύητοι, non initiati, ut in sacris Eleusiniis; sed Apollinis præsentia propter ma-

Jam furor humanos noſtro de pectore ſenſus
Expulit, & totum ſpirant præcordia Phœbum.
Jam mihi cernuntur trepidis delubra moveri
Sedibus, & claram diſpergere culmina lucem,
Adventum teſtata Dei. Jam magnus ab imis
Auditur fremitus terris, templumque remugit
Cecropium, ſanctaſque faces attollit Eleuſin.
Angues Triptolemi ſtridunt, & ſquamea curvis

8 lumina *vel* limina *MSS.* fulmina *conj. Meurſ. Eleuſ.* c. 11. culmine *conj. Heinſ.* 10 ſtrepitus *Guelf.* Eleuſis *ante Heinſ.* 11 Cecropidum *al.* extollit *al.* 12 ſtrident *Clav.*

lam mentem vel vitam indigni, quod monet Spanhemius. Hic aperta ad Eleuſinia ſacra alluſio eſt, quam vel ipſum nomen *Eleuſin* vel argumentum carminis declarat: quam etiam obſervarunt olim interpretes in illo Aen. 6, 258 *Procul o procul eſte profani.*

5 *Furunt*, certe ſimulant ſe furere a præſentia numinis, quo agitari ſe dicunt, vates. Plato Timæo p. 545, G ἱκανὸν σημεῖον, ὡς μαντικὴν ἀφροσύνῃ θεὸς ἀνθρωπίνῃ δέδωκεν. Οὐδεὶς γὰρ ἔννους ἐφάπτεται μαντικῆς ἐνθέου καὶ ἀληθοῦς, ἀλλ' ἢ καθ' ὕπνον τὴν τῆς φρονήσεως πεδηθεὶς δύναμιν ἢ διὰ νόσον, ἢ τινα ἐνθουσιασμὸν παραλλάξας. Similia his ſunt in Phædro p. 343, G. ubi etiam a furore, μανίᾳ, μανικὴν dictam ait, quam poſteriores malo pudore in μαντικὴν converterint. Sed infinita ſunt, quæ ad h. l. Parrhaſius, Barthiusque, & ad Aeneidos 6, 47 ſqq. Lacerda congeſſerunt. Quod eſt de *humanis ſenſibus*, ex eo intelligas, quid ſibi velit in re tali Luca. 5, 167 ubi Apollo *Phoebados mentem priorem Expulit, atque hominem toto ſibi cedere juſſit Pectore.*

7 Etiam apud Callim. l. c. non palma modo Apollinis templo adſita, ſed totum templum, ὅλον τὸ μέλαθρον, moveri videtur: quam rem varie illuſtrat Spanhemius. Et cui hic non in mentem venit noſter vates Jeſaias 6, 4? Virg. Aen. 3, 90 *Tremere omnia viſa repente Liminaque, laurusque Dei, totusque moveri Mons circum, & mugire adytis cortina reclusis.*

8 Naturale prope eſt homini Deo lucem tribuere, lucem & ignem facere Symbolum præſentiæ divinæ. Hæc eſt apud noſtros *δόξα πυρίου.*

10 Sic Aen. 6, 256 *ſub pedibus mugire ſolum.*

11 Hic cogitatione & enthuſiaſmo poëtico ſe transfert in Cecropiam, h. e. Atticam, poëta, in templum Cereris Eleuſiniæ, cujus ſacra in primis etiam λαμπαδηφορίᾳ, facum geſtatione, celebrabantur, quæ memoriam contineret Cereris Proſerpinam a Plutone raptam accenſis facibus quærentis. Vid. Meurſ. Eleuſin. c. 25. His enim ſe ſacris fingit intereſſe, & videre quæ ibi, arte credo quadam, oſtendebantur, de quibus Meurſ. Eleuſ. c. 11, ubi inter alia ex Plethonis Schol. in Orac. Zoroaſtris (p. 87 Gallæi) τὰ τελεμένοις φαινόμενα κεραυνοὶ, καὶ πῦρ.

12 *Triptolemo* ad felicius impertiendam hominibus agriculturam dedit Ceres currum ſerpentibus alatis junctum. Vid. Apollod. Bibl. 1, 5. 2. Ovid. Met. 5, 642 ſqq. Hunc repræſentabant, arbitror, in myſteriis. Vid. infra 180 ſqq.

Colla levant attrita jugis, lapſuque ſereno
Erecti roſeas tendunt ad carmina criſtas.
Ecce procul ternas Hecate variata figuras
Exoritur, leniſque ſimul procedit Iacchus
Crinali florens edera, quem Parthica velat
Tigris, & auratos in nodum colligit ungues.

Ebria

13 addicta' *Cuj.* aſtricta *Vic. Vien. Ald. Junt.* attrita *Baſ. & rell.* 15 ternis -- figuris *ante Heinſ.* 16 lætusque *al.* lenisque *etiam Baſ. marg. & Plant. marg.* 17 Parthia *MS. Similia adjectiva hic colligit Heinſ.*

14 *Lapſum ſerenum* illis tribuit, non terribilem, ſed placidum, quaſi demulcendos ſe poëtæ carmini præbentibus.

15 Pergit enarrare pompam Eleuſiniam. In hac eſt Hecate triformis, Diana, Luna ſ. Lucina eadem, atque Proſerpina. Sed hic ut inferorum numen, & umbrarum monſtrorumque regina quædam conſideratur: ut in apparatu magici ſacrificii moritura Dido vocat (Aen. 4, 511) *Erebumque, Chaosque, Tergeminamque Hecaten, tria virginis ora Dianæ.*

16 *Iacchus* in his ſacris vel ipſe Bacchus notus alias hoc nomine, filius ex Jove Cereris, Proſerpinæ ſ. Liberæ frater, quatenus puer adhuc eſt, & ideo *lenis*, nondum pugnax: vel filius Baubonis, cujuscunque denique herois Attici puer, quem pro ſuo tum Ceres lactaverit. Jungi certe ſolent in his ſacris *Ceres*, *Proſerpina*, *Iacchus*. Hi Artemid. 2, 44 bonum ſignificant initiatis, non initiatis terrorem. Eorum ſimulacra ſunt in templo Cereris apud Atticos Pauſa. 1, 2. Apud Herodot. 8, 65 clamor aliquis Eleuſiniorum ſolemnis eſt ὁ μυστικὸς Ιάκχος. Heſych. ἡ ᾠδὴ, ἣν οἱ μεμυημένοι ᾄδουσι. De puero Iaccho multa Da. Heinſ. ad Clem. Alex. Cohort. ad gentes p. 17 ſq. Potter. &, qui illum refellit Salmaſ. ad Soli. p. 527, b ſq. Neuter uſus videtur Orphicis hymnis, ubi Iacchum λύσειον (nomen Lyæo cognatum) & θεσμοφόρον Διόνυσον, eumque Eleuſine coli ſolitum, cani video H. 41 p. 140, & λύσιον ληναῖον, cum reliquis Bacchi epithetis H. 49 p. 146. Quod ibi vocatur παυσίπονος, & φιλάλυπος & ſtatim ἐπάφιος, illud facit, ut putem Orphicos apud Clementem verſus, de quibus diſceptabant magni viri, ita eſſe legendos: Ὡς εἰποῦσα, πέπλους ἀνεσύρατο, δεῖξέ τε πάντα Σώματος οὐδὲ πρέποντα τύπον· παῖς δ' ἦεν Ἰάκχος, Χεῖρα δ' ἑὴν ῥίπτεσκε γελῶν βαυβοῦς ὑπὸ κόλπους. Hæc, niſi fallor, ita convertit Arnobius L. 5 p. 175 *Sic effata, ſinu veſtem contraxit ab imo, Objecitque oculis formatas inguinibus res Quas cava ſuccutiens Bacchi manu', nam puerilis Olli voltus erat, plaudit, contrectat amice.* Sic certe Bacchus idemque Iacchus, παυσίλυπος fuerit, & φιλάλυπος reſpectu matris ſuæ; quantum ad Baubonem vero ἐπάφιος, a verbo ἐφάπτομαι derivato nomine, quod ſcite Scaliger reddidit, a tangendo *Tages*, ſimplicior aliquis *contrectatorem* forte dicturus erat. Non opus eſt hæc declarari ulterius. Ἴσασιν οἱ μεμυημένοι· ἑκὰς, ἑκὰς οἱ ἀμύητοι.

17 Vel *edera* ſatis hic Bacchum declarat, & reliquus habitus, cum *thyrſo*. Quamquam de *he-*

Ebria Mœonius firmat veſtigia thyrſus.
Dii, quibus in numerum vacui famulantur Averni
Vulgus iners, opibus quorum donatur avaris
Quidquid in orbe perit, quos Styx liventibus ambit
Interfuſa vadis, & quos fumantia torquens
Aequora vorticibus Phlegethon perluſtrat anhelis;
Vos mihi ſacrarum penetralia pandite rerum,
Et veſtri ſecreta poli. Qua lampade Ditem
Flexit Amor, quo ducta ferox Proſerpina raptu
Poſſedit dotale Chaos, quantaſque per oras
Sollicito genitrix erraverit anxia curſu.
Vnde datæ populis leges, & glande relicta
Ceſſerit

19 Mœoniis -- thyrſis *vulg.* figit *Vic. Vien. Ald. Junt.* fulcit *Baſ. Plant. Barth.* firmat *Claver. Heinſ. nt* 7, 39. 20 famulatur *al.* famulantur *etiam primæ editt.* 21 animis *Cuj.* 24 gurgitibus *MSS.* 26 quod (*f.* quo) vulnere Ditem Læſit *Cuj.* 27 ulſit (uſſit) *MS. Clav. quod convenit ad* Lampada. 30 fruges *ante Heinſ. qui etiam Virg. Aen.* 4, 58 frugiferæ Cereri legiferam *ſubſtituit. Pro &*, tum *MSS.* ut *vel* cur *malit Heinſ.*

dera reprehenditur Claudianus a Meurſio c. 27, qui ex Ariſtophane (Ran. 333) oſtendit, in his ſacris myrto potius coronatum. *Tigris*, h. e. pellis ejus feræ, cujus *aurati ungues*, ut apud Virg. Aen. 5, 352 *Tergum Gætuli immane leonis --- villis onerosum, atque unguibus aureis. In nodum colligere vngues* intelligo, unguibus illis tanquam fibulis uti ad conſtringendam ſub mento, vel in dextro humero pellem. De *thyrſo* vid. 20, 205 ſq.

20 Jam alloquitur Deos inferos, Maronem imitatus Aen. 6, 264 *DI quibus imperium eſt animarum, Umbræque ſilentes, Et Chaos, & Phlegethon* &c. *Famulantur vulgus*, docta Syneſi, & optimis quibusque uſitata.

21 Philoſophatur poëta more Heraclitico, nihil perire omnino e rerum natura, ſed redigi in φθόνν quæ mori vel interire dicimus, h. e. in eam conditionem, ubi nec viſui, nec alii ſenſui ſint expoſita. Vid. v. 55 ſqq.

21 *Avaræ opes*, quibus nihil decedit, ſed accedit perpetuo.

26 *Lampade flectere* fila ferrea, & tubulos vitreos ſolent artifices. Sed an hoc modo Ditem Cupido flexerit, viderint manes Claudiani. Mihi multo magis placent conjecturæ, quas in varietate lectionis propoſui.

28 *Chaos* ſatis declaratum eſt ad 5, 525. Quod *dotale* vocat, intelligimus, *dotem* latius patere quam apud ICtos: & comprehendere, quidquid nuptiarum cauſa datur mulieri. Nam *dotale Chaos* ſine dubio eſt, quod Proſerpina habet, quatenus eſt in matrimonio Plutonis. Sic etiam de majoribus noſtris Tac. c. 18, 2 *Dotem non uxor marito, ſed uxori maritus offert.*

30 *Unde*, ut alias, ad perſonam refertur: a Cerere enim occaſione illius

Ceſſerit inventis Dodonia quercus ariſtis.
Dux Erebi quondam tumidas exarſit in iras
Prælia moturus Superis, quod ſolus egeret
Connubii, ſterileſque diu conſumeret annos,
Impatiens neſcire torum, nullaſque mariti
Illecebras, nec dulce patris cognoſcere nomen.
Jam quæcumque latent ferali monſtra barathro
In turmas aciemque ruunt, contraque Tonantem
Conjurant Furiæ: crinitaque fontibus hydris
Tiſiphone, quatiens infauſto lumine pinum,
Armatos ad caſtra vocat pallentia Manes.

Pene

32 exivit *MSS.* 33 ſolu' careret *Cuj.* 34 connubiis *vulg.* 35 nudasque maritæ *MS.* 40 infeſto *Baſ. Plant. Barth.* infauſto *Vic. Vien.*

illius muneris ſui, frugum, leges etiam datæ: unde θεσμοφόρος, Legifera vocatur, & ſacrum illi annuum hoc nomine conſtitutum, θεσμοφόρια. Nempe cum agricultura Athenienſes etiam receperunt diviſionem agrorum accuratam, & limites privatorum quoque prædiorum a nemine civium violandos: porro quod quisque cultu ſuo, ſuo in agro, effeciſſet, hoc ipſi proprium præſtare debebat reſp. ut a nemine impune poſſet violari. Hæc legum initia, unde ad reliquam humanitatem civilitatemque progreſſus facilis fuit.

Ante fruges inventas glande veſci, βαλανηφαγεῖν, putabantur homines, fructu copioſo, ad aſſervandum per hiemem apto &c. Pulchre βαλανηφαγίαν illam cum reliqua vitæ barbarie & fœditate conjungit Horat. Sat. 1, 3. 9 *Cum prorepſerunt primis animalia terris, Mutum & turpe pecus, glandem atque cubilia propter Unguibus & pugnis, dein fuſtibus, atque ita porro Pugnabant armis* &c. Sed hiſtoriolam damus ad 36, 43. *Dodonia quercus* & ſimilia poëtis placuere, ut ſimul admonerent juniores de patriis rerum quacunque cauſa nobilium. In univerſum hoc videtur conſilium poëtarum ab Homero inde fuiſſe, ut Geographiam, fundum quaſi omnis hiſtoriæ, docerent.

32 Hinc initium quaſi tractationis, in quo hoc ipſum non valde poëticum, certe de Horatii A. P. 147 ſententia eſt, quod rem nimis ab ovo orditur. Sed hoc philoſophum & Platonis medicorumque rationibus accommodatum, quod negatum Veneris uſum in furorem exire ponit: hunc furorem *tumida ira* ſignat. *Ducem Erebi* vocat Plutonem, quatenus *Erebi* nomine æque atque altero inferorum utitur. Ceterum hoc Erebi nomine idem fere ac Chaos, tenebricoſa rerum omnium miſcela & confuſio, ſignificatur.

37 *Ferale barathrum*, ſedes infelicium animarum, tartarus.

40 *Pinum* non puto ita dici, ut totam, quemadmodum in Cerere, vel Gigante aliquo, arborem velit intelligi, ſed ſimpliciter facem pineam.

Pæne reluctatis iterum pugnantia rebus
Rupiſſent elementa fidem, penitusque revulſo
Carcere, laxatis pubes Titania vinclis,
Vidiſſet cæleſte jubar, rurſuſque cruentus
Aegæon poſitis arcto de corpore nodis
Obvia centeno vexaſſet fulmina motu.
Sed Parcæ vetuere minas, orbique timentes
Ante pedes ſoliumque ducis fudere ſeveram
Canitiem, genibuſque ſuas cum ſupplice vultu
Admovere manus, quarum ſub jure tenentur
Omnia, quæ ſeriem fatorum pollice ducunt,
Longaque ferratis evolvunt ſæcula penſis.
Prima fero Lacheſis clamabat talia regi,
Incultas diſperſa comas: *„O maxime noctis*
Arbiter, umbrarumque potens, cui noſtra laborant
Stamina;

42 reſolutis *Cuj.* 46 auctо ſ. anctо *MSS. it. Baſ. marg.* arctato corp. *MS. Cuj.* pectore *MS.* 50 fletu *MSS. etiam Guelf. it. editi ante Clav.* 52 fatali *MS.* 53 fuſis *MSS.*

42 *Iterum*, nam hæc antiqui Chaus conditio, cum, ut canit Naſo Met. 1, 19 *Frigida pugnabant calidis, humentia ſiccis, Mollia cum duris, ſine pondere habentia pondus.*

44 *Pubes Titania* gigantes, de quibus in Gigantomachia c. 37.

46 *Arctum* participii ratione accipiendum, quaſi eſſet *arctato*, h. e. conſtricto.

47 *Obvia fulmina*, contra ſe miſſa, *vexaſſet* vel declinando vel in contrarium dirigendo, *centeno motu* totidem manuum. Nempe Aegæon eſt ἑκατόγχειρος ille Il. A, 403 ὃν Βριάρεων καλέουσι θεοὶ, ἄνδρες δέ τε πάντες Αἰγαίωνα.

48 Quod *Parcæ vetuere minas*, pulchre & decenter dictum: ſed illa ſupplicatio *ante pedes* Plutonis non placet, ſi quidem Parcæ ſint fatum, cui Jovem & omnes Deos, Ditemque adeo ipſum etiam ſubjicere ſolent. Sed nempe Parcæ, ut fit in Mythologia ſat frequenter, hic aliam perſonam ſuſtinent, inferorum pars ſunt, & regni Plutonis, filiæque adeo vel ipſius vel Noctis & Erebi.

49 Sic Pompejus apud Luca. 7, 372 facit *Senatum -- ſacros pedibus* militum *proſternere canos* Genibus admovere manus antiquiſſimum. Thetis Homerica Il. α, 500 altera manu genua patris, altera barbam prehendit.

53 *Ferrata penſa* vocat pro laneis, ad indicandam firmitatem & velut rigorem fatorum.

54 *Ferum regem*, non modo epitheto perpetuo dici poſſe Plutonem, apparet: ſed quatenus nunc Veneris quodam œſtro ac furore efferatus eſt.

55 Hæc jam oratio habet velut Hymnum Plutonis, & ea philoſophemata, de quibus dictum ad

Stamina; qui finem cunctis & semina præbes,
Nascendique vices alterna morte rependis:
Qui vitam letumque regis. (Nam quidquid ubique
Gignit materies, hoc te donante creatur,
Debeturque tibi, certisque ambagibus ævi
Rursus corporeos animæ mittuntur in ortus.)
Ne pete firmatas pacis dissolvere leges,
Quas dedimus, nevitque colus: neu fœdera fratrum
Civili converte tuba. cur impia tollis
Signa?

58 reponis *vel* resolvis *Cuj.* 59 seris *MS. quod firmat aliunde Heinf.* 61 certique *conj. Heinf.* 62 mutantur in artus *primæ editt. & Heinf. ex MSS. quos meliores ait.* mittuntur *Baf.* mittuntur in Ortus *Baf. marg. Claver. ex MS. Janf. Barth.* 65 convelle *conj. Scal.* committe *MSS.*

5, 525. Pluto ille, Chaos, ὕλη, res una eademque, confusa quædam congeries elementorum & seminum, sensus externos fugientium, e qua oriuntur, in quam resolvuntur omnia. Parcarum est, τῶν Μοιρῶν, assignare unicuique horum elementorum suam sortem, μοῖραν, ortus, quem Lachesis gubernat, durationis, quam regit Clotho, & reditus in chaos, quam mortem vocant, cui Atropos præest. Qui vult eam partem antiquæ philosophiæ cognoscere penitus, illi satis puto posse fieri legenda nostra de Animabus Hippocratis & Heracliti disputatione, tertiis curis expolita in Commentar. Soc. R. Gotting. To. 1. Qui vero poëtarum comparare virtutes voluerit, ille sextum Aeneidos a v. 713 & Silii 13, 558 cum hoc nostro contendens, jucunde, si quidem sensum habeat talium, afficietur.

58 *Alterna morte*, nam quæ apud nos moriuntur, ea nascuntur Chao & vice conversa.

62 *Animæ* in illa philosophia Heraclitica sunt ipsa illa prima elementa & semina rerum, v. g. animalium, quæ si forte quadam sua, μοίρᾳ, in locum & sedem sibi aptam, vasa seminalia, deferantur, ibi augescunt, h. e. explicantur in membra sua, crescunt &c. post mortem autem dispersis, quæ assumtæ fuerant particulis, in illam priorem tenuitatem redeunt, e qua per novam sortem redire illis contingit. Hæc sententia non male explicatur, sive dicas *animas in artus mutari*, sive *mitti in ortus*: sed hoc mihi, in auctoritate pari, videtur præferendum quia magis philosophum, magis Claudiano dignum. Apud Silium *animæ cælum repetunt, redeunt in corpora.* Similia plura apud Virgilium. Animæ Heracliticæ antequam redeant in corpora, jam habent omnia membra &c. Sed etiam illud *mutare* ornauit Heinsius. Eligat quisque quod placebit.

65 *Civili tuba, signis impiis*, bellum intestinum inter fratres significat. Solent illum naturæ ordinem, quo continentur omnia, *pacis, fœderis* similibusque nominibus indicare. Postquam enim personas fecere cælum, terram, elementa reliqua, supererat, ut tanquam personis discordiam

Signa? quid inceſtis aperis Titanibus auras?
Poſce Jovem, dabitur conjux.„ Vix illa: pepercit,
Erubuitque preces, animiſque relanguit atrox,
Quamvis indocilis flecti. Ceu turbine rauco
Cum gravis armatur Boreas, glacieque nivali
Hiſpidus & Getica concretus grandine pennas,
Bella cupit, pelagus, ſilvas, campoſque ſonoro
Flamine rapturus: ſi forte adverſus aënos
Aeolus objecit poſtes, vaneſcit inanis
Impetus, & fractæ redeunt in clauſtra procellæ.
Tum Maja genitum, qui fervida dicta reportet,
Imperat acciri. Cyllenius adſtitit ales,
Somniferam quatiens virgam, tectuſque galero.
Ipſe rudi fultus ſolio, nigraque verendus
Majeſtate ſedet. ſqualent immania fœdo
Sceptra ſitu; ſublime caput mæſtiſſima nubes
Aſperat, & diræ riget inclementia formæ.
Terrorem dolor augebat. tunc talia celſo
Ore tonat: (tremefacta ſilent dicente tyranno
Atria;

66 inceſtas, inceſtis *Vic. Vien. rell.* inceſtas *Baſ.* illicitas *Baſ. marg.* & *MSS.* 67 vix ille pepercit *ante Barth.* 68 elanguit *MS. Barth.* 72 *pro* bella, flare *Guelf.* 74 occluſit *Cuj.* 83 horrorem *MSS.* & *Cuj.* moerorem *Cuj.*

diſcordiam & bella, concordiamque pacem & fœdera aſſignarent. Vid. 3, 4 & 65 it. 26, 56.

66 *Inceſtos Titanas* vocat, h. e. indignos, qui in conſpectum & conſortium deorum, caſtarum mentium, admittantur.

67 *Vix* dixerat *illa* Lacheſis: & ſtatim Pluto *pepercit.*

68 *Erubuit preces* Pluto, & ita tollit vel minuit certe poëta crimen, quod ipſi impegimus ad v. 50. Nempe ſic imperator poteſt jugulum præbere rebellanti exercitui.

76 *Maja genitum*, Atlantis filia, Mercurium, *Cyllenium* a monte Arcadiæ illi ſacro dictum. Hic enim *διάκτορος* eſt & internuncius quidam *ſuperis Deorum*, ut eſt Hor. Car. 1, 10. 19, *Gratus & imis* Ipſe noſter declarat v. 89 ſq.

78 *Somnifera* eſt Mercurii virga, vel caduceus, non minus quam excitandis hominibus apta. Homerus Il. ω, 343 & Od. ω, 3 Τῷ δ' ἀνδρῶν ὄμματα θέλγει, ὅντ' ἐθέλει, τοὺς δ' αὖτε καὶ ὑπνώοντας ἐγείρει.

80 *Majeſtas* etiam ad horrorem pertinet, ut Stat. Theb. 7, 478 *de Jocaſta, Eumenidum* (Furiarum) *velut antiquiſſima portis Egreditur magna cum majeſtate malorum.* Sic etiam *verendus* 35, 195.

Atria; latratum triplicem compeſcuit ingens
Janitor, & preſſo lacrimarum fonte reſedit
Cocytos, tacitiſque Acheron obmutuit undis,
Et Phlegethonteæ requierunt murmura ripæ:)
„Atlantis Tegeæe nepos, commune profundis
Et ſuperis numen, qui fas per limen utrumque
Solus habes, geminoque facis commercia mundo,
I celeres proſcinde Notos, & juſſa ſuperbo
Redde Jovi. Tantumne tibi, ſæviſſime fratrum,
In me juris erit? ſic nobis noxia vires
Cum cœlo Fortuna tulit? num robur & arma
Perdidimus, ſi rapta dies? An forte jacentes
Ignavoſque putas, quod non Cyclopia tela
Stringimus, aut vanas tonitru deludimus aures?
Nonne ſatis viſum, quod grati luminis expers

Tertia

85 tartara *Guelf.* 87 Cocytus *vulg.* 91 *pro* mundo, cœlo *Guelf.* 92 i celer, & *ante Heinſ. qui recepit emendationem Barth.* 94 ſi nobis -- non robur *ante Barth. & Heinſ.* 98 ſpargimus *MSS.* vano *MS.* vanas hominum *Baſ.* auras *al.* 99 *pro* grati, ſuperi *MS.*

86 Alludit ad etymon. Κωκυτὸς ploratus, lacrimæ.

89 *Tegeæus*, quod Tegeæ, quæ Arcadiæ urbs fuit, præ ceteris celeretur. Cf. ad v. 76.

91 Non ſimpliciter abſurda eſt lectio, quæ pro *mundo* ponit *cælo*. Nam præterquam quod ſynonyma ſunt, etiam inferi *ſolemque ſuum, ſua ſidera norunt* Aen. 6, 641.

92 *Proſcinde Notos*, poteſt inſolens videri: & poſſet aliquis malle *Præverte Notos*, velut eſt apud Stat. Theb. 1, 293 in eadem re *Præcede Notos*. Sed *proſcindere* hic eſt idem quod alias *ſecare*: *Notos* autem pro aëre vel æthere dixit. Utrumque illuſtret Virgilius Aen. 4, 257 ubi de Mercurio, *Litus arenoſum Libyæ, ventosque ſecabat.* Stat. Theb. 8, 717 de fraxino ſ. haſta, *Ecce ſecat Zephyros.* Idem 6, 388 *Claraque per Zephyros etiam nunc ſemita lucet*, qua Apollo ierat. Eadem etiam declaravimus illud v 185 *Nunc ſpicis Zephyros tranant*, & illud 36, 3.

93 *Tulit*, abſtulit, ut in illo Virg. Ecl. 9, 51 *Omnia fert ætas, animum quoque. Vires* reſpondent Homerico ἀλκή, quo victoriam notat.

96 *Dies rapta* Plutoni, ut ſuis inferis contento, hanc lucem, hoc cælum noſtrum videre non liceat.

97 *Cyclopia tela*, fulmina quæ Cyclopes fabricantur Jovi, quam fabricam pulchre deſcribit Virg. Aen. 8, 426.

Tertia ſupremæ pătior diſpendia ſortis,
Informesque plagas; cum te lætiſſimus ornet
Signifer, & vario cingant ſplendore Triones?
Sed thalamis etiam prohibes? Nereia glauco
Neptunum gremio complectitur Amphitrite.
Te conſanguineo recipit poſt fulmina feſſum
Juno ſinu. Quid enim narrem Latonia furta?
Quid Cererem, magnamque Themin? Tibi tanta creandi
Copia: te felix natorum turba coronat.
Aſt ego deſerta mœrens inglorius aula
Implacidas nullo ſolabor pignore curas?
Non adeo toleranda quies. Primordia teſtor
Noctis, & horrendæ ſtagna intemerata paludis,

Si

100 *pro* ſortis, noctis *Guelf.* 102 Lucifer *Guelf.* 103 thalamos *primæ editt. Sed* thalamis *jam Baſ.* Nereida -- Neptunus -- Amphitriten *MS.* 106 quid enim Lat. furta referrem *Guelf.*

100 Sorte diviſum mundi imperium inter fratres Jovi cælum evenit, Maria Neptuno, Tertia & ultima (hanc *ſupremam* hic vocat) Inferorum Plutoni. Deſcribitur iſta ſortitio Il. O, 187 ſqq. Hinc venuſte Jovi adulatur Callimachus H. in ipſum v. 60 cum negat ſorti tam inæqualium rerum diviſionem permiſſam, ſed viribus & operibus Jovis cælum debitum ait.

102 *Signifer*, Zodiacus, *Triones* ſeptem, ſplendida illa urſæ utriusque ſidera, quæ nunquam orbi noſtro occidunt.

105 *Conſanguinei*, fratres & ſorores, ut in illo *Conſanguineus leti ſopor* Aen. 6, 278. Sic ὅμαιμος & ὁμαίμων Græcis. Juno *Jovis Et ſoror & conjux* Aen. 1, 47.

106 *Latonia furta*, clandeſtinus concubitus Jovis cum Latona, e quo Apollo & Diana nati. Vid. Callimachi H. in Delum. Cererem fecit matrem Proſerpinæ: turpiſſima, & digna Plutonis criminatione, hiſtoria eſt apud Arnob. 5 p. 170. De Themide paulo abſtruſius. In hymno Orphico 42 p. 140 vocantur filiæ Themidis & Jovis tres Horæ, Eunomie, Dice, & Irene. Sed eadem Heſiodus Theog. 901 & Apollod. 1, 3. 1 ubi ex eodem conjugio etiam Parcas natas eſſe docemur. Ichnææ cognomen etiam nacta eſt Themis ex cauſa amatoria, quam refert Steph. Byz. Voc. Ἰχναι. Themin cæleſtem Σωτῆρος ἀρχμὰν ἄλοχον Διὸς appellat Pindarus apud Clem. Alex. Stromat. 5 p. 732, 4 Pott.

111 *Primordia* noctis, illam Noctem, Erebum, e quo nata omnia: cui occaſionem dediſſe videtur illud Moſaicum וַיְהִי עֶרֶב & deinde וַיְהִי אוֹר. Hinc dictum νυχθήμερον. A nocte diem incipiunt hodie Judæi & olim Aegyptii atque Attici. Vid. Lindebr. ad Alex. ab Alex. 4, 20 pr.

112 *Intemerata ſtagna*, quæ ſemel trajecta nemo rediit. Nam *temerare* eſt quocunque modo violare.

Si dicto parere negas, patefacta cicbo
Tartara. Saturni veteres laxabo catenas.
Obducam tenebris lucem: compage soluta
Fulgidus umbroso miscebitur axis Averno.„
Vix ea fatus erat, jam nuntius astra tenebat.
Audierat mandata pater, secumque volutat
Diversos ducens animos, quæ tale sequatur
Conjugium, Stygiosve velit pro Sole recessus.
Certa requirenti tandem sententia sedit.
Hennææ Cereri proles optata virebat
Unica; nec tribuit sobolem Lucina secundam,
Fessaque post primos hæserunt viscera partus
Infecunda quidem; sed cunctis altior exstat
Matri-

115 solem *MSS. & Bas. marg.* cius *MS. ap. Burm. ad Aen. 3, 8. placet.* 116 lucidus *Guelf.* 117 & nun- 119 diverso *ex MS. Claver. quod* 120 Luce *Cuj.* vigebat *Cuj.* 122 Aetnææ *omnes ante Heins.* 125 lætior *Cuj.*

114 Inter antiquissimas fabulas Saturnus pater Jovis, cum Titanibus reliquis conjectus in Tartarum, Apollod. 1, 2. Sic, *Saturno tenebrosa in Tartara misso, Sub Jove mundus erat* Ovid. Met. 1, 113. Saturnalibus canitur a poëtis, v. g. Statio Sil. 1, 6. 4 *Saturnus compede exsoluta.*

116 Eo ipso, quod cælum inferis miscetur, redit vetus illud & primævum Chaos.

117 *Vix ea fatus erat* Pluto, & Mercurius jam in cælo erat apud Jovem, legationemque pertulerat. Pulcherrima celeritas in qua longe superat Homeri patris repetitiones qui recte ille quidem suæ ætatis rationem secutus est, raritatem in primis literarum, quæ non pateretur, sed poscoret mandata ejusmodi poni ut data sunt, ac deinde ut perlata: sed eo ipso his qui nunc sunt hominibus nugax & iners & tardus videtur.

119 Formula *Diversos ducere animos*, exprimere videtur illud Homericum Il. A, 189 διάνδιχα μερμήριξεν. Dividitur velut animus certe alternis in partes diversas vertitur trahiturque. Jupiter nunc ad hanc Dearum intendit cogitationem nunc ad aliam, *quæ tale* tam horribile *conjugium*, talem conjugem, sequi audeat, quæ pro die & sole, pro vita apud superos, eligat Stygios inferorum recessus.

122 Ita firmavit *Hennæam* Cererem, non *Aetnæam*, neque *Ennæam* Heinsius, tum Ez. Spanhemius ad Callim. H. in Cer. v. 15 p. 624 & v. 31, ut illam rationem in hoc opusculo sequi nihil dubitem. Vicinia Aetnæ montis incendio suo nobilissimi, *Hennam* & *Hennæam* in *Aetnam* atque *Aetnæam* mutandi occasionem dedit. Ceterum de Henna urbe, de loco unde rapta est Proserpina, de Cerere *Hennæa* vel, ut ibi vocatur, *Hennensi* locus insignis est Cic. in Verr. 4, 48 sqq. Conf. ad Sil. 1, 93.

Matribus, & numeri damnum Proſerpina penſat.
Hanc fovet, hanc ſequitur. vitulam non blandius ambit
Torva parens; pedibus quæ nondum proterit arva,
Nec nova lunatæ curvavit germina frontis.
Jam vicina toro plenis adoleverat annis
Virginitas: tenerum jam pronuba flamma pudorem
Sollicitat: miſtaque tremit formidine votum.
Perſonat aula procis. pariter pro virgine certant
Mars clipeo melior, Phœbus præſtantior arcu.
Mars donat Rhodopen, Phœbus largitur Amyclas,

130 matura *Guelf.* 132 timet *Guelf.* fremunt -- vota *Cuj.*

126 Quod deeſt numero liberorum, illud virtute & pulchritudine compenſat Proſerpina, quæ una matri pluris eſt quam numeroſa ſuboles.

128 *Torva* proprium pene epitheton hujus generis. *Torva facies* in tauro laudatur Columellæ 6, 20. Et ipſi Virg. Ge 3, 51 *Optima torvæ forma bovis.* Decor quidam poëticus eſt, quod *vaccam* non appellat nomine proprio *Pedibus arva nondum proterit*, quæ jugum nondum ſubit aut arandi cauſa jungitur.

129 Rem humilem, quicum Deas comparare pene indecens erat, viciſſim extollit, & dignam illa comparatione cornuum illius cum Luna reddit. Hor. Car. 4, 2. 54 *tener vitulus -- Fronte curvatos imitatus ignes Tertium Lunæ referentis ortum.*

130 *Matura toro* mihi magis placeret non modo propter Virgilianam imitationem Aen. 7, 53 *Jam matura viro, jam plenis nubilis annis:* ſed quia *vicina* aliud ſignificat, nempe puellam, cui jam parantur nuptiæ.

131 *Pronuba flamma*, calor naturalis adoleſcentiæ, qui ſolicitat eos humores, quibus ad Venerem opus eſt, atque adeo ſuadere videtur matrimonium ac nuptias, quod faciunt pronubæ.

132 Qui cupiunt vehementer, illi jam tremunt ab hoc ipſo affectu: magis etiam, ſi in eo, quod cupias, ſit alea & periculum, ſi pudor adjunctus.

133 Decorum obſervat poëta, cum in amatorum recenſu omittit ipſum Jovem, de cujus in illam inceſtis furoribus obſcena fabula eſt apud Arnob. 5 p. 171. Sed totum hoc de procis non antiquus mythos eſt, opinor, verum exornatio in poëtæ noſtri cerebro nata ſimpliciter.

135 *Donat Mars*, quantum in ſe eſt, donare vult, offert: ſic *largitur* Apollo. Hæc obſervare in talibus locis, non eſt magni momenti: ſed interdum illorum meminiſſe conſultum eſt, ut cum in Evangelio Jo. I, 9 dicitur ὁ λόγος φωτίζει πάντα ἄνθρωπον, vel analogia quadam aut intercedente Metaphora Lucæ 5, 6 διεῤῥήγνυτο τὸ δίκτυον *Martis* ſedem eſſe *Rhodopen* oſtendit etiam 3, 335. *Amyclæ* hic intelliguntur Laconicæ, Apollini ſacrum nemus habentes, unde & *Apollineas Amyclas* vocat Statius Theb. 4, 223.

Et Delon Clarioſque lares. Hinc æmula Juno,
Hinc poſcit Latona nurum. Deſpexit utramque
Flava Ceres; raptuſque timens (heu cæca futuri!)
Commendat Siculis furtim ſua gaudia terris,
[Inſidis natam laribus commiſit alendam
Aethera deſeruit, Siculasque relegat in oras]
Ingenio conſiſa loci. Trinacria quondam
Italiæ

137 utrumque *vulg.* 139 pignora *omnes, qui hunc verſum habent. Sed omittit illum poſt MSS. Barth. Heinſius duo verſus omittit, quos hic uncis incluſos dedimus. Et videtur hic vel a poëta ipſo variatum, vel certatum ab emendatoribus. Claverius putabat de tribus ejusdem ſententiæ, & dubiæ electionis verſibus hunc præferendum,* Infidis natam *&c. Ego integram electionem permittendam lectori ratus ſum qualis fuit in impreſſis uſque ad Claverium, qui illud modo mutat, ut legat,*
Siculaque relegat in ora.

136 De *Delo* Apollini ſacra 8, 133. *Claros* Ioniæ, lucus, fanum, forte urbs etiam, unde *Clarius* Apollo, qui in prædicatione opum ſuarum Ovid. Met. 1, 515 *Mihi Delphica tellus*, inquit, *Et Claros, & Tenedos, Patareaque regia ſervit.*

138 *Flava Ceres* hoc cognomen habet a colore frumenti maturi.

140 *Trinacriæ* nomen certe non habuit, cum adhuc continens eſſet, ſi unquam fuit, Italiæ, ac τρίγα ἄκρα, ſ. promuntoria nondum haberet. Breviter hic, quid de nobiliſſima illa vel hiſtoria vel fabula ſentiam, & unde quis petere poſſit reliqua, indicabo. Igitur de abrupta a Bruttiis & Rhegio Sicilia, nihil innotuiſſe videtur Homero, qui νῆσον vocet ſimpliciter Θρινακίην Od. M, 127 & in terribili Scyllæ & Charybdis fabula nullam plane ejus rei mentionem faciat. Heſiodus apud Diodorum Sic. 4 extr. aggeſtum Siciliæ ab Hercule Pelorum ait, & templum ibi conſtitutum Neptuno. Nihil, quod ſciam Pindarus. Primus, de quo conſtet, Aeſchylus apud Strabonem 6 p. 178, 18 Rhegii promuntorii & urbis nomen a verbo ῥήγνυσθαι & hac ruptura derivat. De aliis Poëtis mox videbimus. Inter hiſtoricos Thucydides 6 pr. ubi antiquitates Siciliæ perſequitur, tacet ſimpliciter. Salluſtius apud Iſid. Orig. 14, 6 p. 1177, 56 dicit *Italiæ conjunctam Siciliam* fuiſſe; neſcio an aſſeverate. Certe Trogus apud Juſti. 4, 1. 1 *Siciliam ferunt — Italiæ adhæſiſſe.* Diodorus Sic. l. c. παλαιοὺς μυθογράφους auctores citat. Hi poſſunt eſſe Aeſchylus & ſuppares. Redeamus ad Poëtas. Virgilius Aen. 3, 414, Ovid. Met. 15, 290, Lucanus 3, 59, Valerius Flaccus 2, 617, Statius Silv. 1, 3. 32, Silius Ital. 14, 11 & quis non Poëtarum? ita hujus rei mentionem faciunt, ut non poſtulent ſibi credi. Ad Poëtas potius quam Geographos referendus eſt Dionyſius ὁ περιηγητὴς v. 476, & qui auget fabulam, Euſtathius παρεκβολῇ ad eum locum. Nempe narrat a Neptuno abſciſſam eſſe Siciliam, qui gratificari vellet Acaſto (MS. locaſto) Aeoli F. quo is tutius ibi poſſet habitare. Superſunt Philoſophi, quorum qui velit ſententias cognoſcere, ille adeat

Italiæ pars una fuit: ſed pontus & æſtus
Mutavere ſitum. rupit confinia Nereus
Victor, & abſciſſos interluit æquore montes:
Parvaque cognatas prohibent diſcrimina terras.
Nunc illam ſocia raptam tellure triſulcam
Opponit natura mari. caput inde Pachyni
Reſpuit Ionias prætentis rupibus iras.
Hinc latrat Gætula Thetis, Lilybæaque pulſat
Brachia conſurgens; hinc dedignata teneri
Concutit objectum rabies Tyrrhena Pelorum.

141 *quid ſi* pars ima? 142 rapuit *Vien. marg.* 143 interfluit *Guelf.* 144 conjungi *Cuj.* 145 ſociæ raptam *Vien. Baſ. Junt. Ald. Plant. Claver.* ſociam r pta *Vic.* ſocia ruptam *Scal. & Barth.* 147 reſpicit *vulg.* deſpicit *Janſ.* protentis *vulg.* projectis, porrectis *Cuj.* reſpuit *ex MSS. Heinſ. & habet jam margo Baſ. Plant. Claver.* 150 littora — moveri *Baſ. marg.*

adeat non Platonem neque Ariſtotelem, fruſtra enim fuerit; ſed Strabonem L. 1 p. 37, 33 & 41, 30, tum Senecam Quæſt. Nat. 6, 29. Horum & ſimilium argumentatione potius, quam fide hiſtoricorum inductus videtur Plinius, cum 2 c. 88 *Rerum natura*, inquit, *avellit Siciliam Italiæ*, & his ſimilia 3 c. 8. Recentiorum αὐτοπτῶν & naturæ conſultorum ſententias, cum his, quæ antiqui tradiderant, habet Cluverius Sicilia antiqua 1, 1. Quæ noſtra ætate diſputata ſunt, prætereo ſciens. Summa eſto, nihil certi habet hiſtoria, Poëtæ arripuiſſe videntur philoſophemata non uſquequaque improbabilia certe, & his affinia, quibus collegere viri prudentes, non Titi ætate primum arſiſſe Veſuuium, licet hiſtorica fide nihil de ſuperioribus incendiis conſtet.

142 *Nereus* hic ut perſona fingitur, quæ fluctibus, tanquam manibus aut armis ſuis, repetito impetu viam ſibi fecerit.

145 *Triſulcam* eodem ſenſu dixit, quo *triquetram* Hor. Ser. 2, 6. 55. Intelligendum eſt hoc epitheton ex ea notione, qua *ſulcus* interdum eminentem inter foſſas ſ. lacunas duas tractum ſignificat, ut Pallad. Mart. 9, 11 & Georg. 1, 113. Placet hic diſerte ponere, quod in Theſauris omiſſum video. *Sulcus*, ὀλκός, tractus eſt, ſpeciatim in arvis, directus, cujus partes duæ, *lacuna*, depreſſa, & *ſtria* ſ. *porca*, eminens. Sed interdum generalis appellatio magis ad depreſſiorem partem, interdum ad altiorem reſtringi videtur. Hæc rariuſcula ratio eſt, & eo magis obſervanda, quia *biſulci* & *triſulci* ſignificatio inde pendet.

148 De verbo *latrat* vid. 31, 61. *Gætula Thetis*, mare quod Libyam ſ. Africam, alluit cujus partem habent Gætuli. *Brachia* hic ſunt, quæ etiam *linguæ* vocantur, partes terræ aliquantum procurrentes in mare

In medio ſcopulis ſe porrigit Aetna peruſtis:
Aetna Giganteos nunquam tacitura triumphos,
Enceladi buſtum, qui ſaucia terga revinctus
Spirat inexhauſtum flagranti pectore ſulphur.
Et quoties detrectat onus cervice rebelli
In dextrum, lævumve latus: tunc inſula fundo
Vellitur, & dubiæ nutant cum mœnibus urbes.
Aetnæos apices ſolo cognoſcere viſu,
Non aditu tentare, licet. pars cætera frondet
Arboribus: teritur nullo cultore cacumen.
Nunc vomit indigenas nimbos, piceaque gravatum
Fœdat nube diem: nunc molibus aſtra laceſſit
Terrificis, damniſque ſuis incendia nutrit.
Sed, quamvis nimio fervens exuberet æſtu,
Scit nivibus ſervare fidem, pariterque favillis
Dureſcit glacies tanti ſecura vaporis,
Arcano defenſa gelu, fumoque fideli
Lambit contiguas innoxia flamma pruinas.

Quæ

153 membra *ante Heinſ.* terga *etiam Baſ. marg.* 154 vulnere virus *Baſ. marg.* 155 dejectat *Baſ. marg. hinc* rejectat *conj. Heinſ.* 157 vertitur *Cuj.* 161 movet *Baſ. marg.* 162 motibus *ante Heinſ.* 166 caloris *Cuj.*

151 Qui conferre inter ſe & Poëtarum veterum & hiſtoricorum Græcorum pariter & Latinorum deſcriptiones Aetnæ voluerit, & ingenio inde pabulum procurare, illum juvabit Cluverius in Sicilia Vet. 1, 8. Copioſiſſimum eſt Cornelii Severi de Aetna carmen.

153 Quæ hic de Encelado narrantur, ea de Typhoëo Pind. Pyth. A, 29 ſq. quem ſequuntur plures. Tales diverſitates in Poëtis nemo miratur. Noſter auctores habet Virgilium Aen. 3, 578 aliosque. Cf. 7, 159 - 161. 35, 158 præſertim 36, 350.

161 *Indigenas* eleganti Metaphora, apud ſe, vel intra ſe potius natos nimbos. Mox in *laceſſit* etiam pulchra Metaphora, quaſi ἀκροβολισμὸς & velitatio quædam eſſet illa molium varii generis ejectio.

163 Quo plus flammarum, fumi, cinerum, pumicum, eructat Aetna, tanto intus illum minui neceſſe eſt, ſed *damna* etiam Aetnæ dici poſſunt vaſtationes illæ, quas torrentes ignei, & ejectamenta alia extrinſecus efficiunt.

166 *Vicinam flammis glaciem, æternoque rigore Horrentes*, cum infra ardeant, ſcopulos, canit etiam Sil. 14, 67 qui locus totus cum hoc noſtro conferri meretur.

167 *Fumus fidelis*, qui ut vicinus bonus nihil nocet &c.

Quæ ſcopulos tormenta rotant? quæ tanta cavernas
Vis glomerat? quo fonte ruit Volcanius amnis?
Sive quod objicibus diſcurrens ventus opertis,
Offenſo per ſaxa furit rimoſa meatu,
Dum ſcrutatur iter, libertatemque repoſcens
Putria multivagis populatur flatibus antra.
Seu mare ſulfurei ductum per viſcera montis
Oppreſſis igneſcit aquis, & pondera librat.
Hic ubi ſervandum mater fidiſſima pignus
Abdidit, ad Phrygios tendit ſecura penates,

169 rotent -- glomeret -- ruat *ante Heinſ. pro* cavernas, procellas *Cuj. quod verum puto. V. N.* 170 fluat *Cuj. pro* amnis, ignis *ante Heinſ. qui formulas ab aqua ad ignem translatas illuſtrat.* 171 apertis *Baſ. male.* 174 montivagis *Cuj.*

169 *Tormenta*, machinationes illæ, cum funibus contortis, intentisque validiſſime, deinde ſubito laxatis moles etiam magnæ lapidum vibrantur, & ad inſigne ſpatium projiciuntur. Si notæ fuiſſent ea ætate machinæ ignivomæ, quibus hodie magna pars bellorum conſtat, cum his haud paulo felicius comparare illam Aetnæ pyrobolicam licuiſſet. Cererum talibus locis, qualis hic noſter eſt excuſari poſſunt, qui *tormentorum* nomine de pyrobolis, & tubis illis ignivomis abuntur. Quomodo *cavernæ glomerari* poſſint, & quid omnino hoc ſignificet *glomerare cavernas*, cum non aſſequar: valde placet indicata ſupra lectio Cujaciana. *Procellæ* i. nubes a ſpiritu vehementi actæ, *glomerantur*, i. ſubito coguntur, denſantur in volumina, & volvendo augentur.

172 Reſponſurus poëta quæſtionibus ſuis, primum hac utitur hypotheſi. *Ventus* ſubterraneus, *offenſo* & impedito per occultos *obices* libero *meatu*, *furit per ſaxa* &c.

174 *Putria antra*, i. fiſtuloſa, fragilia, verbo in pumices ab ipſo igni redacta, ut *putre ſolum* quod in pulverem facile reſolvitur. Vid. Virg. Georg. 2, 204 quem declarat Columella 2, 2. 4.

175 Alia hypotheſis, *Mare igneſcit oppreſſis aquis*. Hoc recentior aliquis naturæ conſultus ita forte enunciet, Parva proportione moles aquæ marinæ, ab igne admiſto & omnia illius elementa diſtendente, in vaporem ſolvitur, qua quidem mixtione nihil habere naturam potentius & magis ἐλαστικὸν, tum Aeolipilæ tum infinitis aliis ſulphurei præſertim vaporis, expetimentis conſtat.

176 *Pondera librat* proprie, qui ea huc illuc movet ponderis explorandi cauſa, ſed ſimiles motus edere etiam ſolent, qui magna vi projicere aliquid volunt. Ita hic etiam intelligo.

178 *Abdidit*, domo ſua, cujus firmitas deſcribitur infra v. 236 ſq. *Phrygii penates* domus ipſius Cereris. Ipſa enim filia eſt Cybelæ, Cybelæ, Cybebes, Deæ Phrygiæ, Rheæ, Matris magnæ Deum, quibus, aliisque

Turrigeramque petit Cybelen, ſinuoſa draconum
Membra regens, volucri qui pervia nubila tractu
Signant, & placidis humectant frena venenis.
Frontem criſta tegit: pingunt maculoſa virentes
Terga notæ: rutilum ſquamis intermicat aurum.
Nunc ſpiris Zephyros tranant: nunc arva volatu
Inferiore ſecant. Cano rota pulvere labens
Sulcatam fecundat humum. Flaveſcit ariſtis
Orbita. ſurgentes condunt veſtigia culmi.

Veſtit

179 ſquamoſa *al.* 180 volucrique per avia *ante Clav.* vol. qui pervia *etiam Baſ. marg. & Plant. marg.* 184 nunc leves *Baſ. marg.* 187 ſcindunt v. fruges *ante Claver. Sed* condunt v. culmi *jam Baſ. marg. pro* culmi, meſſes *MSS.*

aliisque nominibus paſſim celebratur. Ad hanc igitur matrem ſuam (quod aperte dicitur 36, 115) viſendam proficiſci facit Cererem poëta, ut ſit occaſio Plutoni raptori. Ceres & Cybele telluris ambæ ſymbola ſunt: ſed Cybele in quantum ab hominibus in urbes collectis tumultuoſe colitur, quod indicat corona *turrita* & reliquus illius apparatus; Ceres, quatenus gerit fruges, quibus aluntur homines, quæ habet ſpiceam coronam & trahitur a ſerpentibus, terreſtri beſtia &c. Rurſus Cybele Mater Deorum, eſt etiam mater Deæ Cereris.

179 *Sinuoſa* illa *araconum*, quibus vehitur Ceres, *membra* paſſim in nummis exhibentur, volucrium partim ſine alis, partim alatorum, tum coronatorum ſ. criſtatorum, barbatorumve. Vid. Spanhem. diſſ. 4 p. 211.

181 Epitheto *placidis* ſatis indicatur *venena* hic non intelligi noxia, ſed ſuccos potentes quidem, verum ad ſalutem. Sunt ἤπια φάρμακα, qualia etiam Aeſculapii & Hygeæ ſerpentes fundunt.

182 *Maculoſum*, depoſita quaſi macula, & nota turpitudinis, etiam ad pulchritudinem pertinere, vel illa *maculoſæ tegmine lyncis velata* venatrix Virgil. Aen. 1, 327 docet. Hoc univerſim in lectione vetervm debemus meminiſſe (quod copioſe diſputat l. c. Spanhemius) ſerpentes, dracones non horribilem beſtiam, ſed placidum animal, quin amatorium, ſub cujus ſpecie apud Olympiada ſe inſinuaverit Hammon Jupiter. Itaque ἀγαθοδαίμων, bonus genius, hac figura exhibebatur. Ita ille anguis, quem dubitat Aeneas, *Geniumne loci, famulumve parentis Eſſe putet*, pulcher eſt, *Cærulcæ cui terga notæ, maculoſus & auro Squamam incendebat fulgor: ceu nubibus arcus Mille trahit varios adverſo ſole colores*, Virg. Aen. 5, 84 ſqq.

184 *Spiræ* ſunt illi flexus, illi *ſinus* unde *ſinuoſa volumina* tribuuntur ſerpentibus. Formula *Zephyros tranare* ſatis declarata eſt ad illud v. 92. *Proſcinde Notos.* Add. Virg. Aen. 4, 245 ubi Mercurius *turbida tranat Nubila*: & hic 36, 3 *Zephyros illapſa.*

185 *Canus pulvis* tanto magis eſt, quo eſt ficcior. Rotæ in curru Cereris ſunt pro aratro & vomere: orbita eſt pro ſulco depreſſo. Suavis admodum imago. Ubicunque veſtigia poſuit Ceres, ſtatim ſurgunt culmi &c.

Veſtit iter comitata ſeges. Jam linquitur Aetna,
Totaque decreſcit refugo Trinacria viſu.
Heu quoties præſaga mali violavit oborto
Rore genas! quoties oculos ad tecta retorſit
Talia voce movens! „*Salve, gratiſſima tellus,*
Quam nos prætulimus cœlo: tibi gaudia noſtri
Sanguinis, & caros uteri commendo labores.
Præmia digna manent. nullos patiere ligones,
Et nullo rigidi verſabere vomeris ictu.
Sponte tuus florebit ager. ceſſante juvenco
Ditior oblatas mirabitur incola meſſes.„
Sic ait, & fulvis ſerpentibus attigit Iden.
Hic ædes auguſta Deæ, templique colendi
Relligioſa ſilex, denſis quam pinus opacat
Frondibus, &, nulla lucos agitante procella,
Stridula coniferis modulatur carmina ramis.

L 1 5 Terribi-

194 raros *Cuj.* 196 vexabere *MS.* actu *Cuj.* 200 ſedes auguſta *plerique ante Clav. qui dedit* ſedes aug. *quod eſt etiam in Baſ. marg.* ædes auguſta *Ald. & MSS.* ædes ang. *Parrhaſ.* 201 obumbrat *ante Heinſ.* 203 modulantur *ante Clav. Credo puſſine accepiſſe.*

189 *Decreſcit Trinacria* ex lege viſus, qua eo minora fiunt quæ cernimus, quo ſunt remotiora.

190 *Violantur genæ* a lacrimis, quia nunquam ſine aliquo certe dolore & injuria i. læſione cadunt.

192 *Salve* etiam in diſceſſu dici, ut ὑγίαινε, vel illa Aeneæ vox indicat qua Pallantis funus dimittit, *Salve æternum mihi, maxime Palla, Aeternumque vale.* Vale dicit ad tempus aliquod Siciliæ ſuæ Ceres.

199 *Fulvi ſerpentes* ab aureo fulgore. *Ide* Phrygia eſt, unde Idæa quoque mater vocatur Cybele.

200 *Religioſa ilex templi colendi* ſ. auguſti eſt ille lapis, de quo Liv. 29, 11 Attalus Pergami rex Romanorum *legatos -- Peſſinuntem in Phrygiam deduxit*, ſacrumque *iis* lapidem, *quam matrem Deum eſſe incolæ dicebant, tradidit, ac deportare Romam juſſit. Silicem* cum noſtro poëta appellat Arnob. 6 p. 196 *Ridetis -- coluiſſe -- Peſſinuntios ſilicem pro Deum Matre.*

201 *Pinum* Deum Matri ſacram etiam aliunde conſtat. Vid. Virg. Aen. 9, 85 & hic ad 18, 277.

203 Cantum quendam pinui tribuere antiquum eſt. Theocritus 1, 1 Αδύ τι τὸ ψιθύριτμα, καὶ ἁ πίτυς, αἰπόλε, τήνα ἁ ποτὶ ταῖς παγαῖσι μελίσδεται. quod ita vertere liceat, Dulce ſuſurrus, & iſta canora, caprarie, pinus Ad fontes reſonans. Debet pinus Pani, quod muſica eſt. Ponamus fabulam ex Geopon. 11, 10 Puella fuit Pitys (πίτυς, pinus:) amant illam Boreas & Pan. Cum illa

hunc

Terribiles intus thiasi, vesanaque misto
Concentu delubra gemunt. ululatibus Ide
Bacchatur. timidas inclinant Gargara silvas.
Postquam visa Ceres, mugitum tympana frenant.
Conticuere chori. Corybas non impulit ensem.
Non buxus, non æra sonant: blandaque leones
Summisere jubas. Adytis gavisa Cybelle
Exsilit, & pronas intendit ad oscula turres.
Viderat hæc dudum summa speculatus ab arce
Jupiter, ac Veneri mentis penetralia nudat.
„Curarum secreta tibi, Cytherea, fatebor.
Candida Tartareo nuptum Proserpina regi
Jam dudum decreta dari. sic Atropos urget:
Sic cecinit longæva Themis. Nunc matre remota
(Rem peragi tempus) fines invade Sicanos,
Et Cereris prolem patulis illudere campis,
Crastina puniceos cum lux detexerit ortus,
Coge tuis armata dolis; quibus urere cuncta,

Me

209 blandique *vulg.* 213 extendit *MSS.* 214 *pro* nudat, monstrat *it.* pandit *MSS.* 218 peragit *ante Heinf. Sed* peragi *jam Cuj. Ald. & conj. Barth.* 221 falle *Baf. marg.*

hunc præferret, Boreas furiose irruens petræ illam allidit. Enascitur eo loco Pinus arbor, qua Pan coronari amat, quæ gemit ad flatum Boreæ. Hinc Propert. 1, 18. 20 *Arcadio pinus amica Deo.*

204 *Terribiles thiasi* propter furorem illos choros ducentium sive saltantium. Verba *gemunt*, & *ululatus* ad inconditos mulierum & semivirorum in his sacris clamores describendos pertinent. Recordemur, Horatium, cum extremum ab ira furorem describere vult, Car. 1, 16. 5 cum eo, quem *Dindymene* i. Cybele in his montibus culta, incutit, comparare. Ibidem etiam *Corybantum* & *æris* i. pelvium mentio, de quibus statim. Add. ad 8, 149. 20, 279 sqq. ubi etiam de *buxo*, & 28, 259 ubi *Cybeleia æra* declaramus.

209 *Leonibus* junctis vectam Cybelen passim videmus in nummis. Leo rex animalium terrestrium. *Turritam* coronam illius jam habuimus ad v. 179. cf. 24, 170.

213 Hic ergo aperitur *sententia*, quæ *sedisse* Jovi dicitur supra v. 121.

221 *Coge*, persuade: sed forte simul philosophatur, & indicat resisti non posse armis Veneris h.e. dolis. Illud *me quoque* leporem Alexandrinum habet, quo fatetur Jupiter, se muliercularium esse.

Me quoque ſæpe, ſoles. cur ultima regna quieſcunt?
Nulla ſit immunis regio, nullumque ſub umbris
Pectus inaccenſum Veneri. jam triſtis Erinnys
Sentiat ardores: Acheron, Ditiſque ſeveri
Ferrea laſcivis molleſcant corda ſagittis.„
Accelerat præcepta Venus: juſſuque parentis
Pallas, & inflexo quæ terret Mænala cornu,
Addunt ſe comites. Divino ſemita greſſu
Claruit. augurium qualis laturus iniquum
Præpes ſanguineo dilabitur igne cometes
Prodigiale rubens. non illum navita tuto,
Non impune vident populi: ſed crine minaci
Nunciat aut ratibus ventos, aut urbibus hoſtes.
Devenere locum, Cereris quo tecta nitebant
Cyclo-

222 infera *Cuj.* 224 corpus inaccenſum *Baſ. marg.* inaccenſum *ſcribi obſervat etiam Parrhaſ. & meliores ſic habere, monet Heinſ. qui laudat etiam* Sil. 1, 96 Inaccenſi flagrant altaribus ignes. 230 canduit *Baſ. marg. quod probat Heinſ.* in orbem *vulg.* 231 præceps -- delabitur *vulg.* 234 nubibus ignes *Baſ. marg.* 235 manebant, micabant, latebant *MSS.* virebant *Heinſ. 2 ut 5, 188.*

224 Utrum hoc dicatur cum relatione ad fabulam, in qua ſint amores Erinnyos, non dixerim. Virgines, ἀεὶ παρθένες Ἐρινύες, vocat Furias Sophocles Aiac. flagellif. v. 846. Sed *Orphne*, *Inter avernales haud ignotiſſima nymphas*, *Ex* Acheronte *ſuo furvis peperiſſe ſub antris* Aſcalaphum, memoratur Ovidio Met. 5, 539.

228 *Inflexo cornu* i. arcu, quem frequenter ita ſignant poëtæ, in venatione uti ſolitam Dianam, numini docent. Venari autem ſoler per *Mænala* etiam, Arcadiæ montana. Vid. 17, 390

231 *Cometen* hic etiam aperte intelligit meteoron non conſiſtens aliquantum, aut progreſſiones tardas, inſtar planetæ, habens: ſed tale cujus ſive *præceps* ſive *præpes* h. e. volucris lapſus, *delapſus* vel *dilapſus* obſervari uno velut momento poſſit. Hæc quidem in hoc loco. Stabiliorem videtur facere 17, 112, ſed meteoron tamen. Erat hæc tum communis fere ſententia, Stoicorum præſertim, cui tamen repugnare auſus eſt Seneca Q. N. 7. 22 *Non exiſtimo Cometen ſubitaneum ignem, ſed inter æterna opera naturæ:* & 23 *Cometes emetitur ſpatium ſuum, nec exſtinguitur, ſed excedit.* —— *Quid eſt, quare in aliqua parte cælum pervium non ſit?* —— *Cometes poteſt ſic totum habere circulum, ut in hunc* (ſigniferum) *tamen parte aliqua ſui incidat: quod fieri non eſt neceſſarium, ſed poteſt.* —— c. 25. *Per ſucceſſiones iſta longas explicabuntur. Veniet tempus, quo poſteri noſtri tam aperta nos neſciſſe mirentur.*

233 Illud *impune* declaramus ad 26, 243.

Cyclopum firmata manu. Stant ardua ferro
Mœnia; ferrati poſtes: immenſaque nectit
Clauſtra chalybs. nullum tanto ſudore Pyracmon,
Nec Steropes, conſtruxit opus: nec talibus unquam
Spiravere notis animæ: nec flumine tanto
Incoctum maduit laſſa fornace metallum.
Atria veſtit ebur: trabibus ſolidatur aënis
Culmen, & in celſas ſurgunt electra columnas.
Ipſa domum tenero mulcens Proſerpina cantu
Irrita texebat redituræ munera matri.

Hic

236 fabricata *MS. Cuj.* formata *MSS.* fundata *Parrhaſ.* 239 committit *MS.* *unde* commiſit *conj. Heinſ.* 240 flamine *MSS. Baſ. marg. Plant. marg.* flumine *tuetur Heinſ. hic & ad 26, 542.* 242 cingit *vulg.*

238 *Brontesque, Steropesque, & nudus membra Pyracmon* etiam apud Virg. Aen. 8, 425 *Ferrum exercebant vaſto Cyclopes in antro.*

240 *Noti* vehementes admodum venti: horum nomen tribuit iis qui Cyclopum follibus redduntur: quas hic *animas* vocari tanto minus mirabitur, cujus memoriæ obverſatur illud Hor. Car. 4, 12. 2 *Impellunt animæ lintea Thraciæ:* & de hac ipſa re Virg. Aen. 8, 403 *Quantum ignes animæque valent.*

241 *Maduit* non ea modo notione accipiendum, qua Virg. Ge. 1, 196 de ſiliquarum ſeminibus dicitur, *Et quamvis igni exiguo properata maderent*, i. coquendo mollia, cibo apta fierent, quod ſuadere videtur vox *incoctum*, ut 26, 542 *flammis mollitus & arte chalybs*: ſed plane ſignificat fluxit, ut ex adjecto nomine *flumine* apertum eſt, quod nomen pulchre tuetur Heinſius ex Aen. 8, 445 *fluit æs vinis*, & aliunde. *Laſſa fornax* videtur intelligi, cujus omnes impenſæ vires ſunt, ut nihil ea effici amplius poſſit: niſi tamen legendum ſit *laxa fornace* i. ampla, ut magna vis metalli ſic intelligatur. *Vaſta fornax* eſt apud Virg. l. c.

242 *Veſtit* commode dicitur de ebore in laminas ſecto, quibus teguntur & poliuntur non menſæ tantum, & lecti, & ſellæ curules, ſed etiam, ut hinc licet diſcere, parietes. *Solidatur culmen*, i. cum columnis & parietibus connectitur & firmatur.

243 *Electra*, quia columnarum materia eſſe debent, non intelligenda ſunt gemmea illa ſive ſuccina, ſed metalla.

244 *Mulcere* in hac formula eſt ſuavitate quadam & jucunditate implere, ut Virg. Aen. 7, 34 *volucres æthera cantu mulcent.* Sic Ovid. Faſt. 1, 155. Suavis cantus eſt velut titillatio quædam. Phyſice loquuntur poëtæ. Motus ille effector ſoni primo leniter impellit & movet aëra, ab hoc mulcetur auris

245 Vim adverbii *necquidquam* vel *fruſtra* ad verbum *texebat* adjungendi, exprimit epitheto ad *munera* adjecto. Texendi ars & labor, Minervæ inventum, itemque pingendi

Hic elementorum ſeriem ſedeſque paternas
Inſignibat acu: veterem qua lege tumultum
Diſcrevit Natura parens, & ſemina juſtis
Diſceſſere locis. Quidquid leve, fertur in altum:
In medium graviora cadunt: incanduit æther:
Egit flamma polum: fluxit mare: terra pependit.
Nec color unus ineſt. ſtellas accendit in auro,
Oſtro fundit aquas, attollit litora gemmis,
Filaque mentitos jam jam cælantia fluctus
Arte tument. Credas illidi cautibus algam,
Et raucum bibulis inſerpere murmur arenis.
Addit quinque plagas. Mediam ſubtemine rubro
Obſeſſam fervore notat. ſqualebat aduſtus
Limes, & aſſiduo ſitiebant ſtamina ſole.

Vitales

247 hic ſignabat *Cuj.* 248 juſſis *MS. recte.* 250 ruunt *MSS.* 251 legit *Claver.* 252 non *al.* erat *al.* 254 ſubter cæl. *vulg.* *Sed* jamjam curvantia *Baſ. marg.* jam jamque levantia *conj. Heinſ.* 255 alnos *Baſ. marg.* 258 inuſtus *MSS.*

pingendi acu, nec Deas nec Reginas dedecet. Speciatim Proſerpinam textricem jam fecerat Orpheus cujus rei etiam ſymbolicam rationem perſequitur Porphyrius de antro Nymphar. p. 118 pr. Barneſ. Παρὰ τῷ Ὀρφεῖ ἡ Κόρη, ἥπερ ἐστὶ παντὸς τοῦ σπειρομένου ἔφορος, ἱστουργοῦσα παραδίδοται κ. τ. λ.

246 *Elementorum ſeries*, primus ille velut actus Naturæ, quem deſcribit in Metamorphoſeon ingreſſu Ovidius, qui hic conferri debet

251 *Egit*, movit, circumegit *flamma* in ſtellas collecta *polum*, h. e. cælum ipſum, nomen poli a circumactu habere putatur. Sed blanditur valde altera lectio, *Legit* ſibi *flamma* ſedem & locum ſuum naturalem *polum*, ut Ovid Met. 1, 27 *Ignea vis -- Emicuit ſummaque locum ſibi legit in arce.*

253 *Oſtro fundit aquas*, quod *purpureum mare* dicunt poëtæ ut Virg. Georg. 4, 373. Homerus Ιλ. Π, 391 ἅλα πορφυρέην, & οἴνοπα πόντον Α, 350. Multum ex cæruleo qui maris color eſt, habet purpura & radii ſolis rubrum illi fulgorem conciliant repercuſſu. Sed an ſatis ex arte *litora gemmis extollit?* certe non illis lucidioribus, politis; niſi forte voluit rupes ſimulare pretioſas.

256 Ut picturam laudaturi dicunt, expectari vocem, metui impetum: ita noſter fingit, tantum non audire ſibi videri ſpectatores hujus telæ ſonum algæ cautibus illiſæ, murmur fluctuum in arenas irruentium.

257 *Plagas* dici, quæ alias Zonæ ſunt, res loquitur.

Vitales utrinque duas; quas mitis oberrat
Temperies, habitanda viris. tum fine ſupremo
Torpentes traxit geminas, brumaque perenni
Fœdat, & æterno contriſtat frigore telas.
Nec non & patrui pingit ſacraria Ditis,
Fataleſque ſibi Manes. Nec defuit omen.
Præſcia nam ſubitis maduerunt fletibus ora.
Cœperat & vitreis ſummo jam margine texti
Oceanum ſinuare vadis: ſed cardine verſo
Senſit adeſſe Deas, imperfectumque laborem
Deſerit, & niveos infecit purpura vultus
Per liquidas ſuccenſa genas: caſtæque pudoris
Illuxere faces. Non ſic decus ardet eburnum,
Lydia Sidonio quod femina tinxerit oſtro.
Merſerat unda diem. ſparſo nox humida ſomno
Languida

261 cum fine *MSS. & pri. editt.* etiam *Baſ. marg. & Clav.* 263 conſtringit *vulg.* contriſtat 264 fingit *Baſ. marg. & MS.* 268 ſimulare *Baſ. marg.* 269 cernit *al.* 270 deſinit *MS. vid. Heinſ. ad Ovid. Art. 2, 725.* 273 texuit *MSS.*

265 *Manes*, quibus reginam ſe fatis deſtinatam neſciebat, acu pingit, h. e. animas defunctorum: nam pingi poſſunt, quia videri, ut umbræ. In hac parte operis verſanti Proſerpinæ occulta quadam præſenſione ſortis ſuæ oboriuntur lacrimæ.

271 *Liquidas genas* intelligo inſtar aquæ puræ nulla macula, lentigine, callo, fuſcatas, adeo ut æquabiliter ſunderetur ille rubor, cujus celerem ortum & vehementiam ſignat vox *ſuccenſa*.

273 Homerica pictura, quam paſſim æmulati ſunt Romani. Il. Λ, 141 ſanguis de vulnere Menelai per femur manat, Ὡς ὅτε τίς τ' ἐλέφαντα γυνὴ Φοίνικι μιήνῃ Μηονὶς ἠὲ Κάειρα κ. τ. λ. Virg. Aen. 12, 67 pulcherrime hoc ad vultum erubeſcentis Laviniæ transtulit, *Cui plurimus ignem Subjecit rubor, & calefacta per ora cucurrit Indum ſanguineo veluti violaverit oſtro Si quis ebur &c.*

274 *Diem*, ſolem, diei effectorem. *Nox* perſona eſt, quæ bigis vehitur: juvencorum, ſi eadem Luna. Vid. infra ad 36, 403. it. Brouckh. ad Propert. 3, 19. 10, præſertim ad Tibulli 2, 1. 8. Imaginem exhibet Montf. Ant. 4, 1. 1. Modo illud addam, Ἀείρας, εὐκνήλοιο κατ' ἄντυγα Νυκτὸς ὀπαδὸς jam eſſe Theocriti 2 extr. Ad currum placidam comitantia ſidera noctem.

Languida cæruleis invexerat otia bigis.
Jamque viam Pluton ſuperas molitur ad auras
Germani monitu. Torvos inviſa jugales
Alecto temone ligat, qui paſcua mandunt
Cocyti, ſpatiiſque Erebi nigrantibus errant,
Stagnaque tranquillæ potantes marcida Lethes
Aegra ſoporatis ſpumant oblivia linguis.
Orphnæus crudele micans, Aethonque ſagitta
Ocior, & Stygii ſublimis gloria Nycteus
Armenti, Ditiſque nota ſignatus Alaſtor,
Stabant ante fores juncti, ſævumque fremebant
Craſtina venturæ ſpectantes gaudia prædæ.

276 Siculas -- arces *vulg.* ſuperas -- auras *etiam Baf. marg. Clav.*
279 pratisque *vulg.* *Sed* ſpatiis *etiam Vic. Vien. Parrhaſ.*
281 ſpirant *MS.* 283 crudelis *Parrhaſ. & Vien. marg.*
284 Alaſter *Vic.*

281 Quam diu ſunt apud inferos equi Plutonis, hic verſus in eos convenit. Aliter ſe gerunt *cum ſolem didicere pati* 35, 198. Naturam quidem illorum ſignant nomina.

282 *Orphnæus* a caligine dictus, quæ ὄρφνη eſt, αἴθων ardens, νυκτὸς a nocte dictus, ἀλάομαι nomen furiale, quaſi tu intolerabilem dicas.

286 Poteſt quidem *ſpectantes* idem ſignificare quod *exſpectantes*: ſed qui librariorum ingenia & morem in horum verborum confuſione norit, & cogitet, præcedere diphthongum æ; is facile in opinionem veniet, dediſſe hic poëtam *exſpectantes*.

XXXIV

CL. CLAUDIANI

IN LIBRUM II

DE RAPTU PROSERPINAE

AD

FLORENTINUM

PRAEFATIO

Otia ſopitis ageret cum cantibus Orpheus,
Neglectumque diu ſepoſuiſſet ebur;
Lugebant erepta ſibi ſolatia Nymphæ,
Lugebant dulces flumina mœſta modos.
Sæva feris natura redit, metuenſque leonum
Implorat citharæ vacca tacentis opem.
Illius & duri flevere ſilentia montes,
Silvaque Biſtoniam ſæpe ſecuta chelyn.

Sed

2 depoſuiſſet opus *ante Heinſ. niſi quod* ſepoſ. *etiam Claver.*
4 quærebant *Raphel. Janſ. Barth.* 7 eduri *Claver.*

Nihil habet hæc præfatio, quod cum argumento libri conjunctum ſit: niſi quod hoc voluit indicare, poſt librum primum de raptu Proſerpinæ, jacuiſſe opus, donec excitatus a Florentino ſuo poëta hunc alterum quoque librum proferret. Sed poteſt tamen ad quodcunque aliud opus ea accommodari. Summa, Orpheus cum cantum aliquamdiu intermiſiſſet, ad ſumendam denuo lyram ab Hercule excitatus eſt; auctor carminis a Florentino. Fuit ille Præfectus urbis A. 396. Quæ leges ad illum datæ ſint, enarrat Gothofr. in Proſopogr. Cod. Theod.

2 *Ebur* vel ad plectri ſive pectinis materiem refertur, de quo v. 15, vel ad laminas, quibus ipſa cithara ornata eſt.

5 Orpheus mitigaverat feras cantu: illo ceſſante *redit* feritas. Nemini non noti eſſe debent verſus Horat. A. P. 391 *Silveſtres hominēs* &c.

8 Quam v. 6 *citharam* dixerat, ea hic *chelys* ſ. teſtudo eſt, & v. 14 *lyra*. Et ita promiſcue hæc adhibentur a poëtis, ut diſcrimen adhuc conſtitui, quod ſciam, non potuerit. *Biſtonia* eſt Thracia, theatrum Orphei.

Sed poſtquam Inachiis Alcides miſſus ab Argis
Thracia pacifero contigit arva pede,
Diraque ſanguinei vertit præſepia Regis,
Et Diomedeos gramine pavit equos:
Tum patriæ feſto lætatus tempore vates
Deſuetæ repetit fila canora lyræ,
Et reſides levi modulatus pectine nervos
Pollice feſtino mobile duxit ebur.
Vix auditus erat: venti frenantur & undæ.
Pigrior adſtrictis torpuit Hebrus aquis.
Porrexit Rhodope ſitientes carmina rupes,
Excuſſit gelidas pronior Oſſa nives.
Ardua nudato deſcendit populus Aemo,
Et comitem quercum pinus amica trahit.

Cirrhæ-

9 oris *MS.* arvis *MSS.* 12 ſanguine *MSS. Baſ. marg.* 14 reparat *Baſ. marg.* 15 leni *ante Heinſ.* 16 feſtivo nobile *ante Heinſ.* 17 ſternuntur *ante Heinſ. niſi quod* frenantur *etiam Raphel.* 18 adfectis *Vet. ed. ap. Claver.* adſtrictis *tuetur auctoritatibus Heinſ.*

9 *Inachiis* eſt geographumenon, & docet ſitos eſſe ad flumen Inachum Argos.

12 De Diomedis equis v. ad 3, 254.

15 De *pectine* hic ponam, quod verſatus circa 10, 235 & 22, 172 ut denuo conſiderare poſſem hæc diſtuli, quodque tanto magis hic ponendum, cum videam, in theſauro negligentius hunc locum eſſe tractarum. Puto igitur pectinem eſſe inſtrumentum eburneum, aliquot dentibus inſtructum, adeoque crinali pectini ſimile, cujus ope poſſent tres quatuorve chordæ ſimul & fortius ſonantiusque, quam pulpa digitorum, tangi, pulſari, carpive, quoties, ut in clauſulis, pleniorem ſymphonian ſ. harmonian exprimere uno quaſi ictu citharista vellet. Fuiſſe illum pectinem pollici accommodatum, hic locus ſuadet. Res dubio forte careret, ſi exſtaret ſtatua Orphei, quam tempore Julii III P. M. inventam Romæ dicit Naſcimbænius ad Aen. 6, 647, quæ ſiniſtra manu citharam, dextra vero pectinem tenebat. In l. c. Virgilii Orpheus *Obloquitur numeris ſeptem diſcrimina vocum, Jamque eadem digitis, jam pectine pulſat eburno.* Fuerit itaque *pecten* plectri ſpecies: quæ vox etiam bacillos, malleolos, ungues adſciticios, comprehendere poteſt, quibus tangi chordæ potuere.

Cirrhæaſque Dei quamvis deſpexerit artes,
Orpheis laurus vocibus acta venit.
Securum blandi leporem fovere Moloſſi,
Vicinumque lupo præbuit agna latus.
Concordes varia ludunt cum tigride damæ,
Maſſylam cervi non timuere jubam.
Ille novercales ſtimulos actuſque canebat
Herculis, & forti monſtra ſubacta manu,
Qui timidæ matri preſſos oſtenderit angues,
Intrepiduſque fero riſerit ore puer.
Te neque Dictæas quatiens mugitibus urbes
Taurus, nec Stygii terruit ira canis:
Non leo ſidereos cæli rediturus ad axes,
Non Erymanthei gloria montis aper.

Solvis

24 vocibu' capta *Cuj.* 31 oſtenderis --- riſeris *malit Heinſ.* 32 feros *malit Barth. non ego.* 35 ſidereas -- arces *malit Burm. ad Ovid. amor.* 3, 10. 21.

23 *Laurus*, cum adhuc puella Daphne eſſet, artes muſicas Apollinis Cirrhæi (vid. 2, 2) deſpexit, qui fruſtra illi dixit Ovid. Met. 1, 518 *per me concordant carmina nervis:* ſed nunc tamen in arborem mutata, venit.

28 *Maſſyli* appellatione noſter quidquid Africanum eſt, ſignat. Nominatim provinciaMaſſylia leonum patria Martiali 8, 55.

29 Junonis, quæ noverca eſt Herculis, inſtinctu & auctoritate duris illis imperiis Herculem exercuit Euryſtheus Mycenarum rex.

31 *Angues* a Junone immiſſos Herculi in cunis jacenti, eliſit puer &c. Illud *fero ore* junctum & adtributum puero, pulchram habet phantaſian.

32 Hinc incipit Claudianus directa oratione referre poëma Orphicum.

33 *Dictææ urbes,* Cretenſes. Tauri hujus hiſtoriam dedimus ad 3, 289. Vid. infra 101, 119 ſq. De *Stygio cane*, Cerbero, ab inferis extracto, cujus de ſpuma aconitum natum ferebant, Ovid. Met. 7, 410.

35 *Siderei axes* ſunt ſtellæ, ut 17, 275. 35, 192. De uſu huius nominis apud noſtrum vid. ad 15, 458.

36 *Erymanthum* Arcadiæ ſaltum paſſim noſter celebrat: aprum hujus incolam in laboribus Herculis omnes referunt. Vid. hic 3, 286 it. 101, 103.

Solvis Amazonios cinctus, Stymphalidas arcu
Appetis, occiduo ducis ab orbe greges:
Tergeminique ducis numeroſos dejicis artus,
Et toties uno victor ab hoſte redis.
Non cadere Antæo, non creſcere profuit Hydræ:
Non cervam volucres eripuere pedes.
Caci flamma perit: rubuit Buſiride Nilus:
Proſtratis rubuit Nubigenis Pholoë.
Te Libyci ſtupuere ſinus: te maximus Atlas

39 numero tot *conj. Scal.* nervoſos, immenſos *MSS.* 42 non Neſſum *Baſ. marg.* 43 maduit *Raphel.* 45 timuere *vulg.* ſtupuere *etiam Baſ. marg.* maxima Tethys *Baſ. marg.* *utrumque meliores membranæ ap. Heinſ.*

37 *Amazon* illa Hippolyte, de qua 11, 35 it. 35, 64. *Stymphalides* ex deſcriptione Lucretii 5, 31 *uncis timendæ Unguibus Arcadiæ volucres, Stymphala colentes.* Mons, Lacus, Urbs nomen commune habent *Stymphalos*, *Stymphalum*, *Stymphala, orum.* Non aues prædatrices, numero & magnitudine terribiles, fuiſſe volunt quidam, ſed prædones.

38 Boues Geryonis ab Heſperia inde h. e. Hiſpania abducti per Italiam in Græciam. Fabula Romanis celebrata, quod in illo reditu ad Euandrum in Italia diverſiſſe, Cacum latronem interfeciſſe, cultum ſui inſtituiſſe, ferebatur. Vid. mox ad v. 43. Geryon ille porro vel Geryones tergeminus fingitur, ter vincendus, propter trium Inſularum, Balearidum duarum & Ebuſi, imperium. Totam expeditionem portentorum plenam narrat Apollod. Bibl. 2, 4. 10.

41 De *Antaeo* ad 3, 287 dictum: de *Hydra* 3, 290 Illa *Cerva*, in quam mutata fuerat Taygete, inter nobiliſſimos Herculis actus eſt, cum illam ad Hyperboreos uſque perſecutus ſit. Vid. Pind. Ol. 3, 50 & Schol.

43 *Caci* latronis ab Hercule interemti fabulam ſplendide narrat Virg. Aen. 8, 190: breviter Liv. 1, 7. Buſiris Aegypti tyrannus, de quo ad 18, 159, voluit etiam immolare Herculem: ſed hic ruptis vinculis ipſum interfecit. V. Apollod. Bibl. 2, 4. 11: verum negat Herodotus 2, 45.

44 *Nubigenæ* ſunt Centauri, e nube geniti, quam pro Junone Ixion amplexus eſt, Serv. ad Aen. 6, 286. Hygi. f. 62. Pugnam cum illis Herculis habet Apollod. l. c. §. 4. Pholoë mons & urbs Arcadiæ, ubi pugnatum eſt.

45 *Libyci ſinus* potuerunt *ſtupere* Herculem, vel ipſa *maxima Tethys*,

Horruit, impoſito cum premerere polo.
Firmior Herculea mundus cervice pependit:
Luſtrarunt humeros Phœbus & aſtra tuos.
Thracius hæc vates. Sed tu Tyrinthius alter,
Florentine, mihi: tu mea plectra moves,
Antraque Muſarum longo torpentia ſomno
Excutis, & placito ducis ab ore ſonos.

47 quievit *Cuj. pulchre ſane.* 52 placidus ducis in orbe choros *Baſ. marg.* placidos d. i. o. ch. *potiores ap. Heinſ. quos ſequitur.* placidos ducis ab ore ſonos *vulg.* placito *Clav. Raphel.*

Tethys, Oceanus, cum Heſperidum mala peteret, cum cervam illam perſequeretur, in primis vero cum vicem *Atlantis* ſubiens cælum humeris ſuſciperet, de qua re Apollod. l. c. §. 11.

52 *Excutis*, ut feræ in venatu e ſuis excutiuntur latibulis. *Excutere cubilibus feras* eſt Plin. Pan. 8, 1. *Ducis*, elicis ab ore meo, quod tibi placuiſſe oſtendiſti, a placita tibi facultate poëtica, *ſonos* novos nova carmina.

XXXV

CL. CLAUDIANI

DE

RAPTU PROSERPINAE

LIBER II

Impulit Ionios præmiſſo lumine fluctus
Nondum pura dies: tremulis vibravit in undis
Ardor, & errantes ludunt per cærula flammæ.
Jamque audax animi, fidæque oblita parentis,
Fraude Dionæa riguos Proſerpina ſaltus
(Sic Parcæ volvere) petit. ter cardine verſo

2 vibratur *MSS.* fibratur *ſphal. Baſ.* 6 juſſere *vulg.* volvere *etiam Baſ. marg.*

1 *Impelli* videntur fluctus, cum percutiuntur a radiis: & videtur alioqui noſter non alienus ab ea ſententia, quæ motum Telluris a Sole ſuſpendit. vid. ad 1, 1 & conf. 26, 236. *Præmiſſum lumen* eſt, quum Solis ipſum corpus adhuc infra horizonta noſtrum eſt, & tamen in fluctibus maris, ſplendor aliquis obſervatur, luci a Sole ſimilis. *Vibrare* intranſitivum eſt, ut *movet terra* e. i. g. a. Vid. Da. Heinſ. ad illud Sil. 1, 539 *Ultrix injuſti vibravit lancea belli.* & Drackenb. ad 4, 156.

3 Hoc phænomenon, quod *errantes flammæ ludunt per cærula*, cauſam eſſe puto, cur *purpureum mare*, πορφύρεον κῦμα, θάλασσαν πορφυρόεσσαν, ἅλα μαρμαρέην, dixerint: cum hoc Claudiani verſu commode poſſit enunciari quod paſſim de purpura memorant. V.G.Plin. 9, 38 *Laus* purpuræ *ſumma, in colore ſanguinis concreti, nigricans adſpectu, idemque in ſuſpectu refulgens.* Fluctus maris nigricantes, obſcuri certe & cærulei, in ipſo motu etiam ſplendidum, lucidum, & pene igneum fulgorem ſpargere ſolent. Etiam auroræ colorem reflexum a mari obſervari poſſe, colligas ex iis, quæ diſputat in Hiſtoria Maris Phyſica Marſilius Comes p. 20 ed. Gallicæ.

6 (*Sic Parcæ volvere*) Parentheſis ſimilis Homericæ principii Iliadis, Διὸς δ' ἐτελείετο βουλή. Dictio ſimilis Virgilianæ Aen. 1, 22 *Sic volvere Parcae.*

Præſagum cecinere fores. ter conſcia fati
Flebile terrificis gemuit mugitibus Henna.
Nullis illa tamen monſtris, nulloque tenetur
Prodigio. Comites greſſum junxere ſorores.
Prima dolo gaudens, & tanti callida voti,
It Venus, & raptus metitur corde futuros,
Jam durum flexura Chaos, jam, Dite ſubacto,
Ingenti famulos Manes ductura triumpho.
Illi multifidos crinis ſinuatur in orbes
Idalia diviſus acu. ſudata marito
Fibula purpureos gemma ſuſpendit amictus.
Candida Parrhaſii poſt hanc regina Lycæi,
Et Pandionias quæ cuſpide protegit arces,
Utraque virgo, ruunt: hæc triſtibus aſpera bellis;
Hæc metuenda feris. Tritonia caſſide fulva
Cælatum

7 præſagium *MSS.* 8 Aetna *editi. Sed* Henna *MSS. optt. Vid. ad* 33, 122. 11 conſcia furti *vulg.* tanto c. voto *MSS.* cauti callida voti *ſuſp. Heinſ. conf.* 24, 120. 13 domitura *Baſ. marg.* læſura *Cuj.*

7 *Ter* illud repetitum indicat non temere aut naturali quadam ratione accidiſſe, ſed conſilio Dei vel Deæ alicujus. Januæ alias bene politæ, cum crepitu & velut gemitu quodam repetito apertæ, malum omen. Qui alia omina januarum diligenter collegit, hac de re tacet Sagitt. de januis Vett. 35, 15 p. 268 ſq.

10 Cauſa indicatur, quod mota non eſt prodigiis Proſerpina: Venus, Diana, Minerva illam comitantur.

13 *Chaos* eſſe ipſos inferos, dictum ad 5, 525.

14 Proponit poëta Chaos, inferos, tanquam magnam aliquam *familiam*, in qua herum, Ditem, ſequantur ducti in triumpho Veneris *famuli Manes*, defunctorum animæ.

16 Jam pingit cultum quatuor Dearum: primum Veneris, cujus ſimplex eſt ornatus. De *Idalia acu* vid. 14, 1. De *ſudata fibula marito* illius Vulcano, ad 24, 94. Illud *ſuſpendit* ita intelligo, ut in dextro humero, vel in ſummo pectore adeo duæ velut alæ amictus vel pallæ fibula connexæ fuerint, quæ inde pendere viderentur.

18 Dianæ deſcriptio, quæ venari per Arcadiæ montes ſoleret. Vid. ad 21, 181.

19 *Pandionia* a Pandione Erechthei F. Philomelæ & Prognes patre, rege Athenarum, ſolent poëtæ Attica omnia vocare Pandionia. Sic noſter 8, 508 it. 15, 406. Minerva, Ἀθήνη, nominatim ἀκροπόλις, cui & Athenarum & aliæ arces ſacræ.

21 *Tritoniam* vocare Pallada, noſtro in primis frequens. Nominis rationem obſcuravit ſedula Grammaticorum ſubtilitas. Placet Geographicum & hoc epitheton

Cælatum Typhona gerit, qui, ſumma peremtus,
Ima parte viget, moriens & parte ſuperſtes.
Haſtaque terribili ſurgens per nubila gyro
Inſtar habet ſilvæ. Tantum ſtridentia colla
Gorgonos obtentu pallæ fulgentis inumbrat.
At Triviæ lenis ſpecies, & multus in ore
Frater erat, Phœbique genas & lumina Phœbi
Eſſe putes, ſolusque dabat diſcrimina ſexus.
Brachia nuda nitent: levibus projecerat auris
Indociles errare comas, arcuque remiſſo
Otia nervus agit. pendent poſt terga ſagittæ.
Criſpatur gemino veſtis Gortynia cinctu
Poplite fuſa tenus, motoque in ſtamine Delos

23 in parte *MSS.* partimque *conj. Heinſ.* 24 ferro *Baſ. marg.* 26 obtectu *Parrhaſ.* obumbrat *al.* 29 facit *MSS.* dabat *auctoritatibus aliorum firmat Heinſ.*

ton eſſe ab amne & lacu Tritonis in Libyæ regione Syrtica, cujus rationis auctor ipſe Herodotus 4, 178 coll. 180.

22 *Typhœa* hic, de gigantibus unum, ita cælatum ait, ut quantum ad *ſumma* mortuus videatur, *ima parte*, quod ad pedes anguium formam habentes, ut nihil eſt ſerpentium genere vividius, *vigeat*, *moriens* ſimul, & tamen ſui *parte* adhuc *ſuperſtes*: nempe angues illi adhuc ſinuabantur ſua in volumina.

24 Obſervemus, de viva Dea, non de imagine, loqui poëtam. Itaque *gyrus* ille *terribilis* a quo nomen inveniſſe creditur (πάλλειν enim vibrare eſt) peteſt cogitari quomodo *inſtar ſilvæ* habeat, multiplicatur enim ab illo celeri circumactu haſta, & non unam arborem, ſed ſilvam exhibet: ut pruna in tenebris circumacta circulum ignitum refert.

25 In pectore gerit Minerva caput Gorgonis Meduſæ, ſerpentibus crinitum, qui ſerpentes etiam circa pectus Deæ in quibusdam antiquis imaginibus videntur repere. Hæc ſtridentia & ſibilantia, tanquam viva colla Gorgonis, ne forte Proſerpinam terreat, palla tegit.

27 *Triviæ* ſ. Dianæ in vultu erat multa ſimilitudo fratris ſui, pulchri Apollinis &c.

31 *Indociles comæ*, quæ non coluntur, flectuntur, ſed ſuum ſibi ingenium ſervant: ut contra ap. Hor. A. P. 66 eſt *Amnis Doctus iter melius.*

33 *Gortynia veſtis*, Cretenſis, in qua inſula ob venandi ſtudium arcus & ſagittæ optimæ. De Diana Cretenſi dictum ad 24, 248. De *gemino cinctu* ad 24, 247. Add. Spanh. ad Callim. H. in Dian. v. 11 p. 134 ubi ſunt nummorum imagines hunc cinctum exhibentes.

34 *Stamen* videtur, Synecdoche quadam ſignificare totam veſtem Dianæ, ut 18, 304, in qua partus ipſius argumentum intextum indicatur.

Errat, & aurato trahitur circumflua ponto.
Quas inter Cereris proles, nunc gloria matris,
Mox dolor, æquali tendit per gramina paſſu,
Nec membris nec honore minor; potuitque videri
Pallas, ſi clipeum, ſi ferret ſpicula, Phœbe.
Collectæ tereti nodantur jaſpide veſtes.
Pectinis ingenio numquam felicior arti
Contigit eventus. nullæ ſic conſona telæ
Fila, nec in tantum veri duxere figuram.
Hic Hyperionio Solem de ſemine naſci
Fecerat, & pariter, ſed forma diſpare, Lunam,
Auroræ noctiſque duces. cunabula Tethys
Præbet, & infantes gremio ſolatur anhelos,
Cæruleuſque ſinus roſeis radiatur alumnis.

Invalidum

36 gaudia *Cuj.* 39 clipeum ferret, ſi *al.* 40 nectuntur *Cuj. commodius.* 42 nulli *vulg.* 43 figuras *MSS.* 45 Lunam ſed diſpare forma *vulg.* 46 vices *Baſ. marg.* 47 anili *placet Heinſ.*

dicatur. Dum incedit Dea & movet ſe, Delus in veſte filis aureis picta videtur errare & fluctuare quam fingunt nempe poëtæ illius naturam ac ſortem fuiſſe, antequam Latonam parturientem excepiſſet.

38 *Honor* credo hic eſt pulchritudo, a quo dicuntur honeſti, nomine adeo a primaria illa honoris notione diſcedente, ut *aſinos* etiam *honeſtos* dicere Varro nihil dubitarit.

39 Etiam hunc verſum de clipeo Minervæ pulchre illuſtrat Spanh. in Callim. H. in Pallad. v. 44 p. 576.

40 *Teres jaſpis* itaque fuiſſe ponitur pars fibulæ.

41 Laudare vult veſtem Proſerpinæ, *Arti pectinis*, inquit. h. e. texendi, nunquam ingenio & peritia artificis *Contigit eventus felicior.* Noſtri dicerent, *Nie iſt der Kunſt durch Hülfe des Genie ein Stück beſſer gerathen.*

44 Hic igitur *Hyperion* (quem Cæli ac Terræ filium faciunt) Solis & Lunæ pater ponitur, quos ex Theia ſuſcepiſſe volunt. Vid. Apollod. Bibl 1, 1. 3 &, 1, 2. 2. Sumtum utrumque ex Heſiodi Theog. 371.

46 *Tethys* ſoror eſt Hyperionis Heſiod. Theog. v. 136 atque adeo amita horum parvorum, cui nutricatus ille convenit. Eſt autem conſtanti mytho Tethys mare. Quam venuſte igitur, & vere Alexandrino lepore, pingit poëta Tethyn ſolantem *infantes* Solem & Lunam *anhelos* a curſu, ſuo *gremio*? Quid notius, quam refrigerari, requieſcere Solem & ſidera in mari? Quam pictorium *cæruleum* illius *ſinum radiari roſeis alumnis* & a matre rubentibus & ab igne?

Invalidum dextro portat Titana lacerto
Nondum luce gravem, nec pubeſcentibus alte
Criſtatum radiis. Primo clementior ævo
Fingitur, & tenerum vagitu deſpuit ignem.
Læva parte ſoror vitrei libamina potat
Uberis, & parvo ſignatur tempora cornu.
Tali luxuriat cultu. comitantur euntem
Naïdes, & ſocia ſtipant utrinque corona,
Quæ fontes Criniſe tuos, & ſaxa rotantem
Pantagiam, nomenque Gelan qui præbuit urbi,
Concelebrant: quas pigra vado Camerina paluſtri,

54 ſignantur *vulg.* 56 Najades *vulg.* caterva *Baſ. marg.* 57 Crimniſe *vulg. Sed* Eraſine *Baſ. marg. Vic. & Vien.* Crimiſus, Cruniſus *al.* 59 Camarina *al.*

49 *Titan* eſt Sol genere. Pater enim illius Hyperion Titanum unus. V. Apollod. 1, 1. 3.

50 *Nondum luce gravem*, moleſtum, intolerabilem. *Criſtæ* ornamentum capitis, radii.

53 *Vitreum* uber Tethyos: is enim maris color eſt, ex viridi & cæruleo miſtus.

54 *Parvum cornu*, Luna corniculata, nova, perpetuum Dianæ inſigne & δεῖγμα.

55 *Luxuriat* honeſtum hic verbum eſſe debet, ut *poſtes ſuperbi*, & ſimilia. Quæ enim veſtis Proſerpinæ nimis ſumtuoſa eſſe poteſt?

56 *Naides* legendum etiam ideo, quod *Naiades* quadriſyllabum eſſet, monet Heinſius. Cetera per hanc occaſionem lacus & flumina Siciliæ nos docet Poëta. Fundus quaſi omnis doctrinæ hiſtoria, hiſtoriæ Geographia: hanc propinant & vel non ſentientibus inſinuant Poëtæ, ut quisque maxime Patrem Homerum ſequitur. Nos hic etiam breviter indicamus, quæ verbis poëtæ declarandis neceſſaria videntur. Diſputationem accuratiorem requirentes ad præſtantiſſimi Cluverii Siciliam & Cellarianam Orbis antiqui notitiam ablegantes.

57 De *Criniſo* hoc tantum monemus, eundem fluvium videri Cluverio ac Cellario, qui *Crimeſus*, *Criniſſus*, *Crimiſus*, *Criniſus* in diverſis ſcriptoribus vocatur. Plus etiam varietatis annotavit, *Criniſum* vero hic & apud Virg. Aen. 5, 38 probavit, Heinſius.

58 Vibius Sequ. de Flumin. p. 68 *Pantagias Siciliæ ita dictus, quod ſonitus ejus decurrentis per totam inſulam auditus eſt usque eo, donec Ceres quærens filiam comprimeret eum.* Cf. Bochartus Can. 1, 38 p. 592. De *Gela* plane eodem modo Virg. Aen. 3, 702 *Immaniſque Gela, fluvii cognomine dicta.* Sil. 14, 218 *Venit ab amne trahens nomen Gela*, h. e. Gelenſes, vel Geloi *venerunt.*

59 Etiam *Camerina* (Græcis Καμαρίνη) palus, urbi vicinæ nomen dat. Nobilis eſt proverbio, cui ortum dedit, ſi Servium audimus ad Aen. 3, 701 oraculum, Μὴ κίνει Καμαρίναν, ἀκίνητος γὰρ ἀμείνων·

Quas Arethuſæi latices, quas advena nutrit
Alpheus. Cyane totum ſupereminet agmen.
Qualis Amazonidum peltis exultat aduncis
Pulcra cohors, quoties Arcton populata virago
Hippolyte niveas ducit poſt prælia turmas;
Seu flavos ſtravere Getas, ſeu forte rigentem
Thermodontiaca Tanain fregere ſecuri.
Aut quales referunt Baccho ſolennia Nymphæ
Mæoniæ, quas Hermus alit, ripaſque paternas
Percurrunt auro madidæ; lætatur in antro
Amnis, & undantem declinat prodigus urnam.
Viderat herboſo ſacrum de vertice vulgus
Henna parens florum, curvaque in valle ſedentem
Compellat

62 ademtis *vulg.* aduncis *Raph. Barth. Heinſ.* 66 Thermodoont. *al. male.* V.N. 69 circueunt *MS.* gravidæ *MSS.* gravidas *Raph.* 72 Aetna *ante Heinſ.*

ἀμείνων· quo contento, peſtilentiæ auertendæ cauſa cum eam exſiccaſſent, per eam partem hoſtes ingreſſi ſunt.

60 *Arethuſa*, fons prope Syracuſas, in quem per ſubterraneos meatus exire putabatur Alpheus Elidis fluvius, amator quondam nymphæ Arethuſæ. Vid. ad 4, 9. Totam fabulam narrat more ſuo ex ipſius perſona Arethuſæ Ovid. Met. 5, 572 ſqq. Recentiores poëtas Guarinum Italum, & noſtrum Lohenſteinium, taceo.

61 *Cyanes* in fontem mutatæ, cum obſiſtere vellet raptori Plutoni, fabula eſt Ovid. Met. 5, 412.

62 De *peltæ* Amazoniæ figura multum diſputatum eſt. Vid. Pe. Petiti diſſ. c. 25 & 26. Quæ ibi ex nummis aliisque monimentis exhibentur figuræ, *aduncarum* epitheton pulchre his convenire oſtendunt. *Securis* etiam Amazoniæ figuram ibidem licet cognoſcere.

64 De *Hippolyte* hac ad 11, 35 dictum eſt: ſignat illam noſter etiam 34, 37.

66 *Thermodon* Θερμώδων, fluvius, qui in Pontum Euxinum exoneratur, patriam Amazonum alluit, ut idem fere ſit *Thermodontiacus* quod Amazonius. Etiam hic locus γεωγραφούμενος eſt, cum expeditionis modum quaſi depingat a Thermodonte ad Tanain, hujus autem glaciei mentionem injiciat, quam frangunt, ut videtur, Amazones ne impediat ratium trajectum, cum pedeſtri itineri firmum ſatis pontem præbere non poſſit.

67 *Bacchus* ſacra *Mæonia*, h. e. Lydia & Hermus. Vid. ad 24, 227.

70 ita pinguntur paſſim a noſtro etiam fluvii ut Tiberinus pater 1, 213, Rhenus 3, 133, Pactolus 20, 172.

72 *Henna eſt loco præcelſo atque edito, quo in ſummo eſt æquata agri planities, & aquæ perennes —— quam circa --- lætiſſimi flores omni tempore anni, locus ipſe ut raptum virginis --- declarare videatur. Et-enim propter eſt ſpelunca. --- infinita al-*

Compellat Zephyrum: „*Pater o gratiſſime veris,*
Qui mea laſcivo regnas per prata meatu
Semper, & aſſiduis irroras flatibus annum,
Reſpice Nympharum cœtus, & celſa Tonantis
Germina, per noſtros dignantia ludere campos.
Nunc adſis faveaſque, precor: nunc omnia fetu
Pubeſcant virgulta velis, ut fertilis Hybla
Invideat, vincique ſuos non abnuat Hortos.
Quidquid turiferis ſpirat Panchaïa ſilvis,
Quidquid odoratus longe blanditur Hydaſpes,
Quidquid ab extremis ales longæva Sabæis
Colligit, optato repetens exordia buſto,
In venas diſperge meas, & flamine largo
Rura fove, merear divino pollice carpi,
Et noſtris cupiant ornari numina ſertis.„

Dixerat.

74 volatu *vulg.* meatu *auctoritate etiam aliorum firmat Heinſ.* 78 flatu P. v. tuo, ut hic *Cuj.* 79 virg. novo, nunc *MS.* 81 floriferis, roriferis *MS.* 82 large *MS.* 83 externis -- colonis *vulg.* extremis Sabæis *etiam Baſ. marg.* 84 optati referens ex. ſæcli *vulg.* renovans *Cuj.* optato rep. ex. buſto *Baſ. marg. pro* buſto, partu, fato, ſæclo *MSS.* leto *conj. Heinſ.* 85 in terras *Cuj.* experge *MS. ap. Burm. ad Aen.* 3, 625. 86 ut merear *al.* 87 foveant *MS. unde* faveant *vel* voveant *conj. Heinſ.*

altitudine, qua Ditem patrem ferunt repente cum curru exſtitiſſe. Hæc & plura Cic. Verr. 4, 48. De orthographia vid. ad 33, 122.

75 *Annum* totum hic *irrorat*, humectat & florum fertilem facit Zephyrus; in aliis orbis terrarum partibus modo ver exornat.

79 *Pubeſcere* dicuntur homines, quo tempore ſigna maturi ad generandum corporis exiſtunt: quod pulchre hic & ſolenni optimis poëtis Metaphora ad florem plantarum transfertur, quas *virgultorum* nomine videtur comprehendere. *Hyblam* Atticæ montem florum feracem eſſe, mel Hyblæum ſatis indicat. De *Panchaia* dictum ad 7, 210.

82 *Odoratus Hydaſpes* propter aromata, quæ ex India petebantur, forte Medicas etiam arbores habuit. Hic eſt *Indus odor* 45, 98.

83 *Ales longæva*, Phœnix, quæ poſt mille vitæ annos de turis ſurculis ſibi rogum facit &c. Habebimus enim n. 44 totum de Phœnice carmen. Ne de Lactantiano Phœnice dicam.

86 *Merear* poteſt illud quidem, pro uſu ætatis hujus & paullo ſuperioris, etiam ſignificare contingat mihi. Sed licet quoque naturali illo verbi intellectu hic ſumere, ita: tuo, o Zephyre, beneficio digna fiam, ut divino pollice carpar. Cui rex honorem tribuit, ille jam meretur aliorum reverentiam, & ſuo jure poteſt exigere.

Dixerat. Ille novo madidantes nectare pennas
Concutit, & glebas fecundo rore maritat,
Quaque volat, vernus ſequitur rubor. omnis in herbas
Turget humus, medioque patent convexa ſereno:
Sanguineo ſplendore roſas, vaccinia nigro
Induit, & dulci violas ferrugine pingit.
Parthica quæ tantis variantur cingula gemmis
Regales vinctura ſinus? quæ vellera tantum

Ditibus

90 color *al.* rubor *etiam Baſ. marg.* 91 madidoque *MS. quod merito placebat Heinſio.* 93 imbuit *Ald. & Baſ. marg. Claver.* Induit *etiam aliunde adfert Heinſ.* 94 *pro* gemmis, donis *Vien. marg. Baſ. marg.* 95 junctura *al.*

88 *Novum nectar*, quod ſubinde ſcaturit, eo, quod adhæſerat prius, conſumto.

89 *Maritat*, verecunda phraſi, maritali ſemine fecundat. De Favonio, qui eſt ipſe Zephyrus, Plin. 16, 25 pr. *Hoc maritantur viveſcentia e terra.* Et 13, 4 ſ. 7 de palma mare *Afflatu viſuque ipſo & pulvere etiam reliquas maritare.*

90 *Vernus rubor* vividum omnis generis ac lucidum colorem notat. Vid. quæ diximus ad 29, 7.

91 *Convexa* noſter pro cælo ſolet ponere fere perpetuo. V. G. 5, 454. *Patet* autem cælum, cum non eſt obtextum vel obtectum nubibus. Virg. Ae. 1, 155 *cælum apertum* interpretatur *ſerenum* Servius. Utrumque jungit noſter: in Hennenſi regione, inquit, *patent convexa* cæli, ut *medium* ſit *ſerenum*, cum in vicinia circum circa nubibus omnia obſcurentur. Hæc utcunque intelligere mihi videor: ſed multo tamen magis arridet illud *madidoque*: quod acutum merito viſum eſt Heinſio. *Madidum ſerenum*, cum ſudo licet cælo tamen non marcent viridia, ſed a madore vigent olentque. Sic *imbres ſerenos* a Nilo tribuit Aegypto noſter 47, 5.

92 *Sanguineum ſplendorem* intelligamus, non effuſi ſanguinis ſ. cruoris colorem, ſed fuſi per genas puellares.

93 *Violas* itaque non minus, quam Virgilii *hyacinthos* Ge. 4, 183 *ferrugineas* licet dicere: non ferruginis illum ex nigro robeum colorem habentes, ſed ferri poliri, & a lento calore temperati cæruleum. Non. 16, 7 *Vere ferrugineus color cæruleus eſt.* Sic infra 275 *ferrugineus* Plutonis *amictus* eſt.

94 *Cingula bacis aſpera* etiam hic vidimus 22, 88. Sed de Parthorum ſ. Perſarum gemmatis cingulis inſignis locus eſt Tertull. de habitu muliebri c. 7 ad quem multa collegit Lacerda. Etiam in equorum Zonis ſ. cingulis quanta fuerit luxuries, apparet ex noſtri epigrammatis, quæ habentur n. 70. 71. 73.

95 *Sinus* veſtium, & ſtolæ fluentis præſertim intelligo. Hos enim efficit cinctus. Hinc Cic. ad Q. Frat. 2, 13 pr. *Mihi, crede, in ſinu eſt, neque ego diſcingor*, nempe ut excidere poſſit facile. Diſputavi hac de re ad Quinctil. 11, 3, 140.

Ditibus Aſſyrii ſpumis fucantur aëni?
Non tales volucer pandit Junonius alas.
Nec ſic innumeros arcu mutante colores
Incipiens redimitur hiems, cum tramite flexo
Semita diſcretis interviret humida nimbis.
Forma loci ſuperat flores: curvata tumore
Parvo planities, & mollibus edita clivis
Creverat in collem. vivo de pumice fontes
Roſcida mobilibus lambebant gramina rivis.
Silvaque torrentes ramorum frigore ſoles
Temperat, & medio brumam ſibi vindicat æſtu.

Apta

96 fuſcantur *vulg.* fucantur *Vic. Parrhaſ. Vien. Heinſ.* 97 volucris Junonia pennas *ante Claver.* 99 picto *Baſ. marg.* 102 prono *MS.* 103 niveo de pum. *primæ editt.* 106 modico *vulg. Sed* medio *jam Baſ. marg.*

96 *Aſſyrium* pro Syrio dicere ſolent poëtæ: Syriæ autem adjudicare Phœnicen ac Tyrum. Eſt itaque ſermo hic de purpura Tyria. Verbum *fucare* eo magis huc convenit, quod *fuco* parabatur lana ad accipiendum pretioſum colorem purpuræ. Dixi hac de re ad 3, 207. Uſum verbi hic illuſtrat Heinſius.

99 *Hiemem* h. e. tempeſtatem pluvioſam, perſonam facit, coronatam arcu cæleſti ſ. iride, quæ apud nos frequentius ſequi ſolet, niſi fallor, quam denunciare pluviam. Sed ſic etiam Virg. Ge. 1, 380, ad quem locum alludens Seneca Q. N. 1, 6 *Et bibit ingens Arcus, ut ait Virgilius noſter, cum advehitur imber.* Vere Plin. 2, 59 *Ne pluvios quidem aut ſerenos dies cum fide portendunt.*

100 Quod *Semitam* vocat, eſt ex Poëtica illa proſopopœia, ubi Iridis cælitus miſſæ viam arcu illo, vel fragmentis arcus ſignari, fingunt, ut 36, 3; ut Virg. Aen. 5, 609 *Illa viam celerans per mille coloribus arcum.* Obſervo ab antiquis Irin ſemper perſonam eſſe, nec Senecam nec Plinium cum φυσιολογῶσιν alio quam *arcus* nomine uti. Apulejus forte primus eſt, qui Philoſophis hoc nomen commendavit.

103 *Vivum pumicem* quod vocat, indicare videtur, ſe non proprie dictum, ſed ſimilem pumicis poris ac fiſtulis tophum intelligere: niſi tamen Siciliæ illud ſolum hanc ſubiiſſe vicem dicamus, ut quæ ſaxa primum in pumicem uſta fuiſſent, ea deinde aqua ſubiret. Pulchre jungit Ovid. Faſt. 2, 315 *Antra ſubit tophis laqueataque pumice vivo*, & in ſpeluncæ deſcriptione Met. 3, 159 *Natura - pumice vivo Et levibus tophis nativum duxerat arcum.*

106 *Brumam* dicere pro frigore modico durum eſt, & poëtæ noſtro relinquendum, cum præſertim *bruma* non tam frigidam aëris conſtitutionem ſignificet, quam diem *breviſſimam*, quod nomen in *breumam* vel *brumam* contrahi videtur eo fere modo, ut *inſimus* vel *intimus* in *imum* &c.

Apta fretis abies, bellis accommoda cornus,
Quercus amica Jovi, tumulos tectura cupressus,
Ilex plena favis, venturi præscia laurus.
Fluctuat hic denso crispata cacumine buxus,
Hic ederæ serpunt, hic pampinus induit ulmos.
Haud procul inde lacus (Pergum dixere Sicani)
Panditur, & nemorum frondoso margine cinctus
Vicinis pallescit aquis. admittit in altum
Cernentes oculos, & late pervius humor
Ducit inoffensos liquido sub gurgite visus,
Imaque perspicui prodit secreta profundi.
Huc elapsa cohors gaudent per florea rura.
Hortatur Cytherea legant. „*Nunc ite, sorores,*
Dum matutinis præsudat solibus aër:
Dum meus humectat flaventes Lucifer agros,

Roranti

118 gaudet *vulg.*

107 Ingeniosa brevitate arborum aliquot usum solennem et pene proprium signat, *abies* navibus, *cornus* hastis apta, *quercus* Jovi sacra, antiqua nutrix hominum, *cupressus* funera indicabat, in *ilice* mellificare solent apes, *laurus* Delphico oraculo sacrata.

110 *Crispantur* rami buxi, & in se invicem inflectuntur, implicanturque: *serpunt hederæ* Virgilio etiam ecl. 8, 13, & ipsi naturæ: *induit* pulchre, ut vestit, circumdat.

112 Operæ pretium est conferre Ciceronianam Hennæ descriptionem, cujus locum indicavimus, & retulimus particulam ad v. 72. *Pergus* lacus describitur suavissime ab Ovid. Met. 5, 385 sq.

114 *Vicinis* margini *aquis pallescit* lacus h. e. viridescit ab repercussa viridium umbra: quæ res tamen non impedit, quo minus per profundam satis aquam ad ipsum fundum lacus penetrare possint oculi. Habet talem lacum vicinia nostra h. e. fontem liquidissimæ saluberrimæque aquæ, ita copiosum, ut emittat statim rivum *molæ Rósarum* (sic enim vocatur) pluribus rotis impellendis idoneum.

120 *Præsudat aër solibus* h. e. ante æstum solis auctum adhuc roscidus h. e. humidus & subfrigidus est.

121 *Luciferum* recte Venus vocat suum: est enim idem, *Quem Venus ante alios astrorum diligit ignes*, ut canit Virg. Aen. 8, 590, *Quem Venus illustri gaudet producere cælo*, Val. Fl. 6, 528. Observemus obiter, antiquissimos non recto casu, Saturnum, Jovem, Venerem dixisse Planetas, sed illos adsignasse his DIs. V. G. Aristoteles de Mundo c. 2 Ὁ στίλβων ὃν ἱερὸν Ἑρμῶ καλῶσιν --- ὁ τῶ φωσφόρω (κύκλος) ὃν Ἀφροδίτης -- προσαγορεύωσιν. Cic. de N.D. 2, 20 *Stella Veneris, quæ* φωσφόρος *Græce,*

Roranti prævectus equo.„ Sic fata, doloris
Carpit ſigna ſui. Varios tum cætera ſaltus
Invaſere cohors. Credas examina fundi
Hyblæum raptura thymum, cum cerea reges
Caſtra movent, fagique cava demiſſus ab alvo
Mellifer electis exercitus obſtrepit herbis.
Pratorum ſpoliatur honos. Hæc lilia fuſcis
Intexit violis: hanc mollis amaracus ornat:
Hæc graditur ſtellata roſis; hæc alba liguſtris.
Te quoque flebilibus mœrens, Hyacinthe, figuris,
Narciſſumque metunt, nunc inclita germina veris,
Præſtantes olim pueros. tu natus Amyclis:
Hunc Helicon genuit. te diſci perculit error:

Hunc

122 provectus *al.* prævectus *firmat etiam aliunde Heinſ.* cruoris *MSS.* doloris *in omnibus MSS. eſſe contra Politianum tuetur Parrhaſ.* 125 carptura *Cuj.* 132 gramina *vulg.* germina *jam Baſ. marg. it. Plant. marg.*

ee, *Lucifer Latine dicitur, cum antegreditur Solem, cum ſubſequitur autem, Heſperos.* Recte igitur diſtinguunt Poëtæ Deam a ſuo ſidere: recte apud Silium 7, 639 *Oceani renovatus Lucifer unda Laudatur Veneri*, recte 12, 247 eodem ſenſu 12, 247 *Cythereius ignis — ſe ſe Veneri jactat.*

122 *Equus rorans* pulchre tribuitur Lucifero, quod mane, ſereno cælo ros exſiſtit. *Signa doloris* Veneris ſunt anemonæ ex ſanguine Adonidis ab illa excitatæ. Vid. Ovid. Met. 10, 728. Nam fabula de roſa e ſanguine ipſius Veneris nata, quæ pedem ſpinis induerat, forte recentior eſt: certe antiquior illius auctor Aphthonio Prog. 2 non laudatus a Politiano Miſc. c. 11.

131 *Hyacinthi* & *Narciſſi* fabulas, quia communia quædam habent, venuſte ſibi invicem innectit. Ille in luſu diſci cum Apolline amatore ſuo eliſus; hic, poſt contemtum Echus amorem, ſuæ imaginis in fonte viſæ amore contabeſcens periit: uterque in florem ſui nominis mutatus eſt. Hyacinthi fabulam narrat Ovid. Met. 10, 163, Narciſſi 3, 339.

133 *Amyclis*, Laconica urbe, natum facit Hyacinthum noſter: alii Amyclæ, conditoris Amyclarum filium. Sed & alia hic multa, ut ſolet, diſſenſio, de qua eſt erudita diſputatio Burmanni ad l. c. cui addi poteſt, a Colutho p. 82 in Neandri opere aureo, *Carneum* vocari, κάρνειον, & civem Ἀμυκλαίων.

134 *Helicon* genuiſſe dicitur Narciſſum, in cujus vicinia natus eſt, *Cephiſſi* (vel *Cephiſi*: variant enim libri ubique) fluvii, in finibus Phocidos & Bœotiæ lacum Copaicum influentis, ex Liriope Nympha filius. Etiam hic multam fabularum varietatem Burmannus indicavit.

Hunc fontis decepit amor. te fronte retuſa
Delius, hunc fracta Cephiſſus arundine luget.
Aeſtuat ante alias avido fervore legendi
Frugiferæ ſpes una Deæ. nunc vimine texto
Ridentes calathos ſpoliis agreſtibus implet:
Nunc ſociat flores, ſeſeque ignara coronat,
Augurium fatale tori. Quin ipſa tubarum
Armorumque potens, dextram, qua fortia turbat
Agmina, qua ſtabiles portas & mœnia vellit,
Jam levibus laxat ſtudiis, haſtamque reponit,
Inſolitiſque docet galeam miteſcere ſertis.
Ferratus laſcivit apex, horrorque receſſit
Martius, & criſtæ pacato fulgure vernant.
Nec, quæ Parthenium canibus ſcrutatur odorem,
Aſpernata choros, libertatemque comarum
Injecta tantum voluit frenare corona.
Talia virgineo paſſim dum more geruntur,
Ecce repens mugire fragor, confligere turres,
Pronaque

135 recuſſa *Baſ. marg.* 136 Cephiſos *MS.* 138 textos *ante Heinſ.* 139 foliis *ante Heinſ.* 141 quippe ipſa *ante Heinſ. præter Ald. qui dedit* quin. 147 placato *vulg.* 148 odoris *ante Heinſ. nec male.* 150 tandem *al.*

135 *Fronte retuſa*, obtuſis & obſcuratis præ mœrore radiis (vid. 28, 21) luget Hyacinthum ſuum Apollo Deli natus: Cephiſſus autem ſuum filium fracta corona arundinea, quam dare ſolent fluviis, ut noſter Tiberino patri 1, 217. Add. 28, 163.

139 *Calathos* lanificarum, ſed idem proprium vas in inſtrumento Cereris, & in ſacris illius adhiberi ſolitum illuſtrat, & ſpectandum exhibet Spanh. ad Callim. p. 652.

140 *Corona* omen & augurium regni inferorum, quod hac ipſa excurſione parabatur, ſed ignaræ, Proſerpinæ.

141 Splendida Minervæ armipotentis & bellicæ deſcriptio, cui etiam tubæ inventio attributa eſt, quin ipſa inde Σάλπιγξ dicta & hoc nomine culta apud Argivos, qua de re Potter. ad Lycophr. 915. *Haſtam* & *Galeam* Minervæ omnia monimenta tribuunt.

148 *Parthenium* montem & nemus Arcadiæ indicat, venationibus opportunum, hic & infra v. 241 —— *Parthenios canibus circumdare ſaltus* eſt Virg. ecl. 10, 57.

149 *Libertatem comarum* Dianæ venatricis illuſtrat laudandus in hoc opere ſæpe Spanh. ad Callim. p. 660.

152 *Terræ motus* brevis ſed terribilis deſcriptio.

Pronaque vibratis radicibus oppida verti.
Cauſſa latet. Dubios agnovit, ſola tumultus
Diva Paphi, miſtoque metu perterrita gaudet.
Jamque per anfractus animarum rector opacos
Sub terris quærebat iter, gravibusque gementem
Enceladum calcabat equis. immania findunt
Membra rotæ, preſſaque gigas cervice laborat
Sicaniam cum Dite ferens, tentatque moveri
Debilis, & feſſis ſerpentibus impedit axem.
Fumida ſulfureo prælabitur orbita dorſo.
Ac velut occultus ſecurum prodit in hoſtem
Miles, & effoſſi ſubter fundamina campi
Tranſilit eluſos arcano limite muros,
Turbaque deceptas victrix erumpit in arces,

Terri-

161 ſulcis imped. actum *Cuj.* implicat *Par. Vien.* 162 prolabitur *ante Raph.* 163 pergit *MSS.* 165 incluſos *vulg. ſed* eluſos *etiam Baſ. marg. & Raph.*

158 *Enceladum*, cui pro carcere & numellis impoſita eſt Sicilia. Vid. 33, 153. Supplicium novum hic patitur Typhoëus, ſimile rotæ, qua in Germania ſceleratorum membra contunduntur.

161 *Serpentibus*, quos pro pedibus habet *implicat* vel *impedit axem* currus Plutonii. Sed eruditior eſt, quam ut ſtupori librariorum tribui poſſit altera lectio, *Sulcis ſerpentibus impedit actum. Sulci* ſunt ὅλκοι tractus ſ. volumina ſerpentium. Apulej. Met. 11, p. 57, 19 Elmenh de Iſidis corona *Dextra lævaque ſulcis inſurgentium viperarum cohibita Serpentes* hic adjective ſumendum. Apud Lucia. Hermot. c. 79 ſ. To. 1 p. 823, 83 ὅλκὸν τῦ ὄφεως recte verti equidem *tractum ipſum ac volumen corporis*, & ὅλκὸν aliunde illuſtravi: ſed ſi hic locus & Apulejanus tum mihi noti fuiſſent, magis ad literam, ut ſic loquar, interpretari poteram *ſulcum*. Porro his *ſulcis* ſuis *ſerpentibus actum* currus Plutonii *implicat* vel *impedit* Enceladus, h. e. progreſſum ac motum: *agitur* enim currus, ut conſtat. Ovidius Halieut. 72 de equo, *Quam tumidus, quantoque venit ſpectabilis actu*, h. e. inceſſu, quo *ſe agere* dicitur etiam equus.

163 Cuniculum militarem deſcribit. *Subter* hic motum ſignificat, ut Virg. Aen. 3, 695 *Alpheum* dicit *Occultas egiſſe vias ſubter mare. Fundamina campi* indicant campum ſolidum, & fundamenta mœnium ſuſtinentem. *Eluduntur muri*, honeſta Metaphora, cum vi ſua excludendi privantur, ut *eluduntur* cuſtodes, cum per ambages invenitur aditus. *Limitem* pro via a poëtis poni, translaticium eſt. In verbo *tranſilit* videor mihi aliquid Alexandrini leporis, ὀξύμω-

Terrigenas imitata viros: ſic tertius heres
Saturni latebroſa vagis rimatur habenis
Devia, fraternum cupiens exire ſub orbem.
Janua nulla patet. prohibebant undique rupes
Oppoſitæ, duraque Deum compage tenebant.
Non tulit ille moras, indignatuſque trabali
Saxa ferit ſceptro. Siculæ tonuere cavernæ.
Turbatur Lipare. ſtupuit fornace relicta
Mulciber, & trepidus dejecit fulmina Cyclops.
Audiit, & ſi quem glacies Alpina coërcet,
Et qui te, Latiis nondum præcincte tropæis
Tibri, natat, miſſamque Pado qui remigat alnum.
Sic, cum Theſſaliam ſcopulis incluſa teneret
Peneo ſtagnante palus, & merſa negarent
Arva coli, trifida Neptunus cuſpide montes
Impulit adverſos. tum forti ſaucius ictu

Diſſiluit

168 tenebroſa *vulg. ſed* latebroſa *jam Baſ. marg.* 171 Siculaque *MSS.* ſolitaque *Baſ. marg. Hinc* ſolidaque *conj. Heinſ.* 173 tonuere *MSS.* 177 latis *ante Heinſ.* 180 negaret *ante Heinſ.* 182 ter forti *MSS.*

ϱον quddam, deprehendere: *Muros tranſilit* proprie, qui ſaltu ſe ſupra illos librat; hic vero, qui infra & ſubter illos poſtquam reptavit, ſubito intra urbem exſiſtit.

167 Cadmeos fratres intelligit, ſ. ſpartos illos qui ex dentibus draconis a Cadmo ſeminatis de terra enati dicuntur, & mox mutuis vulneribus periiſſe: quæ fabula deinde a Jaſone quoque acta. Utrisque hoc nomen tribuit Naſo, illis Met. 3, 118, his Epiſt. 12, 99. *Tertius heres Saturni* eſt DIs ſ. Pluto, poſt Jovem & Neptunum.

168 *Habenis rimatur*, quibus nunc in dextrum nunc in ſiniſtrum latus agit equos, nunc immittit, nunc retinet, vel retro agit.

174 Illam Vulcani & Cyclopum officinam deſcribit Callim. H. in Dianam 46. Sed multo copioſius Virg. Aen. 8, 416.

178 Quod *bibere* alias dicuntur accolæ fluvios ſuos, hic venuſte *natare*: cum præſertim in conſuetiſſimis Romanorum exercitationibus fuerit natatus. Taceo, quod etiam *Natat uncta carina* Virg. Aen. 4, 398: & habuit hic præ oculis noſter, obſervante Heinſio, Ge. 2, 451 *Torrentem undam levis innatat alnus Miſſa Pado. Latia tropæa* ſunt, quæ Latini retulerunt: *Latii tropæa*, quæ a devictis Latinis aliquis reportat.

179 Graphice deſcriptam a noſtro illam mutationem, apertas Peneo vias, qua ratione pro maximo lacu, amœna illa Tempe exorta ſunt, pro illa doctrinæ copia illuſtravit Spanh. in Callim. p. 410.

Diſſiluit gelido vertex Oſſæus Olympo.
Carceribus laxantur aquæ, fractoque meatu
Redduntur fluviuſque mari telluſque colonis.
Poſtquam victa manu duros Trinacria nexus
Solvit, & immenſo late diſceſſit hiatu:
Apparet ſubitus cælo timor. aſtra viarum
Mutavere fidem. vetito ſe proluit Arctos
Aequore. præcipitat pigrum formido Booten.
Horruit Orion. audito palluit Atlas
Hinnitu. rutilos obſcurat anhelitus axes
Diſcolor; & longa ſolitos caligine paſci
Terruit orbis equos. preſſis hæſere lupatis
Attoniti meliore polo; rurſusque verendum
In Chaos obliquo pugnant temone reverti.

184 factoque *MSS.* 185 fluviique *ante Heinſ.* 193 ferrugine *MS.* 196 *pro* obliquo, flexo *Cuj. Forte gloſſa fuit, aut voluit* inflexo? *pro* pugnant, *quod habent etiam primæ editt.* certant *al. ante Heinſ.*

183 *Olympo* tertio caſu intelligendum, ut *Diſſidens plebi virtus* Hor. Od. 2, 2. 18. Continentes erant Oſſa & Olympus: jam diſceſſu vallem faciunt, amœnam adeo, ut generis nomen τέμπος, plur. τέμπεα, η, proprium huic factum ſit.

186 *Mannu* i. vi & impetu, ut *manu facta* dicuntur, quæ non natura, ſed conſilio & opera hominum, parata ſunt.

189 *Fidem*, ut *fœdus*, *legem* & ſimilia, meminerimus ad conſtantiam naturæ referendam, quatenus ſub iisdem cauſis, iidem ſemper effectus conſequuntur. Memorat nunc ſiderum morus, quo nihil eſt conſtantius, & æternis legibus ſuis a Deo magis adſtrictum. Sic *vetitum Arcto æquor*, quod nobis nunquam videtur attingere &c. *Bootes tardus* etiam Ovidio Met. 2, 172, & *piger* Faſt. 3, 405 non tantum quod celeritas a bubulcis non requiritur: ſed quod ſidus polo proximum ob id ipſum motum habet minus obſervabilis celeritatis. Ceterum dum animat hæc ſidera & perſonas facit, horribilem hujus perturbationis imaginem excitat. Dicas, quid *Atlas* poſt *Orionem?* verrucula in corpuſculo planetæ, poſt mille Syſtemata Solaria, quæ forte Orion continet? Poëta vero magnitudinem agnoſcit ſolam relationis. Et quid opus eſt ſubtilitate diſputationis? Atlas totum cælum, cujus modica pars eſt Orion, humeris ſuſtinet.

192 *Axes* noſtro eſſe ſingulas quoque ſtellas, mon[illegible]s ad 34, 35. Vapor a Plutonis equis anhelitu excitatus, nubem inducit terræ, unde ſtellæ obſcurantur.

195 *Verendum* ad terrorem etiam referri, docet 33, 80. De *Chao* pro inferis 5, 525.

Mox ubi pulſato ſenſerunt verbera tergo,
Et ſolem didicere pati: torrentius amne
Hiberno, tortaque ruunt pernicius haſta.
Quantum non jaculum Parthi, non impetus Auſtri,
Non leve ſollicitæ mentis diſcurrit acumen.
Sanguine frena calent: corrumpit ſpiritus auras
Letifer: infectæ ſpumis vitiantur arenæ.
Diffugiunt Nymphæ: rapitur Proſerpina curru,
Imploratque Deas. jam Gorgonos ora revelat
Pallas, & intento feſtinat Delia cornu:
Nec patruo cedunt. ſtimulat communis in arma
Virginitas, crimenque feri raptoris acerbat.
Ille, velut ſtabuli decus armentique juvencam
Cum leo poſſedit, nudataque viſcera fodit
Unguibus, & rabiem totos exegit in armos,
Stat craſſa turpis ſanie, nodoſque jubarum
Excutit, & viles paſtorum deſpicit iras.
„Ignavi domitor vulgi, teterrime fratrum,
Pallas

201 diſcurrat *malit Heinſ.* 206 telo *MSS.* 210 pectora *ante Heinſ. ſed* viſcera *jam Baſ. marg. & Plant. marg.* 213 deſpuit *MS.* 214 dom. mundi *vulg. ante Heinſ. Sed* vulgi *Baſ. marg. & Claver.*

198 *Hibernum amnem* h. e. torrentem e tempeſtate ortum a Græcis didicere Latini. Χειμέριον ὕδωρ eſt Il. ψ, 420. *Hibernis agitatum fluctibus æquor* Ovid. Tr. 1, 11. 33.

201 *An non nimia* ſit hæc Hyperbole non diſputo: ſed hoc meminiſſe velim Poëſeos candidatos, in *acuminis* appellatione ineſſe notionem celeritatis, acutus gladius celerius penetrat, acutus morbus celerius conficit, acuta mens perſpicit velocius &c. Feſtus, *Acupedius dicebatur, cui ſummum erat in currendo acumen pedum.*

202 Solet noſter hac imagine cruentati a freno oris acrium equorum uti. Vid. ad 1, 5. 22, 350.

209 *Stabuli armentique*, duas quaſi relationes offert poëta, ubi comparata cum aliis ſui generis juvenca placeat.

211 *Exigere* hic idem eſt quod exſerere, exercere: *rabiem* ponit velut gladium vel ferrum quod *exigi* dicitur, h. e. plane adigi. *Armos*, membra robuſtiora dicit, in quibus morſu & ungue lacerandis, omnem impetum leo conſumit.

212 An *nodos jubarum* dicit, qui oriuntur a grumis cruoris, quibus velut in glomerem conglutinantur jubæ?

Pallas ait, *quæ te ſtimulis facibuſque profanis*
Eumenides movere? tua cur ſede relicta
Audes Tartareis cœlum inceſtare quadrigis?
Sunt tibi deformes Diræ: ſunt altera Lethes
Numina: ſunt triſtes Furiæ te conjuge dignæ.
Fratris linque domos: alienam deſere ſortem:
Nocte tua contentus abi. quid viva ſepultis
Admiſces? noſtrum quid proteris advena mundum?„
Talia vociferans avidos tranſire minaci
Cornipedes umbone ferit, clipeique retardat
Objice, Gorgoneiſque premens aſſibilat hydris,
Prætentasque aperit criſtas. libratur in ictum
Fraxinus, & nigros illuminat obvia currus.

217 mundum inceſtare *fere ante Heinſ.* cœlum *Baſ. marg. Claver.* incæſtare *primæ editt.* infeſtare *MSS.* 219 flumina *ante Heinſ. præter Claver.* numina *probat etiam Barth.* 226 prætentaque op. criſta *ex MSS. Heinſ. pro* criſta, palla *MSS.*

215 *Profanæ faces*, inceſtæ, quibus violatur etiam religio, & natura rerum, quæ divina eſt: ideo de eadem re ſtatim *inceſtandi* verbum adhibet.

218 *Diræ* hic aperte diſtinguuntur a Furiis, dum ſeorſim commemorantur. Videtur itaque intelligere poëta Harpyias illas Typhonis filias, Phineo puniendo a Jove immiſſas, a Calai & Zete Boreæ filiis abactas. Hæ ſubſtantiva poſitione *ſævæ Diræ* vocantur a Valerio Fl. 4, 586: *Tartareas volucres* nominarat v. 579. *Lethes Numina* h.e. inferorum. *Flumina* femineam perſonam ſuſtinere, non memini.

220 *Sortem* hanc declaravimus ad 33, 100.

222 *Proteris* injuriæ verbum, conculcas: *advena* & ipſum ſignat injuriam, non dominus, ne civis quidem ſuperorum, ſed advena, peregrinus.

224 Synonymice hæc dicuntur *umbone*, & *clipei objice*: *hydri Gorgonei* etiam ſunt in clipeo Minervæ, quos habet Meduſa Gorgo pro crinibus.

226 *Criſtas* illas galeæ ſuæ terribiles, *aperit* Minerva concutiendo, ut majores fiant, & ſic *prætendit*, & velut intentat equis. Humanum paſſus eſt ſummus vir, cum contulit cum lectione ſua *operit* illud 24, 168. Ibi enim Romam *velat ſua Gorgone* Pallas, h. e. tegit, munit: hic conſternandi ſunt objecta & intentata criſta equi Plutonis. Texerat Minerva caput Meduſæ ſupra v. 25: hoc nunc objicit equis. Sic intelligimus, contraxiſſe, conſtrinxiſſe antea criſtam, quam hic aperit.

227 *Fraxinus* h. e. haſta Minervæ, ſine reſpectu ad materiem, fulmen eſt jam vibratum, jam jaculandum: itaque jam illuminat fulgore ſuo currum.

Miſſaque pæne foret, ni Jupiter æthere vulſo
Pacificas rubri torſiſſet fulminis alas,
Confeſſus ſocerum. Nimbis Hymenæos hiulcis
Intonat, & teſtes firmant connubia flammæ.
Invitæ ceſſere Deæ. Compeſcuit arcum
Cum gemitu, taleſque dedit Latonia voces.
„Sis memor, o, longumque vale. reverentia patris
Obſtitit auxilio. nec nos defendere contra
Poſſumus. imperio vinci majore fatemur.
In te conjurat genitor, populoque ſilenti
Traderis, heu, cupidas non adjpectura ſorores,
Aequalemque chorum. Quæ te fortuna ſupernis
Abſtulit, & tanto damnavit ſidera luctu?
Jam neque Partheniis innectere retia luſtris,
Nec pharetram geſtare libet. ſecurus ubique
Spumet aper, ſævumque fremant impune leones.
Te juga Taygeti, poſito te Mœnala flebunt
Venatu, mœſtoque diu lugebere Cyntho.

Delphica

228 æth. ſummo *vulg.* juſſo, lapſus, celſo *MSS.* 229 luminis *al.* fulminis *etiam Parvb. Vien. Clav.* 230 generum *al.* ſocerum *Baſ. marg. Raph. ſententia eadem.* Hymenæon, *ut* intonat *ad Jovem referatur, Heinſ.* 239 æqualesque choros *ante Heinſ.* 240 damnarunt *MSS.* 243 ſævique *ante Heinſ.*

228 Aethere *vulſo*, convulſo & quaſi dirupto: cælum rumpi & rima quadam aperiri videtur a *fulmine*, cui hic *pacificæ alæ* tribuuntur, quia ipſo terrore & minis quietem, pacem, nuptias, amores denunciat. Si noſtris moribus hoc velis accommodare, dicas hoc fulmen fuiſſe ſimile illis tonitribus fulguribusque arte factis, quibus hodie in caſtris & munimentis victoriæ, natales, nuptiæ, Regum celebrantur.

230 *Nimbi hiulci* ſunt nubes denſæ ab igne fulgurum disjectæ & hiantes. *Flammæ* ſunt pro facibus nuptialibus, ſicut tonitruum ſonus pro *Hymenæo* ſ. cantu & ſtrepitu nuptiali.

240 *Sidera* Synonymon *ſupernorum*: ne putemus ad ipſum ſtatum cæleſtium Deorum referri. *Siderum* luctus eſt, quod non vident amplius in terris Proſerpinam. Etiam terreſtres actus ſuos mox memorat Diana & regiones ſibi frequentatas, Laconiam ubi *Parthenius*, *Taygetus*, *Mœnala*; Delum ubi *Cynthus*, montes omnes quibus inerrare Diana ſolet. Sic *cælum* ponitur v. 262.

Delphica quin etiam fratris delubra tacebunt.„
Interea volucri fertur Proſerpina curru
Cæſariem diffuſa Noto, planctuque lacertos
Verberat, & queſtus ad nubila rumpit inanes.
„*Cur non torſiſti manibus fabricata Cyclopum*
In nos tela, pater? ſic me crudelibus umbris
Tradere, ſic toto placuit depellere mundo?
Nullane te flectit pietas? nihilumne paternæ
Mentis ineſt? tantas quo crimine movimus iras?
Non ego, cum rapido ſæviret Phlegra tumultu,
Signa Deis adverſa tuli: non robore noſtro
Oſſa pruinoſum vexit glacialis Olympum.
Quod conata nefas, aut cujus conſcia noxæ
Exſul ad immanes Erebi detrudor hiatus?
O fortunatas, alii quaſcunque tulere
Raptores! ſaltem communi ſole fruuntur.
Sed mihi virginitas pariter cœlumque negatur:
Eripitur cum luce pudor: terriſque relictis
Servitum Stygio ducor captiva tyranno.
O male dilecti flores, deſpectaque matris

246 ſilebunt *MS.* 249 fundit *vulg.* rendit, tollit *MSS.* 252 credere *MS.* defendere *MS. eadem ſententia.* 253 nullumne *vulg. præter Claver.* 255 rabido *jubet legi Heinſ.* 258 *pro* noxæ, culpæ *vulg. quam gloſſam putat Heinſ.* 262 negantur *malit Heinſius.* 263 *pro* luce, ſole *vulg. quod ferri poſſe ob repetitionem, negat Heinſ.* 264 infelix *vulg. præter Ald. qui cum MSS.* ſervitum.

246 Reſpicit, puto, Claudianus ad Romanum morem, juſtitium indicendi in luctu publico: ita non reſpondet conſulentibus, non fert ſententiam Apollo.

250 In hac querela Proſerpinæ, & tota adeo hac ſcena, placet mihi Claudianus præ Naſone, qui nimis puellam facit Proſerpinam Met. 5, 399 *Collecti flores tunicis cecidere remiſſis: Tantaque ſimplicitas puerilibus adfuit annis, Hæc quoque virgineum movit jactura dolorem.* Talia decebant Θαρσύν Theocriti, ſ. Idyll. 27, 52.

255 De *Phlegra* & *Phlegræo* tumultu vid. ad 27, 20.

257 Cui hic non in mentem venient illi *conjurati cœlum reſcindere fratres* Terræ filii, qui *Ter ſunt conati imponere Pelio Oſſam*, Theſſaliæ montem, *atque Oſſæ involvere Olympum*, Virg. Ge. 1, 280.

259 *Hiatus* nomen ad *Chaos* alludit, χαίνειν hiare.

262 *Cœlum* ut 240 *ſidera.*

Consilia: o Veneris deprensæ serius artes!
Mater, io, seu te Phrygiis in vallibus Idæ
Mygdonio buxus circumsonat horrida cantu,
Seu tu sanguineis ululantia Dindyma Gallis
Incolis, & strictos Curetum respicis enses,
Exitio succurre meo: compesce furentem:
Comprime ferales torvi prædonis habenas.„
Talibus ille ferox dictis fletuque decoro
Vincitur, & primi suspiria sentit amoris.
Tunc ferrugineo lacrimas detergit amictu,
Et placida mœstum solatur voce dolorem:
„Define funestis animum, Proserpina, curis,
Et vana vexare metu. majora dabuntur
Sceptra, nec indigni tædas patiere mariti.
Ille ego Saturni proles, cui machina rerum
Servit, & immensum tendit per inane potestas.
Amissum ne crede diem. sunt altera nobis
Sidera; sunt orbes alii; lumenque videbis
Purius, Elysiumque magis mirabere solem,
Cultoresque pios. illic pretiosior ætas,

Aurea

273 planctuque *MSS.* 275 deterſit *vulg.*
276 timorem, pudorem *MSS.*

268 *Buxus*, tibia e buxo. Vid. ad 20, 286.

269 *Ululare* dicuntur Dindyma, montana Phrygiæ, h. e. ab ululatu Gallorum, qui se exsecuere, vel spectaculi causa vulnerarunt, resonare. Vid. ad 18, 277. it. ad 20, 262. De *ululatu* & tota re adeo ad 33, 205.

270 De *Curetum* ensibus dictum ad 20, 279. Recordemur, secundum poëtæ nostri fictionem, Cereris absentiam apud matrem suam ac Deorum, Cybelen, occasionem raptui dedisse. Vid. 33, 179.

275 De *ferrugineo amictu* dictum supra ad v. 93.

280 Etiam hic in Plutonis oratione sunt philosophemata illa, ad quæ supra 5, 525 it. 33, 55 allusum observavimus.

282 Aperte respicit Virg. Aen. 6, 641 *Solemque suum, sua sidera norunt. Orbes*, puto, Planetarum intelligit.

285 Nam auream poëtarum, v. g. Hesiodi Op. & Di. 121, ætatem olim κατὰ γαῖα κάλυψεν. Prærogativa inferorum est, quod apud illos semper durat aurea gens, quæ sub cælo semel tantum fuit.

Aurea progenies, habitant, ſemperque tenemus,
Quod Superi meruere ſemel. nec mollia deſunt
Prata tibi. Zephyris illic melioribus halant
Perpetui flores, quos nec tua protulit Henna.
Eſt etiam lucis arbor prædives opacis,
Fulgentes viridi ramos carvata metallo.
Hæc tibi ſacra datur. fortunatumque tenebis
Autumnum, & fulvis ſemper ditabere pomis.
Parva loquor. quidquid liquidus complectitur aër,
Quidquid alit tellus, quidquid ſalis æquora verrunt,
Quod fluvii volvunt, quod nutriwere paludes,
Cuncta tuis pariter cedent animalia regnis,
Lunari ſubjecta globo, qui ſeptimus auras
Ambit, & æternis mortalia ſeparat aſtris.
Sub tua purpurei venient veſtigia reges,
Depoſito luxu, turba cum paupere miſti.
Omnia mors æquat. tu damnatura nocentes.

286 habitat *vulg.* 287 deerunt *vel ſine ſcriptis legi jubet Heinſ. Certe ſic optimos ſolere, oſtendit.* 289 Aetna *vulg. Vid. ad 33, 122.* 290 Averni *Baſ. marg.* amœnis *MS.* Avernis *placet Heinſ.* 291 gravido *MS.* 293 dotabere *MS.* 295 maris *vulg. præter Claver.* 297 animantia *MS.* 300 faſtigia *conj. Barth.*

287 *Mollia prata* eſſe debent, de quibus Virg. Aen. 6, 642 *Pars in gramineis exercent membra palæſtris.*

290 Hæc eſt illa arbor, de qua ramum decerpere debebat Aeneas, Aen. 6, 141.

294 Magnum ſane eſt Proſerpinæ regnum. Quidquid enim apud ſuperos, moritur, perit, diſſipatur, ſenſibus hominum ſubducitur, illud venit in Haden, ad Plutonem. Neque vero inauditum aliquid fingit noſter, de communicato cum Proſerpina inferorum imperio. Sæpe illius mentionem acit Horatius, apud quem V. G. Tireſias Sat. 2, 5 extr. *Sed me,* inquit, *Imperioſa trahit Proſerpina.* Quin jam Hymnus Orphicus Eumenidum illam arbitram & judicem ſcelerum facit. Plura in Hymno ipſius Proſerpinæ.

298 Globus ille cavus, ſphæra illa ſeptima, quæ infixam ſibi habet Lunam, finem conſtituit rerum mutationi obnoxiarum & immutabilium. Cic. Somn. Scip. 4 *Infra Lunam nihil eſt, niſi mortale & caducum, præter animos —— ſupra Lunam ſunt æterna omnia.* Macrobius ad h. l. 1, 21, inter alia, *Sicut ætheris & aëris, ita divinorum & caducorum Luna confinium eſt.*

Tu requiem latura piis: te judice fontes
Improba cogentur vitæ commissa fateri.
Accipe Lethæo famulas cum gurgite Parcas.
Sit fatum quodcumque voles.„ Hæc fatus ovantes
Exhortatur equos, & Tænara mitior intrat.
Conveniunt animæ, quantas truculentior Auster
Decutit arboribus frondes, aut nubibus imbres
Colligit, aut frangit fluctus, aut torquet arenas.
Cunctaque præcipiti stipantur sæcula cursu
Insignem visura nurum. Mox ipse serenus
Ingreditur facili passus mollescere risu,
Dissimilisque sui. Dominis intrantibus ingens
Assurgit Phlegethon. flagrantibus hispida rivis
Barba

306 sitque ratum *MSS.* sit factum *MSS.* sanctum, pactum *conj. Heins.* velis *vulg.* sitque ratum, quodcunque voves *conj. Heins.* 311 tartara *vulg. præter Ald. quem & MSS. sequitur Heins.*

305 Hic ergo *Parcas*, *Fatumque* novæ uxori ut *famulas* subjicit poëta noster, & servat morem suum, quo nunquam, quod recorder, fatalem necessitatem, libertati Dei & humanæ contrariam, defendit. Idem dicit statim *Sit fatum quodcunque voles.* Magnam Proserpinæ vim assignat, Hymnus Orph. p. 126. V. G. Η κατέχεις ἀΐδαο πύλας —— παντοκράτειρα κούρη —— Ζωὴ καὶ θάνατος μόνη θνητοῖς, & cum allusione ad nomen, φέρεις γὰρ ἀεὶ καὶ πάντα φονεύεις. Sed cf. 36, 410.

306 *Ovantes equos*, & totum hunc verbi usum declaramus ad 22, 68.

307 *Tænara* puto hic non esse simpliciter illud promuntorium Laconicæ suo cum specu; sed indefinite sic indicari inferos, ut *Tænarius* est idem quod inferus vel Infernus. Sed potest tamen fieri, ut suos auctores secutus sit noster. Variant enim & hic fabulæ. Hymnus Orphicus in Plutonem p. 116, 14 abductam ait Proserpinam ὑπ' Ἀττίδος ἄντρου, Δήμου Ἐλευσῖνος, τόθι περ πύλαι εἰσ' ἀΐδαο. Et suadent sacra Eleusinia.

308 Comparari potest Aen. 6, 706 *Hunc circum innumeræ gentes populique volabant* &c.

311 *Sæcula* sunt ipsi homines per suas generationes & gradus discreti. Quoties Lucretius *sæcla hominum*, *scriptorum*, *mortalia*, *animalium*, *ferarum* dixerit pro ipsis hominibus, feris &c. Indices facile docent. Hic *sæcula* sunt βίοι, umbræ, animæ defunctorum, vel nondum natorum.

312 *Nurus νύμφη* etiam hic est, juvenis mulier nupta, quæ peperit, pariendi certe causa habetur.

313 *Passus mollescere*, omisso se, ut Hor. Car. 1, 2. 43 *Patiens vocari Cæsaris ultor.*

315 *Phlegethontem* personam facit, ut fluvios alios, nisi quod pro aquis illi dat flammas.

Barba madet, totoque fluunt incendia vultu.
Occurrunt properi lecta de plebe miniſtri.
Pars altos revocant currus, freniſque ſolutis
Vertunt emeritos ad paſcua nota jugales.
Pars aulæa tenent. alii prætexere ramis
Limina, & in thalamum cultas extollere veſtes.
Reginam caſto cinxerunt agmine matres
Elyſiæ, teneroque levant ſermone timores,
Et ſparſos religant crines, & vultibus addunt
Flammea, ſollicitum prævelatura pudorem.
Pallida lætatur regio, genteſque ſepultæ
Luxuriant, epuliſque vacant genialibus Umbræ.
Grata coronati peragunt convivia Manes.
Rumpunt inſoliti tenebroſa ſilentia cantus.
Sedantur gemitus. Erebi ſe ſponte relaxat
Squalor,

317 propere *vulg.* 321 in thalamis *vulg.* thalamos *MS.*
323 tenerosque -- dolores *Vic. Vien. & al.* timores *Ald. Baſ. marg.*
325 prævallatura *MS.* prævellatura *Vic.*

318 *Revocare currus* eſt retinere equos junctos.

319 *Emeriti jugales*, non qui jam mereri deſinant ſimpliciter, ſed qui in illo actu bene de ſuo domino meruerant.

320 Conjungit utramque honoris & gaudii ſignificationem Pacatus Pan. 37, 4 *Portas virentibus ſertis coronatas, aulæis undantes plateas*: ubi *undantes* intelligam fluctuantes aliquantum ab aura & vento, quod non intenta & affixa ſuis extremis eſſent aulæa, ſed ita ſuſpenſa, ut velut undas quasdam agere a vento poſſent: qua ratione mutatus ſubinde cum ſitu repercuſſus lucis, & umbræ admiſtio, colorum quoque & ſplendoris mutationem oculis jucundam & vitæ quoddam inſtar, attulit.

321 *Veſtes cultas* & ipſas de aulæis velisque intelligo, quas *tollunt in thalamum*, h. e. ex illis ſublatis ac ſuſpenſis thalamum, velut tentorium quoddam conſtituunt, ſub quo lectus ſternitur. Hæc *Veſtis* & *veſtiendi* notionibus comprehendi, alias oſtenditur.

325 Vix unquam in nuptiali ceremonia *flammeum* omittit noſter V. G. 10, 285. 21, 83.

327 Videt etiam apud inferos Aeneas 6, 656 *per herbam Veſcentes lætumque choro Pæana canentes.* Obſervavit Da. Heinſ. ad Heſiodi, qui aurei ſæculi θαλίας laudat Op. 115, felicem omnem immortalitatem a Græcis & Romanis hoc θαλιῶν, *epularum*, nomine ſignari. Sed hoc extraordinarium & *inſolitum* hic eſt, & datum nuptiis Proſerpinæ, quod requies etiam & indulgentia quædam datur infelicibus ac damnatis.

Squalor, & æternam patitur rareſcere noctem.
Urna nec incertas verſat Minoïa ſortes.
Verbera nulla ſonant, nulloque frementia luctu
Impia dilatis reſpirant Tartara pœnis.
Non rota ſuſpenſum præceps Ixiona torquet:
Non aqua Tantaleis ſubducitur invida labris.
[Solvitur Ixion: invenit Tantalus undas.]
Et Tityos tandem ſpatioſos erigit artus:
Squalentiſque novem detexit jugera campi.
Tantus erat. lateriſque piger ſulcator opaci
Invitus trahitur laſſo de pectore vultur,
Abreptasque dolet jam non ſibi creſcere fibras.
Oblitæ ſcelerum formidatique furoris
Eumenides cratera parant, & vina feroci
Crine bibunt. flexiſque minis jam lene canentes
Extendunt ſocios ad pocula plena ceraſtas,
Ac feſtas alio ſuccendunt lumine tædas.
Tunc & peſtiferi pacatum flumen Averni
Innocuæ tranſiſtis aves, flatumque repreſſit
Amſanctus:

331 clareſcere *MS. Claver. qui recte improbat.* 336 Tantalicis *vulg.* 337 *Ejiciendum putat hunc verſum Heinſ. jure, arbitror.* 342 abruptasque *malit Heinſ.* 343 formidandique *MSS.* 348 limen *vulg.* flumen *Ald. Baſ. marg. MSS.*

332 *Urna Minoia* ſortitur judices malis, de qua Aen. 6, 432 *Quæſitor Minos urnam movet.* Alia eſt illa apud Hor. Car. 3, 1. 16 *urna capax*, quæ *movet omne nomen*, qua *omnium ſors verſatur* 2, 3. 26. Hac decernitur, quæ animæ ire ad ſuperos, quæ ad inferos redire debeant. Hæc eſt ſortitio animarum; quam deſcribit ex Eris Pamphylii perſona Plato de rep. extr.

335 Etiam *Ixionis & Tantali Tityque* pœnas debet Virgilio v. 595 ſqq.

344 *Cratera parant* h. e. in vaſe ampliore miſcent vinum aquæ, in quo plures ſimul ſerpentes, quos pro crinibus habent, (hi ſunt etiam *ſucii ceraſtæ*) mergere capita bibendi gratia poſſint. Vid. 10, 197. Ab hoc vino non lugubrem ſtridorem edunt, ſed leni ſibilo canunt.

347 *Feſtas tædas* non illas terribiles de Phlegethonte accenſas, quibus terrent impios.

349 Alludit ad etymon *Averni*, ἄορνος *Quem ſuper haud ullæ poterant impune volantes Tendere iter pennis* &c. Virg. Aen. 6, 239. Monuit Heinſius ex Ariſtot. de mirabil.

Amſanctus: tacuit fixo torrente vorago.
Tunc Acheronteos mutato gurgite fontes
Lacte novo tumuiſſe ferunt, ederiſque virentem
Cocyton dulci perhibent nudaſſe Lyæo.
Stamina nec rupit Lacheſis, nec turbida ſacris
Obſtrepitant lamenta choris. Mors nulla vagatur
In terris, nullæque rogum planxere parentes.
Navita non moritur fluctu, non cuſpide miles.
Oppida funerei pollent immunia leti.
Impexamque ſenex velavit arundine frontem
Portitor, & vacuos egit cum carmine remos.
Jam ſuus inferno proceſſerat Heſperus orbi.
Ducitur in thalamum virgo. ſtat pronuba juxta
Stellantes Nox picta ſinus, tangenſque cubile
Omina perpetuo genitalia fœdere ſancit.

Exſultant

350 Anfractus *Vic. Vien. & omnes pene MSS. quos vidit Parrh. & Baſ.* Anxantus *Ald. & Junt.* 353 ſtagnaſſe *vulg.* 354 non rupit *vulg.* 359 impexosque -- crines *Vic. Vien. Junt. Baſ. rell. ante Heinſ.* impexamque -- frontem *Ald. MSS.* implexam -- frontem *Baſ. marg.* 364 ſanxit *al.*

mirabil. audit. reperiri tamen ibi Cygnos. Sed omnia de fabulis & hiſtoria collegit Cluver. Ital. ant. p. 1126 ſqq.

350 *Amſanctus* ſ. *Amſancti valles* notæ ex Aen. 7, 565 ſqq. *ſævi ſpiracula Ditis*, ubi *rupto ingens Acheronte vorago Peſtiferas aperit fauces* Hinc ille *flatus*, quem modo *repreſſum* dicit noſter.

354 *Lacheſin* nominavit, quæ magis proprie Atropos dicenda erat. Sed commune Parcarum illud opus eſt, inter ſe conſentientium certe.

359 Ipſum *coronari* eſt lætitiæ ſignum; *arundine* ſui fluminis utuntur fluvii, quatenus perſonæ ſunt. Charon *portitor* alias ſemper triſtis.

361 *Suus Heſperus*: nam ſolem *ſuum & ſua* ſidera habent, ut monuimus ad v. 282. Ceterum *Heſperus*, Veneris eſt optatum ſponſis ſidus, quem invocant. Totum ex hoc pendet Catulli epithalamium ſ. carmen 62 *Veſper adeſt. Heſpere, qui cælo fertur crudelior ignis? Heſpere, qui cælo lucet jucundior ignis?*

363 Eſt nempe etiam *Nox* Dea, cum Luna ſæpe congruens. Vid. Burm. ad Val. Fl. 5, 567.

Exſultant cum voce pii, Ditiſque ſub aula
Talia pervigili ſumunt exordia plauſu.
„Noſtra parens Juno, tuque o germane Tonantis
Et gener, unanimi conſortia diſcite ſomni,
Mutuaque alternis innectite colla lacertis.
Jam felix oritur proles: jam læta futuros
Exſpectat Natura Deos. nova numina rebus
Addite, & optatos Cereri proferte nepotes.

366 ducunt *vulg.* 367 potens *Ald. & MSS. Hinc* Nocte potens *conj. Heinſ.* 68 unanimis *primæ editt.* ducite *vulg.* diſcite *jam Baſ. marg. & MSS.*

366 *Pervigili plauſu*, tertio caſu, hoc faciunt exordium. Neque enim totum refert Poëta Hymenæum, ſed principium & ſummam.

368 *Diſcite*, ut rudes operum Veneris. Sic 31, 130.

370 Hymnus Eumenidum Orphicus poſterior p. 166 illas facit filias Plutonis & Proſerpinæ. Sed hoc non convenit cum Oeconomia Claudiani, qui nuptiis eas jam præſentes facit. In Hymno in Proſerpinam p. 126 non Eumenidum modo, ſed etiam Eubulei mater appellatur.

XXXVI

CL. CLAUDIANI DE RAPTU PROSERPINAE

LIBER III

Jupiter interea cinctum Thaumantida nimbis
Ire jubet, totoque Deos arcessere mundo.
Illa colorato Zephyros prælapsa volatu
Numina conclamat pelagi, Nymphasque morantes
Increpat, & fluvios humentibus evocat antris.
Ancipites trepidique ruunt, quæ causa quietos
Excierit, tanto quæ res agitanda tumultu.
Ut patuit stellata domus, considere jussi.
Nec confusus honos. Cæleſtibus ordine sedes
Prima datur. tractum proceres tenuere secundum
Aequorei, placidus Nereus, & lucida Phorci
Canities.

3 prælapsa, elapsa, prægressa *MSS.* transgressa *vulg.* Zephyris illapsa, illata *MSS.* 9 *Omissus, credo casu, hic versus Baf.* 11 lucida *vulg.* lurida, lubrica, candida, pallida, verecundaque *MSS.* cærula *etiam Baf. marg.*

* De Prologo, quem quidam hic inculcarunt, vid. 27 pr.

1 *Thaumantida*, Irin, (vid. 35, 100) Thaumantis & Electræ filiam, Harpyiarum sororem facit Hesiodus Theog. 265, indeque Apollod. Bibl. 1,2.6. Junonis quidem interdum nuncia ut Aen 4, 693 & 5,606: sed Jovis præcipue, ut Aen. 9, 803, & Hesiod. Theog. 784 Thaumantis filiam faciunt, quia θαῦμα est, spectaculum admirabile, τέρας ut vocat Homerus Ἰλ. Α, 27 & Ρ, 547. *Cinctam nimbis* facit physica ratione.

3 *Zephyros* pro aëre humido, quem efficiunt Zephyri ponit. Vid. 33, 92 & 185. Plane sic Stat. Theb 7, 6 Jupiter Mercurio, *I, medium rapido Boream illabere saltu*, quod pulchre hic animadvertit Heinsius.

4 *Conclamat* est clamore convocat, ut Ovid. Met. 13, 73 de Ulysse in periculo versante *Conclamat socios.*

11 *Phorci canities* memoratur, quod marinus deus est, Phorcys s. Phorcus, mare autem canum & cæruleum. Filiæ illius Græc, [γραῖαι

Canities. Glaucum ſeries extrema biformem
Accipit, & certo manſurum Protea vultu.
Nec non & ſenibus fluviis conceſſa ſedendi
Gloria. plebejo ſtat cætera more juventus,
Mille amnes. liquidis incumbunt patribus udæ
Naïdes, & taciti mirantur ſidera Fauni.
Tum gravis ex alto genitor ſic orſus Olympo:
„*Adduxere meas iterum mortalia curas,*
Jam pridem neglecta mihi, Saturnia poſtquam
Otia & ignavi ſenium cognovimus ævi;
Sopitoſque diu populos torpore paterno
Sollicitæ placuit ſtimulis impellere vitæ,
Incultis ne ſponte ſeges grandeſceret arvis,

Undaret

15 ſtant *legi jubet Heinſ.* 17 placidi numina *vulg. præter Ald.*
19 abduxere *Vic. Ald. Junt. Baſ. Claver. Heinſ.* *Sed* addux. *Parrhaſ. Vien. Raphel.* 24 graneſceret *MSS.* caneſceret *MSS.*

[γραῦς anus] canæ inde a nativitate, ἐκ γενετῆς πολιαί, Gorgones, apud Heſiodum Theog. 270.

12 *Biformem* vocat Glaucum, quia ab umbilico inde piſcis fuit. Ovid. Met. 13, 963 *Cruraque pinnigero curvata novissima piſce.* Sic etiam pingit Philoſtratus Icon. 2, 15 extr. e cujus deſcriptione Glauci illuſtrari poſſunt, quæ de Tritone dicta ſunt ſupra ad 10, 146. Ceterum hae Glauci deſcriptiones patiuntur, ut utrumque pedem in ſuum ſibi piſcem mutatum intelligamus, quod de Tritone oſtendimus. Hiſtoriam & fabulas Glauci dedit P. Pater ad Palæph. c. 28.

13 *Proteus* ille monſtrorum marinorum velut paſtor, Virg. Ge. 4, 388, qui ut ibi eſt v. 407 *fit ſubito ſus horridus, atraque tigris, Squamoſusque draco, & fulva cervice leæna* &c. vel, ut Horat Sat. 2, 3. 73 *aper, modo avis, modo ſaxum, & cum volet arbor.* Hic honoris Deum cauſa certo manere vultu jubetur.

17 *Taciti* commodum *Faunorum* epitheton, quos loquaces alias faciunt, & nomen ipſum arceſſunt a *fando.* Vid. Serv. ad Aen. 7, 47. *Taciti* autem hic ſunt præ admiratione ſplendoris cæleſtis, ſibi inſueti.

19 Pulchra, certe ſpecioſa, Jovis oratio effingit morem Regum humanorum, qui ſuis actibus, valde interdum hominem ſapientibus, olentibus, referentibus, ſplendidos obtentus quærunt, & alias longe habent diverſasque multum a *ſuaſoriis* cauſas *juſtificas.* Quidni enim utamur nominibus Grotianis, & huic rei hodie propriis. *Adduxere* id eſt adverterunt res hominum, quas aliquamdiu neglexeram, curas meas denuo, poſtquam penitius inſpexi otia illa aureæ ætatis ſub patre meo Saturno degenerare in *ſenium*, & ignavum languorem; & ideo decrevi populos ſtimulis vitæ ſolicitæ ad laborem impellere hoc modo,

Undaret neu ſilva favis, neu vina tumerent
Fontibus, & totæ fremerent in pocula ripæ.
Haud equidem invideo; (nec enim liveſcere fas eſt,
Vel nocuiſſe Deos) ſed quid diſſuaſor honeſti
Luxus, & humanas oblimat copia mentes?
Provocet ut ſegnes animos, rerumque remotas
Ingenioſa vias paullatim exploret egeſtas!
Utque artes parit ſollertia, nutriat vſus!
Nunc mihi cum magnis inſtat Natura querelis,
Humanum relevare genus, durumque tyrannum
Immitemque

28 ſed quod *vulg.* 30 prov. aut *MS. unde* haud *conj. Heinſ.* 32 atque *MS.* 34 *Expungi vult h. v. vir doctus ap. Heinſ.* dirumque *pri. editt.*

modo, ne in poſterum *ſponte* naturæ, ſine labore hominum omnia provenirent.

25 *Undare* ad liquidum & profluens mel pertinet: *tument* fontes, cum ebulliunt: *fremunt ripæ*, cum aquæ cum ſtrepitu labuntur & ruunt.

27 *Liveſcere* eſt invidere. Jam φθόνον, invidiam, tribuere DIs alias non verentur veteres. Quin de ſententia Solonis apud Herodotum 1, 32 Τὸ θεῖον πᾶν φθονερόν. qua de re eſt diſputatiuncula mea in opuſculorum Vol. 1 p. 336. Breviter, ſi æqui eſſe volumus, dicemus, qui viri alioquin ſapientes invidiam Deo tribuunt, ii non affectum & conſilium volunt intelligi, ſed effectus, quos invidia habet inter homines. Jupiter poëtæ hic Εὐθυβόλημων eſt, malevolam invidentiam a ſe removet.

29 *Oblimat* honeſta Metaphora a canalibus & incilibus agrorum, ubi limus impedit fluxum aquæ. Videtur reſpexiſſe ad Virg. Ge. 3, 136 *Nimio ne luxu obtuſior uſus ſit genitali arvo, & ſulcos oblimet inertes.* In agro quem limus occupat, h. e. in limo, quam diu limus eſt, nihil poteſt naſci.

30 Illud *ut* eſt imperantis, precantis, exſecrantis &c. hoc eſt, omittuntur verba, impero, precor & ſimilia. V. G. Hor. Sat. 2, 1. 43 *O pater & rex Jupiter, ut pereat poſitum rubigine telum!* Narrat igitur Jupiter ſe aurea patris ſui tempora ideo ſuſtuliſſe, ut egeſtas excitaret homines ad agendum. Apparet, & pulchre vidit Parrhaſius, poëtam præ oculis habuiſſe Virgilii Ge. 1, 121 unde ponemus, quæ unice hunc locum declarant licet pluſcula ſint. *Pater ipſe*, Jupiter, *colendi Haud facilem eſſe viam voluit —— Nec torpere gravi paſſus ſua regna veterno. Ante Jovem nulli ſubigebant arva coloni —— Ille, Jupiter, Mella decuſſit foliis, —— Et paſſim rivis currentia vina repreſſit, Ut varias uſus meditando extunderet artes* &c. Totus ille locus divinus eſt, quem brevius attingit hic Jupiter.

33 *Nunc*, poſtquam hæc ita conſtitui, & homines tamen nimis adhuc vel hebetes, vel ad ſua commoda tardi, laborent inopia, iraſcitur mihi Natura mater &c.

33 *Natura* igitur etiam perſona, etiam Dea, non modo ſequioris

Immitemque vocat, regnataque ſæcula patri
Commemorat, parcumque Jovem ſe divite clamat.
Cur campos horrere ſitu, dumiſque repleri
Rura velim, & nullis exornem fructibus annum?
Se jam, quæ genitrix mortalibus ante fuiſſet,
In diræ ſubito mores tranſiſſe novercæ.
Quid mentem traxiſſe polo quid profuit altum
Erexiſſe caput, pecudum ſi more pererrant
Avia, ſi frangunt communia pabula glandes?
Hæccine vita juvat ſilveſtribus abdita luſtris,

Indiſcreta

38 nullisque *MSS.*

ætatis poëtis, ut Papinio Theb. II, 466 it. Achill. I, 488 ubi plura hujus generis dedit Barthius: ſed etiam patri Theologiæ poëticæ Orpheo, h. e. auctori Hymnorum, qui nomen illud præferunt. Pulchra ibi omnia: ſed ponemus quædam (p. 106) unde, quam late naturæ nomen antiquis illis patuerit, queat intelligi. Ω Φύσι παμμήτειρα θεὰ, πολυμήχανε μῆτερ, —— Πανδαμάτορ, ἀδάμαστε, κυβερνήτειρα —— παντοκράτειρα —— Αφθιτε, πρωτογένεια —— δεινοκάθεκτε, Αψοφον ἀστραγάλοισι ποδῶν ἴχνος εἱλίσσουσα —— Αυτοπάτωρ, ἀπάτωρ —— Αυτάρκεια, δίκη, χαρίτων πολυώνυμε πειθώ. Πικρὰ μὲν φαύλοισι, γλυκεῖα δὲ πειθομένοισι —— Αἴδιος ζωὴ, ἠδ' ἀθανάτη τε πρόνοια, Πάντα σὺ ἐσσὶ, τὰ πάντα σὺ γὰρ μούνη τάδε τεύχεις. Quæ ſic ad verbum reddas: Natura mater omnium, multa machinans, Domitrix omnium ipſa invicta, gubernatrix, omnipotens, Immortalis, primogenita, deprehenſu difficilis, ſine ſtrepitu talis pedum trahens veſtigia, Ipſa tibi pater, patre carens, ſufficientia, jus, gratiarum conciliatrix multis nominibis diſtincta, Amara malis, dulcis obſequentibus. —— Aeterna vita, immortalis Providentia, Omnia tu es, omnia enim hæc tu ſola facis. In fine Dea invocatur, ut pacem, valetudinem, & incrementa omnium adducere velit. Infelicitas fuit illorum ſæculorum, quod ab opere ſuo auctorem non ſatis diſtinxerunt: ſed de Deo eiusque operibus divinitus multa ſunt dicta in hymnis illis Orphicis. Sed redimus ad Claudianum. Hic facit expoſtulantem cum Jove Naturam: fingit pugnam inter attributa & conſilia divina.

41 Quid juvat homines igneus ille vigor, illa cæleſtis origo, ille vultus ad ſidera erectus &c.

43 *Glandes* antiquis hominibus commune cum aliis animalibus, ante fruges inventas, pabulum aſſignant poëtæ. Vid. ad 33, 30. Lubuit rei pervulgatæ hiſtoriam, ſed breviſſime texere. Cum Heſiodus in aureæ ætatis deſcriptione adhuc poſuiſſet, Εργ. 233. Δρῦς Ἄκρη μέντι φέρει βαλάνους μέσση δὲ μελίσσας· Homerus contra Troicis temporibus βαλάνους h. e. glandes ſuibus tantum aſſignat Οδ. Κ, 242 & Ν, 409: ut ante Heroica illa tempora jam σῖτον, frumentaceum cibum ſolemnem fuiſſe hominum, intelligamus. Porro priſcos illos βαλανηφάγους aureæ

ætati

Indiſcreta feris? Tales cum ſæpe parentis
Pertulerim queſtus, tandem clementior orbi
Chaonio ſtatui gentes avertere victu.
Atque adeo Cererem, quæ nunc ignara malorum
Verberat Idæos torva cum matre leones,
Per mare, per terras avido diſcurrere luctu
Decretum, natæ donec lætata repertæ
Indicio, tribuat fruges, curruſque feratur
Avius, ignotas populis ſparſurus ariſtas,
Et juga cærulei ſubeant Actæa dracones.
Quod ſi quis Cereri raptorem prodere Divum
Audeat: imperii molem, paœmque profundam
Obteſtor rerum, natus licet ille, ſororve,
Vel conjux fuerit, natarumve agminis una,

48 atque ideo *Ald. Plant. MSS.*

ætati adſcribit Juvenal. 6, 1 ubi laudatur uxor *Horridior glandem ructante marito.* Indicare idem videtur Plutarchus in principio libelli de eſu carnium ſ. p. 993, F. Βαλανὺς γευσάμενοι, inquit, καὶ φαγόντες ἐχόρευσαν ὑφ' ἡδονῆς περὶ δρῦν τινα, καὶ φηγόν (fagum, a quo ipſum φαγεῖν dictum volunt quidam Grammatici) ζειάωρον τε καὶ μητέρα, καὶ τροφὸν ἀποκαλοῦντες ἐκείνην. Honorem quem poſteri habuere Telluri Matri, Cereri, fago illi habuere. Arcades, ſtudioſi & jactatores antiquitatis, quod mediterranei eſſent, & a navigantium commerciis alieni, videntur diutius etiam hanc rationem retinuiſſe, propter quam rem in veteri oraculo, quod refert Herodotus 1, 66 deſignantur per βαλανηφάγους ἄνδρας. conf. Pauſa. Arcad. ſ. 8 pr. Aelia. H. V. 3, 39. Plura de βαλανηφαγίᾳ tum antiqua illa, tum ætatis poſterioris collegit Meurſ. ad Lycophr. 483. Illud ad rem noſtram pertinet addere, defectu glandis & inopia compulſos ad agriculturam homines, indicari etiam a Virgilio Ge. 1, 148 *Cum jam glandes & arbuta ſacræ Deficerent ſilvæ, & victum Dodona negaret.* Contra poſt inventas fruges calamitatis & famis remedium quercus, Georg. 1, 159: aut ſtultæ factæ ruditatis indicium, Cic. Orat. c. 9 *Quæ eſt enim in hominibus tanta perverſitas, ut inventis frugibus glande veſcantur.*

47 *Chaonia* pars Epiri, in qua eſt Dodona, quercuum & glandium patria.

49 Ad matrem ſuam & aliorum Deorum Cybelen ſalutatum ierat Ceres; hic *attigit Iden* 33, 200: hic cum matre Leonibus vehitur.

54 *Dracones* vectura Cereris, qui 33, 200 *fulvi ſerpentes* vocantur, hic *cærulei*: nempe utrumque colorem ſquamæ illæ referunt. Hunc currum ſuum commodavit Ceres Triptolemo Attico ſ. *Actæo*, in Eleuſine pago habitanti, ut munus frugum terris eo celerius feliciusque impertiret.

Se licet ille meo conceptum vertice jactet,
Sentiet iratam procul ægida, ſentiet ictum
Fulminis, & genitum divina ſorte pigebit,
Optabitque mori: tunc vulnere languidus ipſi
Tradetur genero, paſſurus prodita regna,
Et ſciet an propriæ conſpirent Tartara cauſſæ.
Hoc ſanctum. manſura fluant hoc ordine fata.„
Dixit, & horrendo concuſſit ſidera motu.
At procul armiſoni Cererem ſub rupibus antri
Securam placidamque diu jam certa peracti
Terrebant ſimulacra mali, noctesque timorem
Ingeminant, omnique perit Proſerpina ſomno.
Namque modo adverſis invadi viſcera telis,

Nunc

59 ſcilicet *Ald. Junt. Baſ. Plant.* illa --- conceptam *ante Heinſ.*
60 iratum, procul ægide *ex MSS. volebat Heinſ.* 62 ſaucius *Ald.*
66 nutu *MSS. boni ap. Heinſ. cui placet merito.* 71 immiſſis *Vic. Junt. Baſ. Plant. Clav. Raph. Barth.* adverſis *Vien. Parrhaſ. Ald.*

59 *Minervam* deſignat, quæ objecerat ſe Plutoni 35, 205 ſqq. quod autem maſculino genere loquitur diſſimulandæ perſonæ cauſa ajunt factum. Sed non diſſimulo, poſt conſideratam lectionis varietatem, mihi videri, Minervam hic deſignari tanquam cariſſimam, ut aliæ & alii tanto magis metuant; totumque locum ita conſtituendum. *Se licet illa meo conceptam vertice jactet, Sentiet iratum* me, *procul* a ſua *ægide*, quam meo conceſſu habet. *Procul*, ut *longe illi Dea mater erit* Aen. 12, 52. Ceterum Heinſianæ, quam retinuimus, lectionis hæc ſententia, *Sentiet iratam ægida meam* etiam *procul* ſ. e longinquo terribilem.

63 *Pati prodita regna* eſt ſuſtinere poenam regni proditi: *conſpirant* autem *Tartara cauſæ propriæ*, cum traditum ſibi proditorem ſuum eo gravius ulciſcuntur, ut ſi quis, ob læſum carnificem ipſi carnifici quem læſit in cruciatum dedatur.

65 *Hoc ſanctum* ſ. ſancitum eſto. Hinc *ſanctæ* leges dicuntur, præſertim ob pœnam adjectam, quam partem legis pœnalem ſanctionem appellant. *Fata* etiam hic Jovi ſubjicit, fatum eſt, quidquid fatus eſt, futurum juſſit Jupiter.

66 Aperta alluſio ad Homericum Jovem, qui ubi juravit Thetidi, Ιλ. Α, 530 *μέγαν ἐλέλιξεν Ὄλυμπον*, quod reddit Virg. Aen. 10, 115 *nutu tremefecit Olympum.*

67 *Armiſonum antrum*, propter furioſos tumultus Curetum, Corybantum. V. 33, 209.

71 Somniat Ceres ex diſciplina oneirocritica. Artemid. 1, 46 p. 40 pr. Καὶ γὰρ οἱ παῖδες σπλάγχνα λέγονται. Etiam de veſtibus idem 2, 3 p. 84 pr. ἔστιν ἡ μέλαινα ἐσθὴς πᾶσι πονηρά. Denique 2, 25 p. 113 med. Orni quæ ſunt ſilveſtres

Nunc ſibi mutatas horret nigreſcere veſtes,
Nunc ſteriles mediis frondere penatibus ornos.
Stabat præterea luco dilectior omni
Laurus, virgineos quæ quondam fronde pudica
Umbrabat thalamos. hanc ima ſtirpe reciſam
Vidit, & incomtos fœdari pulvere ramos.
Quærentique nefas Dryades dixere gementes,
Tartarea furias debellaviſſe bipenni.
Sed tunc ipſa, ſui jam non ambagibus ullis
Nuntia, materno facies ingeſta ſopori.
Namque videbatur tenebroſo obtecta receſſu
Carceris, & ſævis Proſerpina vincta catenis,
Non qualem Siculis olim mandaverat arvis,
Nec qualem roſeis nuper convallibus Hennæ
Suſpexere Deæ. ſqualebat pulcrior auro
Cæſaries, & nox oculorum infecerat ignes.
Exhauſtuſque gelu pallet rubor. Ille ſuperbi
Flammeus oris honos, & non ceſſura pruinis

76 imo ſtipite cæſam *ante Claver.* *Sed* ima ſtirpe reciſam *etiam Baſ. marg.* 78 quæſivitque *ante Claver.* *Sed* quærentique *Baſ. marg.* 80 ſed tamen *MS.* *unde* ſed tandem *conj. Heinſ.* 81 inſerta *vulg. ante Heinſ.* impreſſa, immiſſa, *marg. Plant.* ingeſta *Ald. Heinſ.* *qui illuſtrat.* 83 *pro* ſævis, duris *MSS.* 85 Aetnæ *omnes.* *Sed* Hennæ *docuit Spanh. ad Callim.* p. 675. 88 exuſtusque *conj. Heinſ. recte, puto.*

veſtres fraxini, μελέαι διὰ τὸ ἄκαρπον πενίας καὶ ἀποφίας εἶσι σημεῖον. *Sterilis* ornus, orbitatis ſymbolum.

75 Etiam illud de *lauro* eſt ex diſciplina Artemidori. *Laurus* enim 2, 25 p. 113 pr. ſ. δάφνη γυναῖκα σημαίνει —— εὔμορφον, διὰ τὸ χαρίεν.

78 *Dryades* Nymphæ arboribus cognatæ & annexum illis fatum habentes.

88 *Superbum os* eſt vultus regii faſtigii dignitatem æquans, non ad mores refertur: ut *ſuperbi poſtes* e. i. g. a.

89 Comparatio eo jucundior, quo rarior: nec enim minus candida eſt pruina nive, qua omnes in hac re utuntur.

98 *Lecænas* matris tuæ, quibus in hoſpitio illius vecta es. Has ac tigrides nominari in crudelitatis exprobratione ſolemne eſt: cf. 105. Illud ex humanorum animorum cognitione ſcite a poëta obſervatum, miſerias ſuas augere homines, culpa illarum ſibi mutuo imputanda, ut hic matrem aſpere & pene impie accuſat Proſerpina.

Membra colorantur picei caligine regni.
Ergo hanc ut dubio vix tandem agnoscere visu
Evaluit: „*Cujus tot pœnæ criminis?* inquit.
Unde hæc informis macies? cui tanta facultas
In me sævitiæ est? rigidi cur vincula ferri
Vix aptanda feris molles meruere lacerti?
Tu, mea tu proles? an vana fallimur umbra?„
Illa refert: „*Heu dira parens, nataque peremtæ*
Immemor, heu fulvas animo transgressa lecnas,
Tantane te nostri tenuere oblivia? tantum
Unica despicior? certe Proserpina nomen
Dulce tibi, tali quæ nunc, ut cernis, hiatu
Suppliciis inclusa teror. tu sæva chorcis
Indulges, Phrygiasque etiamnum interstrepis urbes.
Quod si non omnem populisti pectore matrem,

Si

91 vultu *ante Heinf.* 93 potestas *ante Heinf.* 102 feror *al. præter Ald. & Heinf.* trahor & teror *MSS. ap. Clav.*

101 *Hiatum* hic oportet cogitare ut apertam specum, quæ cum horribili magnæ feræ vel draconis victu comparetur. Et diu est cum solent locum æternorum suppliciorum sic pingere pictores, & poëta talibus nominibus appellare. V. 82 *tenebrosum carceris recessum* dixerat. *Suppliciis teror* posset forte dici de damnatis & infelicibus: sed in Proserpina malim jungi cum *inclusa*, ac tertio casu intelligi, ut se ad supplicia servari queratur. Nempe ipsa apud inferos commoratio pœna est. Itaque Homericus Achilles Od. Λ. 488 apud Ulyssem fatetur, se malle quamvis humili conditione vivere apud superos, quam imperare mortuis omnibus, Βουλοίμην κ' ἐπάρουρος ἐὼν θητευέμεν ἄλλῳ Ἀνδρὶ παρ' ἀκλήρῳ, ᾧ μὴ βίοτος πολὺς εἴη, Ἢ πᾶσιν νεκύεσσι καταφθιμένοισιν ἀνάσσειν. quo nomine male de Achille, pejus etiam de se meritus est bonus Homerus. Hæc prima causa est, ob quam illum de sua republica exesse jussit Plato, certe hi primi versus, quos deleri jubet libro 3 pr. p. 432, C. ubi rogandos ait poëtas, ne simpliciter vituperent inferos&c. Neque effugit hic locus nasum Luciani Dial. mort. 15 p. 399 ubi facit Antilochum dicere Achilli, hanc vocem ignavi potius Phrygi & vitæ cupido convenire, quam Pelidæ, Chironis & Phœnicis discipulo &c. Neque magna operæ pretia feciſſe videtur in Homero hic defendendo Daceria. Sapientius Romanus poëta αὐτόχειρας inducit Aen. 6, 436 *Quam vellent æthere in alto Nunc & pauperiem & duros perferre labores.* Sed nos hoc modo voluimus, supplicium videri Proserpinæ ipsam apud inferos commorationem.

102 Vid. ad v. 49.

Si tu nota Ceres, & non me Caſpia tigris
Edidit: his oro miſeram defende cavernis,
Inque ſuperna refer. prohibent ſi fata reverti;
Vel ſaltem viſura veni.„ Sic fata trementes
Tendere conatur palmas. vis improba ferri
Impedit, & motæ ſomnum excuſſere catenæ.
Obriguit viſis. gaudet non vera fuiſſe,
Complexu caruiſſe dolet. Penetralibus amens
Proſilit, & tali compellat voce Cybellen.
„Jam non ulterius Phrygia tellure morabor,
Sancta parens. revocat tandem cuſtodia cari
Pignoris, & cunctis objecti fraudibus anni.
Non mihi, Cyclopum quamvis exſtructa caminis,
Culmina fida ſatis. timeo, ne fama latebras
Prodiderit, leviuſque meum Trinacria celet
Depoſitum. Terret nimium vulgata locorum
Nobilitas. aliis ſedes obſcurior oris
Exquirenda mihi. Gemitu flammiſque propinquis
Enceladi nequeunt umbracula noſtra taceri.
Somnia quin etiam variis infauſta figuris
Sæpe monent, nulluſque dies non triſte minatur

105 ſancta Ceres *ante Heinſ.* ſi tua nata Ceres *MS.* & ne non *Ald.* & me non *Baſ. marg.* & non te *vulg.* 106 catenis *ante Heinſ.* 116 *pro* cunctis, certis *MSS.* cautis *MS.* 125 movent *al.*

105 Plane ut Virgiliana Dido Aen. 4, 365 *Duris genuit te cautibus horrens Caucaſus, Hyrcanæque admorunt ubera tigres.*

106 *Defende*, depelle, vi hinc aufer.

115 *Sanctos* vocare ſolent homines parentes vita functos, & in communionem Deorum receptos, ut ille Scipio Africanus in Somnio c. 3 *Pater ſanctiſſime*, inquit, *atque optime.* Hic Dea Deam matrem quid ni *ſanctam* vocet?

116 *Objecti fraudibus anni*, ætas puellaris, quam ſuperioris libri narratio non ſatis cautam fuiſſe oſtendit.

117 *Cyclopum educta caminis Mœnia* ſunt Virg. Aen. 6, 630.

122 *Gemitus & flammæ* vicini Aetnæ invitant curioſitatem hominum ac Deorum, qui per hanc occaſionem etiam ad Hennam poſſunt attenti fieri.

125 *Nullus non dies minatur triſte augurium.* In augurio nihil eſt niſi

Augurium. Quoties flaventia ſerta comarum
Sponte cadunt: quoties exſudat ab ubere ſanguis;
Larga vel invito prorumpunt flumina vultu,
Injuſſæque manus mirantia pectora tundunt!
Si buxos inflare velim, ferale gemiſcunt:
Tympana ſi quatiam, planctus mihi tympana reddunt.
Ah vereor, ne quid portendant omina veri:
Heu longæ nocuere moræ! „Procul irrita venti
Dicta ferant, ſubicit Cybele, *non tanta Tonanti*
Segnities, ut non pro pignore fulmina mittat.
I tamen, & nullo turbata revertere caſu.„
Hæc ubi; digreditur templis. ſed nulla ruenti
Mobilitas. tardos queritur non ire jugales.
Immeritaſque movens alterno verbere pinnas
Sicaniam

127 exundat *Ald. & Heinſ. ex MSS.* 133 ne *pri. editt. MSS. unde* Næ *conj. Heinſ. Sed* Heu *inde ab Aldo.* 134 ſubiit *MSS. ut* 8, 353. 135 ſumat *Baſ. marg. Plant. marg.* 137 ſat nulla *conj. Heinſ.* 138 dracones *Baſ. marg.* 139 pœnas *Vic. Parrhaſ. Vien. Junt.* pennas *Ald. Heinſ.* pinnas *Baſ. Plant. Clav. Raph. Barth. quos ſequor.*

niſi *minæ*: augurium eſt ſignificatio minarum, aut quaſi vultus minax, Dei. Eſt itaque ex eo genere oratio, ut ſi dicas *minatur minas.*

126 *Flaventia ſerta*, quia ſunt de ſpicis. Hor. Car. Sæc. 30 *Tellus ſpicea donet Cererem corona!*

127 *Exſudat* modo guttam unam alteramque ſignificat: hoc omen eſſe poteſt, ut gutta una alteraque ſtillans de naribus: *exundat* morbus fuerit, hæmorrhagia a cancro, vel vulnere.

130 Inſtrumenta nominat, quibus Cybeleia cohors ſolebat uti. Cf. 33, 208 ſq.

234 *Subicit* conſueta forma pro *ſubjicit*, ut *obicis*. Vid. ad 8, 365.

137 *Templa* Cybelæ ſunt etiam ſpecus & montes ut Ida, Dindyma &c.

138 Hi *jugales* ſerpentes juncti ſunt. Vid. 33, 180.

139 Nunc hunc nunc alterum ſerpentem verberibus ad movendum ocius *pinnas* impellit: *pinnas*, inquam, quod nomen a *pennis* origine & antiquiſſimo uſu forte non differt, & frequenter in MSS. permutatur: ſed tamen videntur jam Quinctiliani ætate Grammatici, quos ipſe probat, *pinnas* potius tribuiſſe tum alis majorum avium, tum propter ſimilitudinem quandam piſcibus, ac deinde murorum ſummis marginibus. Dixi olim ad Quinctil. 1, 4. 12 & obſervavi certe de ſynonymia idem viſum & Cannegietero ad Avia. fab. 2 p. 18, b. Itaque nec damnare ſimpliciter auſim *pennatos ſerpentes* Ovid. Met. 7, 350. Sed multo minus velim

Met.

Sicaniam quærit, cum nec dum abſconderit Iden.
Cuncta pavet, ſperatque nihil. Sic æſtuat ales,
Quæ teneros humili fetus commiſerit orno
Allatura cibos, & plurima cogitat abſens:
Ne fragilem ventus diſcuſſerit arbore nidum:
Ne furtum pateant homini, neu præda colubris.
Ut domus excubiis incuſtodita remotis,
Et reſupinati neglecto cardine poſtes,
Flebilis & tacitæ ſpecies apparuit aulæ;

140 aſcenderit *primæ editt.* abſconderit *jam Baſ. marg.*
144 gracilem *ante Heinſ.*

Met. 3, 671 & mox 678 *pinnas* novorum Delphinorum mutare in *pennas*.

140 Pulchre pingit impatientiam amoris & ſolicitudinis maternæ. Nondum *abſcondidit* h. e. ex oculis propter diſtantiam locorum amiſit Iden Phrygiæ, & jam quærit oculis Siciliam. Laudavit Heinſius Aen. 3, 291 *Protinus aërias Phæacum abſcondimus arces.*

141 Suavis & lepida eſt imago metuentis ſuo nido aviculæ: ſed an probari poſſit paullo ſubtilius cogitantibus non dixero. Similitudo inventa eſt, ut res magis ipſi quoque ſenſui appareat. Quid autem cogitet, immo an cogitet? mater hæc ales ad nidum ſuum feſtinans, non apparet. Nimium explicata cogitatio avis avertit animum lectoris a pictura, quæ ſenſum intrare debebat. Multo ſalubrior Horatius Epod. 1, 19 *Ut aſſidens implumibus pullis avis ſerpentium allapſus timet Magis relictis; non, ut adſit, auxilî Latura plus præſentibus.* Hæc poſſunt ex actu gallinæ conjici: ille actus gallinæ comparatur cum actu poetæ. Hic, quid Dea cogitaverit, docetur ex cogitationibus avis.

147 *Reſupinati poſtes* ſunt ipſæ valvæ, ac ne quidem jacentes, ſed reflexæ tantum, verbo, apertæ. Nec enim expugnata fuit domus, ſed deſerta modo, prodeunte ſponte domina. Unice huc facit Propert. 4, 8. 49 Hic *ſubito rauci ſonuerunt cardine poſtes:* —— deinde *totas reſupinat Cynthia valvas.* Ut ſoleo libenter prætermiſſa in Theſauris revocare, ita hic ponam loca quædam, in quibus aperte *poſtes* non paraſtadas & ſtantia tigna januarum, ſed ipſas valvas notant. Igitur Virg. Ge. 2, 463 *Varii pulchra teſtudine poſtes*, jam comparati a Servio cum Luca. 10, 120 *Suffixa manu foribus teſtudinis Indæ Terga ſedent.* Laminis teſtudineis non poſtes proprie dictos ornant, ſed valvas. Aen. 2, 480 *Poſtes a cardine vellit*, & 493 *Emoti procumbunt cardine poſtes.* Et 7, 621 *Cardine verſo Belli ferratos rupit Saturnia poſtes.* Tibull. 1, 1. 87 *Frangere poſtes*, & 1, 2. 31 *Reſeret modo Delia poſtes.* Propert. 1, 16. 15 *Ille meos nunquam patitur requieſcere poſtes*, de verſiculis inſcriptis: & 4, 9. 61 de Hercule, *Humeris poſtes concuſſit opacos.* Potuit Hercules totam domum evertere; ſed hic voluit modo irrumpere in conclave. Iterum Virgilius Aen. 8, 227 de Caco, *Fulto emunit objice poſtes.* Obice firmantur valvæ. Sic Aen. 11, 890 *Arietat in portas & duros objice poſtes.*

Non exſpectato reſpectu cladis, amictus
Conſcidit, & fractas cum crine avellit ariſtas.
Hæſerunt lacrimæ: non vox, non ſpiritus oris
Redditur, atque imis vibrat tremor oſſa medullis.
Succidui titubant greſſus, foribuſque recluſis,
Dum vacuas ſedes & deſolata pererrat
Atria, ſemirutas confuſo ſtamine telas,
Atque interceptas agnoſcit pectinis artes.
Divinus perit ille labor, ſpatiumque relictum
Audax ſacrilego ſupplebat aranea textu.
Nec deflet, plangitve malum: tamen oſcula telæ
Figit, & abrumpit mutas in fila querelas.
Attritoſque

149 exſpectatæ *Claver. & probat Heinſ.* 151 aut ſpir. *vulg.* non ſpir. *etiam Plant. marg.* ori *MS.* 152 en imis *Baſ. marg.* 159 tantum oſc. *MSS. & Baſ. marg. Recte puto.* 160 *Velim inveniri in bono libro* abſumit.

149 Non exſpectat Ceres alium aſpectum cladis ſuæ: ſatis indicant valvæ patentes, quid actum ſit.

150 Furor doloris non abjicit coronam ſpiceam, deinde invadit in crines: ſed uno impetu agit utrumque.

151 *Hæſerunt lacrimæ:* in malo domeſtico & nimis prope animum matris tangente, dolorem non ſunt ſecutæ lacrimæ. Sic Pſammenitus Aegyptius rex in filiæ ignominia & filii morte immobilis, in lacrimas & ejulatum erumpit ad calamitatem humilis amici. Τὰ μὲν, inquit, οἰκήια ἦν μέζω κακὰ, ἢ ὥστε ἀναχλαίειν. Herodot. 3, 14.

152 Virgiliana imitatio Aen. 2, 120 *Gelidusque per ima cucurrit Oſſa tremor.* Illud *vibrat* vehementiam tremoris pulchre exprimit.

153 *Fores* hic interiores conclavium & membrorum domus intelligi debere, verſus 147 indicat.

157 *Semirutus* urbium, mœniumque epitheton negligenter & feſtinato abjectam relictamque telam indicat, quæ nec ſtaret jam nec jaceret: *confuſum ſtamen* ablato pectine, quo diſtinguuntur. *Divinus labor*, quem deſcripſit 33, 246 ſqq.

160 *Mutas querelas abrumpit* ſignificat, ſubito deſinit; ſed hoc repugnat conſilio poëtæ, cui forte melius conveniat *abſumit*, impendit, conſumit in fila a filia tractata, gemitus & tacitas querelas. Hæc facilius intelliget, qui vidit matrem filii ſui mortui veſtimenta aut alias reliquias recenti luctu tractantem. Literarum s & r quanta ſit in quibusdam MSStis ſimilitudo conſtat. Mutata ſemel in *r* litera *ſ*, cum *abrumpit* ſenſu careret, varam ſecuta eſt vibia, aſſumto p factum *abrumpit*.

Attritoſque manu radios, projectaque penſa,
Cunctaque virgineo ſparſa oblectamina ludo,
Ceu natam, preſſat gremio: caſtumque cubile
Deſertoſque toros, &, ſicubi ſederit olim,
Perlegit. Attonitus ſtabulo ceu paſtor inani,
Cui pecus aut rabies Pœnorum inopina leonum,
Aut populatrices infeſtavere catervæ:
Serus at ille redit, vaſtataque paſcua luſtrans
Non reſponſuros ciet imploratque juvencos.
Atque ibi ſecreta tectorum in parte jacentem
Adſpicit Electram, natæ quæ ſedula nutrix
Oceani priſcas inter notiſſima Nymphas.
Par Cereri pietas. Hæc poſt cunabula dulci
Ferre ſinu, ſummoque Jovi deducere parvam
Sueverat, & genibus ludentem aptare paternis.
Hæc comes, hæc cuſtos, hæc proxima mater haberi.
Tum laceras effuſa comas & pulvere canos
Sordida ſidereæ raptus lugebat alumnæ.
Hanc aggreſſa Ceres, poſtquam ſuſpiria tandem
Laxavit frenoſque dolor, „*Quod cernimus*, inquit,
Excidium?

163 carumque *Baſ. marg.* 166 quem lupus *vulg.* cui pecus *Baſ. marg. & Plant. marg. Raph. Barth. Heinſ.* 170 atque ubi *conj. Heinſ.* 176 prox. ſemper *MS.* 177 diffuſa *MSS. Plant. marg.* genas *Baſ. marg. Plant. marg.* lacrimas effuſa *MS.* lacrimis afuſa, ſuffuſa, offuſa *conj. Heinſ.*

165 *Perlegere* eſt attente conſiderare: ut ſocii Aeneæ apud Virg. 6, 34 valvas templi & ſculpta argumenta a Dædalo *perlegunt*. Qui legunt aut perlegunt ſcriptum, ii animo literam unam poſt alteram *legunt*, h. e. tollunt, & deinde colligunt in ſyllabas ac voces.

166 *Pœni leones* ſunt etiam Virg. ecl. 7, 25.

171 *Electræ* nomen frequens in antiqua Mythologia, a pulchritudine & ſplendore ductum: hæc noſtra de millibus tribus Oceanidum nympharum una eſt, quas ex Tethye ſuſcepit pater Oceanus. Apollod. Bibl. 1, 2. 2. Eadem forte mater Iridis, de qua ad 36, 1.

180 *Dolor* nimius, qui adhuc ut aqua adverſis clauſtrorum valvis incumbens, aut nimia multitudo ſimul portis cupiens exire, ſibi velut obſtruxerat viam, nunc tandem prorumpit in verba. Miſcet duas ſimilitudines, unam, quam diximus, alteram ab equo frenis retento.

Excidium? cui præda feror? regnatne maritus?
An cælum Titanes habent? quæ talia vivo
Auſa Tonante manus? rupitne Typhœia cervix
Inarimen? fractane jugi compage Veſevi
Alcyoneus per ſtagna pedes Tyrrhena tucurrit?
An vicina mihi quaſſatis faucibus Aetna
Protulit Enceladum? noſtros an forte penates
Appetiit centum Briaréïa turba lacertis?
Heu, ubi nunc, ubi nata mihi? quo mille miniſtræ,
Quo Cyane? volucres quæ vis Sirenas abegit?
Hæccine veſtra fides? ſic fas aliena tueri
Pignora?„ Contremuit nutrix, mærorque pudori
Ceſſit, & aſpectus miſeræ non ferre parentis
Emtum morte velit, longumque immota moratur
Auctorem dubium certumque expromere funus.
Vix tamen hæc: *„Acies vtinam veſana Gigantum*
Hanc dederit cladem! levius communia tangunt:
Sed Divæ, multoque minus quod rere, ſorores
In noſtras nimium conjuravere ruinas.

Inſidias

188 arripuit *MSS.* 189 nunc eſt nata *vulg. unde* nunc es *conj. Heinſ. & habent MSS.* 192 timori *vulg.* pudori Cedit *MSS.* 197 tangant *conj. Heinſ.*

181 *Cui præda feror?* Vehemens communicatio: ſe prædam dicit ferri, cum abripitur filia, ea ratione, ut *proximus ardet Vcalegon*, cum illius domus incenſa eſt. Aen. 2, 312.

181 *Maritum* vocat Jovem, improprie, & indignante Junone. Obſcena fabula apud Arnob. 5 p. 170 de Cerere, matre eadem Jovis, ab hoc filio ſuo in taurum converſo compreſſa, enataque inde Proſerpina, quam ipſam quoque in ſerpentem ſ. draconem verſus corruperit. Verum hæc non pertinent ad conſtantes illas fabulas, quæ velut fundum Mythologiæ poëticæ conſtituunt, ſed ad mythos ſymbolicos phyſiologicosque.

183 De Typhoëo & Inarime vid. ad 27, 18. De Encelado ad 33, 153.

185 *Alcyoneus* cum Porphyrione princeps gigantum Deos oppugnantium, cujus hiſtoriam habet Apollod. 1, 6. 1. Magnitudinem ejus pulchre ſignificat noſter. De *Briareo* ad 21, 304.

190 De *Cyane* dictum ad 35, 61. De *Sirenibus* res aperta fit, ſi quis conferat noſtrum infra v. 205 & 256 ſqq.

194 Imitatio Virgiliana Aen. 10, 403 *Turno tempus erit, magno cum optaverit emtum Intactum Pallantæ.*

Inſidias Superum, cognatæ vulnera cernis
Invidiæ. Phlegra nobis infenſior æther.
Florebat tranquilla domus, nec limina virgo
Linquere, nec virides audebat viſere ſaltus
Præceptis obſtricta tuis. Telæ labor illi,
Sirenes requies; ſermonum gratia mecum,
Mecum ſomnus erat, cautique per atria ludi.
Cum ſubito (quonam dubium monſtrante latebras
Reſcierit) Cytherea venit, ſuſpectaque nobis
Ne foret, hinc Phœben comites hinc Pallada junxit.
Protinus effuſo lætam ſe fingere riſu.
Nec ſemel amplecti, nomenque iterare ſororis,
Et dura de matre queri, quæ tale receſſu
Maluerit damnare decus, vetitoque Dearum
Colloquio patriiſque procul mandaverit aſtris.
Noſtra rudis gaudere malis, & nectare largo
Inſtaurare dapes. Nunc arma habitumque Dianæ
Induitur, digitiſque attentat mollibus arcum.
Nunc crinita jubis galeam, laudante Minerva,
Implet,

200 cognataque *ante Heinſ.* 201 incenſior *editi fere omnes ante Heinſ. Sed* infenſior *antiqua manus ad Vien. Parrh. Baſ. marg. MSS. Barth. in Comm.* 206 caſtique *vulg.* cautique *Ald. MSS.* gratiq. tacitiq. *Plant. marg.* 207 tenebras Præſcierit *ante Heinſ. Sed* latebras Reſc. *Plant. marg. & MSS.* 209 hinc plebe com. *Vic.* duxit *MSS.* 213 vetitamque *vulg.* vetitoque *jam Baſ. marg. & MS.* 214 patriis procul abſentaverit *Vic. Parrh. Vien. Baſ. Junt. Plant. Stal. Barth.* amandaverit *Baſ. marg. Claver.* emandaverit, *it.* procul a patriis mandaverit *Plant. marg.* pr. a p. damnaverit *conj. Barth. Noſtra lectio eſt Ald. & Heinſii ex MSS.*

197 *Communia* mala tolerabiliora propriis. Illud Titanum bellum intentatum DIs omnibus: hæc calamitas tua peculiaris, illata non a communi hoſte, ſed a proximis, a Proſerpinæ tuæ ſororibus,

201 De *Phlegra* dictum ad 27, 20. Hic aciem gigantum indicat, contra Deos ibi pugnantium

215 Proſerpina *rudis* nova, imperita blanditiarum fallacium, gaudebat tanquam felicitate aliqua inſperata, *malis*, certe periculis, ſuis.

216 Hic etiam locus pulcherrimus, & Alexandrini leporis atque ingenii plenus.

218 *Crinita* fit *jubis*, dum laudibus Minervæ ſibi placens galeam illius ſuo capite implet. Illud *laborat* indicat puellarem conatum nondum paris ferendo oneri.

Implet, & ingentem clipeum geſtare laborat.
Prima Venus campos Hennæaque rura maligno
Ingerit affatu. Vicinos callida flores
Ingeminat, meritumq e loci, velut inſcia, quærit.
Nec credit, quod bruma roſas innoxia ſervet,
Quod gelidi rubeant alieno germine menſes,
Verna nec iratum timeant virgulta Booten.
Dum loca miratur, ſtudio dum flagrat eundi,
Perſuadet. Teneris, heu, lubrica moribus ætas!
Quos ego nequidquam planctus, quas irrita fudi
Ore preces? Ruit illa tamen conſiſa ſororum
Præſidio. Famulæ longo poſt ordine Nymphæ.
Itur in æterno veſtitos gramine campos,
Et prima ſub luce legunt, cum rore ſerenus
Albet ager; ſparſoſque bibunt violaria ſuccos.
Sed poſtquam medio ſol inſtitit altior axi,
Ecce polum nox fœda rapit, tremefactaque nutat
Inſula cornipedum ſtrepitu, pulſuque rotarum.
Noſſe nec aurigam licuit: ſeu mortifer æſtus,
Seu mors ipſa fuit. Luror permanat in herbas.

Deficiunt

220 Aetnæa *vulg. V. N. ad 33, 122.* 221 afflatu *ex MSS. Heinſ.* affatu *omnes edd.* 224 gramine *vulg.* 231 germine *etiam hic malit Heinſ.* colles *MSS.* 233 alget *vulg.* albet *jam probabat in Comm. Parrhaſ. tum Clav. Heinſ.* 234 ſol altior aſtitit orbe *ante Heinſ. niſi quod* orbi *Ald.* axe, exſtitit axe, altius inſtitit axi *Plant. marg. Lectio noſtra eſt Baſ. marg. & Heinſ. e MSS.* 235 nox alta *vulg.* fœda *Ald. & Heinſ. ex MSS.* 236 pulſu ſtrepituque *malit Heinſ.* ſtrepitu curſuque *Vic. Par. Vien. Baſ.* 237 mortifer ille *omnes præter Claver. & Heinſ.* 238 lutor permanſit in herbis *Vic. Parrh. Vien. Junt. Baſ. Plant. Raph. Barth.* luror *MSS. ap. Parrh. qui non damnat.* Livor permanſit in herbis *Baſ. marg. quod placet Barth.* Livor pervenit in herbas *Clav. Noſtra lectio eſt Heinſ. ex MSS.*

223 *Credit quod* Græciſmus huic ætati ignoſcendus & relinquendus.

224 *Rubere* ad omnem colorem quatenus ſplendet & velut igneus eſt, referri monuimus ad 29, 7.

225 *Bootes oritur III Idus Februarii* in Veteri Kalendario. Eſt idem Arctophylax. Vid. ad 7, 170. 10, 272.

229 Opponit Proſerpina precibus & monitis nutricis ſororum ſuarum præſidium, quo ſe tutam eſſe adverſus omnes metus arbitratur.

238 *Luror* & *luridus* palloris ſummus gradus, ex flavo nigricans, qualis eſt ictericorum. Lucret.

Deficiunt rivi. ſqualent rubigine prata,
Et nihil afflatum vivit. pallere liguſtra,
Exſpirare roſas, decreſcere lilia vidi.
Ut rauco reduces tractu detorſit habenas,
Nox ſua proſequitur currum; lux redditur orbi,
Perſephone nuſquam. Voto rediere peracto,
Nec manſere Deæ. Mediis invenimus arvis
Exanimem Cyanen. cervix redimita jacebat,
Et caligantes marcebant fronte coronæ.
Aggredimur ſubitæ, & caſus ſcitamur heriles,

(*Nam*

241 liveſcere *MS.* areſcere *conj. Heinſ.* 242 detraxit *Vic.* ut red. rauco *Vic. Vien. Parrh. Ald. Junt.* 244 Perſ. nulla eſt *Vic. Parrh. Vien. Ald. Junt. & probat Clav. Raphel. Barth.* nuſquam eſt *Baſ. marg. Plant. marg.* 245 undis *MSS.* 248 ſubito *vulg.* tacite *it.* propius *Plant. marg.* ſcrutamur *Baſ. marg.* ſciſitamur *Vien.* caſusque ſcitamur *Ald. Plant.*

cret. 4, 333 *Lurida præterea fiunt, quæcunque tuentur Arquati* (ictterici, morbo regio laborantes) *quia luroris de corpore eorum Semina multa fluunt.* Sic eſt in editione Veronenſi etiam 1486 fol. Sunt tamen etiam libri, qui *Lutea* habent & *lutoris*, quos juvat locus Varronis in Eumenid. apud Non. 1, 151 & 16, 10 *Nam ut arquatis & lutea quæ non ſunt, & quæ ſunt, lutea videntur; ſic inſanis ſani & furioſi videntur eſſe inſani. Lutor & lutens* color itaque hactenus conveniant cum *livore* & *lurido*. Sed nec *Livor* multum abludit, color obſoletus & obſcurus, ex flavo & cæruleo, qui fit ſanguine e contuſione ſuffuſo cuti.

240 *Pallere* ad obſolete flavescentem a marcore alborum cum vigent florum colorem pulchre convenit. *Alba liguſtra* cum *cadunt* (Virg. ecl. 2, 18) pallent, h. e. flava fiunt.

241 *Decreſcere* etiam ex natura hauſtum. Pulcherrimus ab amplitudine etiam flos, dum ſeneſcit, in rugas contrahitur.

242 *Raucus tractus* eſt ſonus venti a curru Plutonis excitati. Sumſiſſe videtur a Val. Flacco 1, 614 ubi de Zephyro, Noto, Euro, *Induxere hiemem, raucoque ad litora tractu Unanimi freta curva ferunt.* Ipſa converſio currus tumultum excitavit in aëre. *Raucus* perpetuum ventorum & naturale epitheton.

243 *Nox ſua*, propria Plutonis. Interdum plane Synonyma ſunt *Inferi, Nox, Erebus, Chaos.* Ubi igitur currus Ditis eſt, ibi nox eſt, illo diſcedente redit lux & dies.

244 *Voto peracto*, cum egiſſent, quod volebant Deæ, redierunt in cælum. Sed hoc de voto non niſi ad Venerem vere poteſt referri. Verum loquitur Electra, ignara ceterorum, infelix: ea accuſat, more miſerorum, omnes.

246 *Cyane* deſcribitur, ut intelligamus, eam fuiſſe partem chori flores legentium. *Cervix jacebat*, non erat erecta, ſed languens.

247 *Caligantes coronæ* a fumo piceo currus Plutonii.

(Nam propior cladi ſteterat) quis vultus equorum?
Quis regat? illa nihil: tacito ſed læſa veneno
Solvitur in laticem. ſubrepit crinibus humor.
Liquitur, in roremque pedes & brachia manant.
Noſtraque mox lambit veſtigia perſpicuus fons.
Diſcedunt aliæ. Rapidis Acheloïdes alis
Sublatæ Siculi latus obſedere Pelori,
Accenſæque malo jam non impune canoras
In peſtem vertere lyras. vox blanda carinas
Alligat. audito frenantur carmine remi.
Sola domi luctu ſenium tractura relinquor.„
Hæret adhuc ſuſpenſa Ceres, & ſingula demens,
Ceu nondum transacta timet: mox lumina torquens
Ultro in cælicolas furiato pectore ferri.
Arduus Hyrcana quatitur ſic matre Niphates,
Cujus Achæmenio regi ludibria natos
Avexit tremebundus eques. Fremit illa marito
Mobilior Zephyro, totamque virentibus iram
Diſpergit

250 lapſa *vulg.* læſa *Ald. & Plant. marg.* 262 vultu ad *vulg.* multum in *Baſ. marg.* ultro *probat & illuſtrat Heinſ.* 265 avertit *MS.* premit *i. perſequitur, ut 3, 227.*

250 *Tacitum venenum* per Metonymian intelligendum, quod loqui prohibet, ut *pallida mors.*

253 *Lambere* hac Metaphora etiam eſt Horat. 1, 22. 7 *Vel quæ loca fabuloſus Lambit Hydaſpes.* Et noſter infra 373.

254 Jam de Sirenibus Acheloi filiabus refert, de quibus quæſierat Ceres v. 190.

256 *Accenſæ malo*, injuria ſibi illata in furorem verſæ. Quod *lyras* tribuit Sirenibus firmat eam traditionem, quæ ſuperiora membra humana iis relinquit, infra & in tergo facit aves. Cf. 29, 23.

263 *Hyrcana mater* tigris eſt, ut 3, 227. *Quatitur Niphates* rugitu ac gemitu impletur. Vox omnis eſt in motu aëris: itaque poteſt ferire, percutere, ſed & reflecti, repercuti &c. Totum hunc locum, & fabulas de Tigride illuſtrat etiam ex Arabibus Bochartus Hieroz. 3, 8 p. 795.

264 *Ludibria* catuli tigridum fiunt, cum exarmantur excuſſis dentibus, & alia arte manſuefiunt.

265 *Maritum Zephyrum* dari Tigribus, docet etiam Oppianus Cyneg. 3, 353 Ὠκυτέρα τελέθει δὲ θοῶν πανυπείροχα θηρῶν. Αὐτῷ γάρ τε θέειν ἐκέλη ζεφύρῳ γενετῆρι, Ferarum omnium celerrimam longe air, curſu æqualem ipſi patri ſuo Zephyro: quam fabulam deinde refellit.

266 *Virentes* tigrium *maculas* declaravi ut potui ad 24, 345.

Dispergit maculis, jamjamque hausura profundo
Ore virum, vitreæ tardatur imagine formæ.
Haud aliter toto genitrix bacchatur Olympo;
Reddite, vociferans: „*Non me vagus edidit amnis:*
Non Dryadum de plebe fumus: turrita Cybelle
Me quoque Saturno genuit. Quo jura Deorum,
Quo leges abiere poli? quid vivere recte
Proderit? en audet noti Cytherea pudoris
Ostentare suos post Lemnia vincula vultus.
Hos animos bonus ille sopor castumque cubile
Præbuit? amplexus hoc promeruere pudici?
Nec mirum, si turpe nihil post talia ducit.
Quid vos expertes thalami? tantumne relictus
Virginitatis honos? tantum nutata voluntas?
Jam Veneri, & sociis junctæ raptoribus itis?
O templis Scythiæ, atque hominum sitientibus aris
Utraque digna coli. tanti quæ causa furoris?

Quam

267 nimiumque *vulg.* inhiatque *Baf. marg.* vivumque *MS.* haustura *vulg.* exhausta *Plant. marg.* hausura *Plant. marg. Heinf.* 1. 273 cecidere *vulg. Sed* abiere *jam Parrhaf.* 278 cudit *Baf. marg.* 282 hominem *vulg.* hominum *Heinf. ratione & exemplis, non libris auctoribus.*

267 Formam *hausurus* firmant exemplis viri docti ad Virg. Aen. 4, 383 & Sil. 16, 11.

268 Speculum abjicere dicitur venator in via, in quo imaginem suam observans fera aliquantum detinetur. Vero aliquantum similior narratio Ambrosii hexaëm. 6, 4 laudata Barthio, *Sphæram de vitro projicit; at illa imagine sui luditur, & sobolem putat, revocat impetum, colligere fetum desiderans.* Sphæram vitream intelligi oportet materia opaca intus obductam, quæ reddit imagines minutas.

270 Amnium, qui ambiguo epitheto *vagi* dicuntur invidiæ causa, filiæ Nymphæ, quarum magna ubique copia.

274 *Noti pudoris Cytherea* acrem habet ironiæ morsum. *Lemnia vincula*, quæ maritus illius, Lemnius faber Vulcanus, injecit deprehensæ cum Marte suo.

277 *Hoc promeruere*, ut impune illi liceat lenam agere & prodere raptori virginem.

282 *Templis Scythiæ*, in Tauris, colebatur Diana, cujus ibi *ara, hominem* peregrinum *sitiens*, sanguine Orestæ vel Pyladæ imbuenda, argumentum est fabulæ Euripideæ Iphigenia in Tauris. Exclamat non Dianam modo dignam esse, quæ a barbaris barbara adeo religione colatur, sed mereri idem Minervam.

Quam mea vel dicto tenui Proſerpina læſit?
Scilicet aut caris pepulit te, Delia, ſilvis:
Aut tibi commiſſas rapuit, Tritonia, pugnas.
An gravis alloquio? Veſtros an forte petebat
Importuna choros? Atqui Trinacria longe,
Eſſet ne vobis oneri, deſerta colebat.
Quid latuiſſe juvat? Rabiem livoris acerbi
Nulla poteſt placare quies.„ His increpat omnes
Vocibus. aſt illæ (prohibet reverentia patris)
Aut reticent, aut noſſe negant, reſponſaque matri
Dant lacrimas. quid agat? rurſus ſe victa remittit,
Inque humiles demiſſa preces, *„Ignoſcite, ſi quid*
Intumuit pietas: ſi quid flagrantius actum,
Quam decuit miſeram. Supplex, dejectaque veſtris
Advolvor genibus. Liceat cognoſcere ſortem.
Hoc tantum: liceat certos habuiſſe dolores.
Scire peto quæ forma mali: quamcunque dediſtis
Fortunam, ſi nota, feram, fatumque putabo,
Non ſcelus. Adſpectum precor indulgete parenti.
Non repetam. Quæſita manu ſecurus habeto,
Quiſquis es. Affirmo prædam. Deſiſte vereri.

Quod

285 ſcilicet hæc *vulg.* aut *jam Ald. & Baſ. marg.* 291 dies *vulg.* quies *probavit etiam Barth.* 292 ſententia *Ald. Baſ. marg. MSS.* 297 miſerandaque *vulg.* dejectaque *Baſ. marg.* 299 furores *Baſ. ſed in marg.* dolores. 301 ſit rapta feram *vulg.* nota *Ald. Baſ. marg.* ſi nota *Raph. Barth. Heinſ.*

288 *Longe* eſt idem quod procul, remoto in loco, ne incommodare cui poſſit; ut contra *Longe illi dea mater erit* Aen. 12, 52, ut nihil poſſit adjuvare.

296 *Intumuit* pietas, in iram accenſa eſt. Frequens eſt apud noſtrum illa *tumoris & tumendi & tumeſcendi* ſignificatio, ab ipſa natura hauſta, quam deſcribit 8, 242 ſqq. Illuſtravit multis has formulas Bentl. ad Hor. A. P. 197.

303 *Quæſita manu* ſunt, quæ quis bello juſto ablata hoſtibus ſibi peperit. Hac lege vult eſſe raptorem filiæ ſuæ: habeat illam, modo videndæ illius faciat copiam. *Affirmo* prædam, jus firmum illius, & poſſeſſionem juſtam tibi concedo, & confirmo.

Quod si nos aliquo prævenit fœdere raptor;
Tu certe, Latona, refer. Confessa Diana
Forte tibi. Nosti quid sit Lucina, quis horror
Pro genitis, & quantus amor: partusque tulisti
Tu geminos: hæc una mihi. Sic crine fruaris
Semper Apollineo, sic me felicior ævum
Mater agas.„ Largis tunc imbribus ora madescunt.
„Quid? tantum dignum fieri, dignumque taceri?
Hei mihi, discedunt omnes. Quid vana moraris
Ulterius? non bella palam cœlestia sentis?
Quin potius natam pelago terrisque requiris?
Accingar lustrare diem: per devia rerum
Indefessa ferar: nulla cessabitur hora.
Non requies, non somnus erit, dum pignus ademtum
Inveniam, gremio quamvis mergatur Iberæ
Tethyos, & rubro jaceat vallata profundo.

305 vos - munere *omnes editi ante Heinf.* fœdere *etiam MSS. penes Parrhaf. Baf. marg. & Plant. marg.* Munere *illud gloſſam ſapit.* 307 timorque *vulg.* quis horror *MSS.* 312 *Hunc verſum*, Quid tantum *pro ſpurio habet Claver.* Quid tandem *conj. Heinf.* 314 num bella *MS.* 320 velata *vulg.* vallata *jam Baf. marg. & Plant. marg.*

305 *Quod ſi nos*, me & meam filiam *prævenit*, occupavitque *federe* aliquo cum Diana & Minerva inito, de non prodendo facinore; at tu, Latona, quæ nullo fœdere aut pacto teneris, & tamen forte de tua Diana expiſcata es, mihi indica &c. Sed vulgata lectio pene vividior, ſi *vos*, te, Pallas, ac te, Diana, forte *munere* aliquo dato occupavit, antequam ego ſupplicatum vobis venirem, ac devinxit raptor: at tu, Latona &c.

307 *Quid ſit* tibi *Lucina* tua, quam carum pignus illam habeas. Demea Terentianus ad Micionem Ad. 1, 2. 45 *Pater eſſe diſce ab illis, qui vere ſient.* Provocat Ceres ad ſenſum Latonæ.

309 Perpetua juventus *intonſi* Apollinis, ἀκερσεκόμης, quæ præcipua pulchritudinis pars eſt, materia voluptatis matri. Solent matres tenerius amare filios, admiſcente ſe pietati admiratione naturali ſexus alterius.

311 Ad longam & miſerabilem Cereris querelam nihil reponunt Deæ, niſi lacrimas ut ſupra v. 293. Pergit igitur Ceres, & indicat, ſe non comprehendere, quid ſit, quod fletu quidem miſericordiam præ ſe ferant, & tamen taceant, cum ipſa nihil petat, præter pauca verba.

316 *Diem*, quemcunque locum Sol videt & diem ibi facit: licet ipſa noctivago labore (v. 331) peragratura eſſet terras.

320 *Ibera Tethys* mare Atlanticum ſ. Occidentale: *rubrum profundum*

Non Rheni glacies, non me Rhipæa tenebunt
Frigora: non dubio Syrtis cunctabitur æſtu.
Stat fines penetrare Noti, Boreæque nivalem
Veſtigare domum. primo calcabitur Atlas
Occaſu, facibuſque meis lucebit Hydaſpes.
Impius errantem videat per rura per urbes
Jupiter. Exſtincta ſatietur pellice Juno.
Inſultate mihi: cœlo regnate ſuperbi.
Ducite præclarum Cereris de ſtirpe triumphum.„
Sic fatur, notæque jugis illabitur Aetnæ,
Noctivago tedas informatura labori.
Lucus erat prope flavum Acin, quem candida præfert
Sæpe mari, pulcroque ſecat Galatea natatu:
Denſus, & innexis Aetnæa cacumina ramis,
Qua libet uſque, tegens. illic poſuiſſe cruentam
Aegida, captivamque pater poſt prælia prædam
Advexiſſe datur. Phlegræis ſilva ſuperbit
Exuviis,

331 inflammatura *vulg.* infor. *Baſ. marg.* 332 Atym *Vic.* Acym *Vien. Junt. etiam Clav.* flumen Acin *vulg. ſed repugnat modus ſyllabæ prioris in* Acis, *quæ longa eſt.* flavum *eſt e MS. antiquiſſimo Claverii receptum ab Heinſio. Vid. Not.* 335 qualicet *Baſ. marg. Ald. Clav.* quamlibet *conj. Heinſ.*

fundum Oceanus Orientalis, ut 10, 168. Ita *Rhenus* & *Rhipæi montes* ſeptentrionem ſignant, *Syrtes* meridiem. Nimis diſertus eſſe atque eruditus videtur dolor Cereris.

322 *Cunctabitur*, morabitur, retinebit. Vid. ad 22, 284.

324 *Primum occaſum* intelligit remotiſſimum: poteſt aliquis ab Atlante incipere, & pergere verſus Orientem, ad Hydaspen usque extremum: ut poteſt *primus* cogitari *Hydaspes*.

327 *Exſtincta*, ut non amplius ametur, ut illius, quaſi mortua eſſet, nullus jam ſit reſpectus.

330 *Notæ Aetnæ* mentionem facit, quod Hennæ vicina.

332 *Acis* ex monte Aetna brevi itinere in mare decurrit. Fabulam illius, cum juvenis eſſet, a Polyphemo rivali, ob amorem Galateæ ſaxo oppreſſi &c. copioſe tenerrimeque narrat Ovid. Met. 13, 750. Fluvium deſcribit Cluver. Sicil. 1, 8 p. 114. Hic cum Poëtarum loca, ſolita diligentia congeſſerit, apparet ab omnibus priorem vocalem hujus nominis productam, quam legem a doctiſſimo poëta migratam, nullo modo eſt probabile.

337 *Datur* narratur, Virg. ecl. 1, 19 *Iſte Deus qui ſit, da, Tityre, nobis.* Vid. Barth. hic & ad Stat. Theb. 7, 315 *Aſopos genuiſſe datur.* De *Phlegra* dictum ad 27, 20.

Exu-

Exuviis; totumque nemus victoria vestit.
Hic patuli rictus: hic prodigiosa Gigantum
Tergora dependent, & adhuc crudele minantur
Affixæ truncis facies, immaniaque ossa
Serpentum passim cumulis exsanguibus albent,
Et rigidæ multo suspirant fulmine pelles,
Nullaque non magni se jactat nominis arbor.
Hæc centumgemini strictos Aegeonis enses
Curvata vix fronte levat. liventibus illa
Exsultat Cœi spoliis. hæc arma Mimantis

342 tumulis *vulg. Sed* cumulis *vel sine libris legi jubet Heinf. ut 1, no. 15,39.* 345 fractos *pro* strictos *malit ex MS. Parrhaf. & placet Heinf.* 346 fronde *Plant. marg. Claver.* 347 Caci *Vic. Vien. Plant. marg. & multi MSS.* Zancli *Parrh. Vien. marg.*

Exuviæ Phlegrææ sunt velut tropæa, quæ DI erexere de gigantibus. Vid. v. 354. Similia de Pallene Thraciæ Val. Fl. 2, 17 sqq.

339 Antiquum supplicium δερματῶν, excoriari, ἀσκὸν fieri: quod etiam ab Apolline passus est Marsyas. Ipsum nomen ἀσκῶ derivant Grammatici, ab Asco gigante, quem Bacchus excoriaverit. Vid. Steph. Byz. h. v. & quæ ibi Berkel. *Patuli rictus* in primis horribiles, pellis de facie detracta, vel caput in personam aut galeam formatum: explicat deinde per *affixas truncis facies*. *Tergora*, credo, dixit, ut tanquam de belluis, leonibus v. g. loqui illum sentiamus. *Ossa serpentum* sunt illæ reliquiæ vel sceleti pedum in angues formatorum, a quibus *anguipedes* vocantur. Vid. ad 35, 23. 139 & VV. DD. ad Val. Fl. 2, 28.

343 *Suspirant* dictum capio de perforata passim & trajecta a fulminibus pelle, quæ vulnera ac foramina sunt velut spiracula & spiramenta, quæ commeatum præbent aëri: nisi malis, intra illas pelles & utres excitari incendia & sulphureos vapores, quorum exitus sint velut suspiria. Comparat Parrhasius Aen. 1, 44 *Ajacem exspirantem transfixo pectore flammas*. Et hoc verius esse, suadet v. 350 ubi *fumantia opima Enceladi*. Pelles quia *rigidæ* sunt servant formam corporum etiam perforatæ. Videntur illæ de Asco, de Pallene, de his tropæis, fabulæ ad antiquam de gigantum quibusdam reliquiis persuasionem pertinere. Quæ in Sicilia quam sexto decimo sæculo adhuc viguerit, potest ex Fazello præsertim 1, 1. 6 constare, cujus locum bene longum, & historias bene multas, etiam retulit Cluverius p. 13.

345 De Aegæone ad 33, 47. Hujus exuvias cum C manibus totidemque ensibus vix sustinet arbor cacumine incurvato.

347 *Cœus* centimanus (Apollod. 1, 1. 1) nobile inter gigantas nomen: nobilis etiam *Mimas*, de quo vid. Spanhem. ad Callim. p. 368. Etiam noster illum memorat 37, 85. *Zanclus* quem hic habent libri quidam, fabulosus rex γηγενὴς, terrigena, Zancles, quod antiquum nomen Messanæ fuit. *Cacus* latro plane huc non pertinet.

Suſtinet. hos onerat ramos exutus Ophion.
Altior at cunctis abies umbroſaque late
Ipſius Enceladi fumantia geſtat opima
Summi terrigenum Regis, caderetque gravata
Pondere, ni laſſam fulciret proxima quercus.
Inde timor numenque loco, nemoriſque ſenectæ
Parcitur, ætheriiſque nefas nocuiſſe tropæis.
Paſcere nullus oves, nec robora lædere Cyclops
Audet, & ipſe fugit ſacra Polyphemus ab umbra.
Non tamen hoc tardata Ceres. accenditur ultro
Religione loci, vibratque incerta ſecurim,
Ipſum etiam per itura Jovem. ſuccidere pinus,
Et magis enodes properat proſternere cedros,
Exploratque obiens truncos, rectique tenorem
Stipitis

352 lapſum *vulg.* laſſam *Baſ. marg. & MS. Delr.* 358 infeſta *Ald. & quidam MSS.* 359 ipſum ſeu *Baſ. marg.* petitura *omnes ante Clav.* feritura *MSS.* petat ira *pulchre conj. Barth.* 360 dubitat *Baſ. marg.* 361 abies *Vic.* abiens *omnes editt.* habiles *neſcio unde Barth. & Heinſ.*

pertinet. Sed placuit librariis, quia notior illis erat, quam Coeus, literæ pene eædem. *Spolia* de pelle accipienda: nemo, arbitror, veſtitos aut thoracatos facit gigantas. Idem notat *exutus Ophion* h. e. exuviæ Ophionis.

348 *Ophion* cum Eurynome uxore regnaverat ante Satúrnum & Jovem, quem ideo τῶν Ὀφίωνος ἀρόνων ἄναικτα vocat Lycophron v. 1192 ubi vid. Schol. & Potter.

350 De *Encelado* ad 33, 153.

352 Quod legitur antiquitus, *lapſum fulciret*, non auſim damnare. Nam ſignificat hic fulcire ſuſtinere, impedire ne cadat, ut Ovid. Triſt. 1, 6. 5 *Te mea, ſuppoſita veluti trabe, fulta ruina eſt.*

356 *Polyphemus Cyclops* impius, & contemtor religionum in Euripidæ Cyclope inducitur: & tamen horret ſacram ſilvam, & tropæa Jovis violare. Sed Ceres nunc irata Jovi & DIs omnibus non parcit, quin quo ſanctior eſt lucus, eo magis cupit & velut ardet illum vaſtare.

358 *Incertâ vibrat ſecurim*, quia non curat, quam arborem petat, ſtragem modo vult edere.

359 Solicitor putare, ab ipſo Claudiano eſſe *petitura*, adeo & libri conſentiunt, & ſententiæ aptum eſt. Quod modus Syllabæ repugnat, inter πταίσματα referri poteſt, a quibus nec optimi fuere immunes. Et fluctuaſſe hoc verbum, ut alia, inter tertiam & quartam conjugationem, apertum eſt. Parrhaſius certe concoxit ſilentio, & interpretatus eſt *petitura.*

360 Studioſi hiſtoriæ naturalis in characteribus cedri hic epitheton *enodes* poſſunt obſervare, quod facit illas ædificationibus & contabulationibus aptas.

361 *Obiens* leviſſima mutatione ponere pro *abiens* auſus ſum, quod nimis

Stipitis, & certo prætentat brachia niſu.
Sic qui vecturam longinqua per æquora merces
Molitur tellure ratem, vitamque procellis
Objectare parat; fagos metitur & alnos,
Et varium rudibus ſilvis accommodat uſum.
Quæ longa eſt, tumidis præbebit cornua velis:
Quæ fortis, malo potior: quæ lenta, favebit
Remigio: ſtagni patiens aptanda carinæ.
Tollebant geminæ capita inviolata cupreſſus

362 præcenſet *MSS.* percenſet *Heinſ. 2. quod qui probat, debet, puto, etiam legere* viſu *pro* niſu. 363 vecturus *vulg.* 370 cupreſſi *MSS. meliores judice Heinſ.*

nimis accommodatum huic rei & loco verbum, atque illi inepto alteri nimis ſimile putabam. *Obire* non tantum eſt luſtrare, ut Virg. Aen. 10, 457 *Corpusque per ingens, Lumina volvit, obitque truci procul omnia viſu.* Et 12, 478 de Juturna, *Rapidoque volans obit omnia curru*, cui ſimile Sil. 3, 160 *Crebroque obit omnia viſu*: ſed etiam invadere, ut Sil. 17, 492 *Jamque ardore truci luſtrans fortiſſima quæque Nomina obit ferro.* Et Stat. Theb. 2, 589 *Hos obit atque illos*, ubi bene V. Schol. *Impetit, fevit, vulnerat.* Hæc ita conveniunt ad noſtrum locum, ut putem, vix dubitari poſſe, quin *obiens* ſit a Claudiano.

362 Ceres prehendit arbores, & concuſſu ſtirpis *prætentat brachia* illarum, an poſſint illam jactationem, qua uſura erat, ferre.

364 *Tellure* ſine præpoſitione, ut *humi*, ut *terra marique.*

367 *Cornua* nominat, ut intelligamus *antennas*, quarum extrema utrinque eminentia proprie *cornua* vocantur, ut Virg. Aen. 3, 549 *Cornua velaturum obvertimus antennarum.* Sed optimi etiam Romanorum, non minus quam Græci, *cornua* nominarunt, cum totas antennas vellent intelligi. Ovid. Met. 11, 482 *Ardua, jam dudum, demittite cornua, rector clamat*: nempe cornibus deligatæ ſunt antennæ: tum addit, *Antennis totum ſubnectite velum.* Sil. 14, 389 de navi maxima, *velo cum rapidum hauriret Borean, & cornibus omnes colligeret flatus.*

368 *Lentum* eſt, quod potius flectitur, quam frangitur, & ob id ipſum non temere frangitur, quia poteſt flecti. Hac notione videtur contineri, quidquid eſt in hoc nomine varietatis & pene repugnantiæ, quam perſequitur Iſaacus Voſſius ad Catull. p. 212. Hinc *remis* fere proprium epitheton adjicitur, qui *lentari* dicuntur etiam noſtro 17, 42 i. aliquantum inflecti pulſibus illis.

369 *Stagni* nomine alludit ad etymon, a ſtando & diu manendo. Carina nunquam ſiccatur, ſemper ſtat in aqua, etiam in portu: etiam cum *ſiccas trahunt machinæ carinas* (h. e. totas naves Hor. Car. 1, 4. 2) *Carina* proprie dicta, fundus ille, illa velut ſpina, e qua exeunt utrinque coſtæ navis, madida eſt. Certe cum carina ſicca eſt, navim reliquam non madere amplius, intelligitur.

Ceſpite vicino; quales non rupibus Idæ
Miratur Simois; quales non divite ripa
Lambit Apollinei nemoris nutritor Orontes.
Germanas adeo credas: ſic frontibus æquis
Adſtant, & ſocio deſpectant vertice lucum.
Hæ placuere faces. pernix invadit utramque
Cincta ſinus, exſerta manus, armata bipenni:
Alternaſque ferit, totiſque obnixa trementes
Viribus impellit. pariter traxere ruinam,
Et pariter poſuere comam, campoque recumbunt,
Faunorum Dryadumque dolor. Complectitur ambas,
Sicut erant, alteque levat, retroque ſolutis
Crinibus adſcendit faſtigia montis anheli,
Exſuperatque æſtus, & nulli pervia ſaxa,
Atque indignantes veſtigia calcat arenas.
Qualis peſtiferas animare ad crimina taxos
Torva

374 frondibus *Vic. Vien. Ald. Claver.* 375 exſtant *MSS.* 378 alternansque *MSS.* 380 comas *vulg.* 386 armare *MS. animarum MSS. quod placet Claverio miſc. c. 12. Sic* ruit v. 387 *ſignificabit* eruit.

371 *Idææ cypariſſi* ſunt etiam Virg. Ge. 2, 84.

373 *Lambere* de aquis præterfluentibus noſter etiam 36, 253. *Orontes* Antiochiam prælabitur Syriæ, quæ a laureo nemore Epidaphnes vocatur, ἐπὶ Δάφνης.

381 *Fauni* ſilveſtres DI, *Dryades* nymphæ, quarum etiam fatum ad arbores alligatum eſſe fingebatur; quo reſpectu appellantur Hamadryades. Δρῦς, unde nomen habent, quercum proprie ſignificant: ſed latius patere nomen inde etiam intelligitur, quod ἀκρόδρυα aliarum quoque fructus arborum notant. Hæc igitur ſilveſtria numina dolent ablatis pulcherrimis arboribus.

382 *Retro ſoluti* crines indicant vehementiam motus, adverſo monte currentis Cereris. *Anhelus mons*, non tantum ut *pallida mors*, qui anhelitum movet aſcendentibus; ſed efflans cum fumo ignem Aetna.

386 *Animare* eſt accendere, ut vulgo *vivere* ignis dicitur: & ipſa vica cum igni paſſim comparatur. Euclio Plautinus Aul. 1, 2. 15 interminatur ancillæ, ne ignem alat domi, *Nam ſi ignis vivet, tu exſtinguere extempulo.* Verbum *animare* hic illuſtrat Heinſius. *Taxus* convenit facibus furiarum quod venenata & mali ominis arbor eſt. Apud Stat. Theb. 11, 93 conqueritur Megæra, *Hebet infera cælo Taxus*, inferis nata & adſueta fax, apud ſuperos vim ſuam perdit. V. Schol. *Furiæ de taxo arbore dicuntur habere faces.*

Torva Megæra ruit; Cadmi ſeu mœnia poſcat;
Sive Thyeſteis properet fævire Mycenis.
Dant tenebræ Maneſque locum, plantiſque reſultant
Tartara ferratis: donec Phlegethontis ad undam
Conſtitit, & plenos excepit lampade fluctus.
Poſtquam perventum ſcopuli flagrantis in ora;
Protinus arſuras adverſa fronde cupreſſus
Faucibus injecit mediis, lateque cavernas
Texit, & undantem flammarum obſtruxit hiatum.
Compreſſo mons igne tonat, clauſusque laborat
Mulciber. obducti nequeunt exire vapores.
Coniferi micuere apices. crevitque favillis
Aetna novis. ſtridunt admiſſo ſulfure rami.
Tum, ne deficerent tantis erroribus ignes,

387 limina *MSS.* 390 in unda *vulg.* 391 accepit *vulg.* ſuſcepit *MSS.* 392 ferventis *Plant. marg.* 393 averſa *vulg.* fronde *Plant. marg.* 397 hærere *Ald. & ſcripti meliores judice Heinſio, qui etiam conjicit*, obductique negant hærere. *Reliqui ego, quod editum adhuc eſt, & intelligo.* 399 ſtrident *vulg.*

387 *Cadmi mœnia*, Thebas, theatrum tragicorum ſcelerum in filiis Oedipi: Mycenis celebratæ epulæ Thyeſteæ, de quibus ad 1, 171.

389 *Tenebræ* inferorum & *Manes* defunctorum *dant locum* deſcendenti ad Phlegethonta fluvium Megæræ. Huic *plantas ferratas* tribuit, h. e. ferreas, quæ lædi ab igne non poſſint.

391 *Lampade*, face, non ſatis proprie. Sed fax præſtat vicem lampadis, & contra. *Fluctus* vocat ignes, quia Phlegethon eſt fluvius. Perpetua eſt analogia & velut paralleliſmus fluidorum corporum aëris, ignis, aquæ &c.

392 Hactenus de furia: nunc de Cerere. Hæc aſcendit in cacumen & ad *ora ſcopuli flagrantis*, hoc eſt, ad cratera Aetnæ.

393 *Adverſa fronde*, inverſis arboribus, ut frons tenuis & concipiendæ ſpargendæque flammæ aptior, prius occurrat igni.

394 Magnitudinem arborum, quibus uſa eſt pro facibus Ceres, ea re indicat quod illarum frondes & cacumina regere, implere, obſtruere cavernas ignem vomentes potuere.

396 *Laborat Mulciber*, Vulcanus h. e. ignis, redactus velut in anguſtias, laborat, æſtuat, difficultatem ſentit.

398 *Coni* fructus cupreſſorum videntur primum & proprium hoc nomen habuiſſe. Vid. Serv. ad Virg. Aen. 3, 680 ubi ſunt *Coniferæ cypariſſi*. Idem epitheton noſtro *pinus* 33, 204. *Micare* ad ſubitum motum & ſalientes flammas pertinet, quales in junipero & ſimilibus accenſis obſervantur: hinc etiam ſunt illæ ſubitæ favillæ.

400 *Tantis erroribus*, tam incerto ac forte longo, cui accingebatur,

Semper inocciduos insopitosque manere
Jussit, & arcano perfudit robora succo;
Quo Phaëthon irrorat equos, quo Luna juvencos.
Jamque soporiferas nocturna silentia terris
Explicuere vices: laniato pectore longas
Inchoat illa vias, & sic ingressa profatur.
„*Non tales gestare tibi, Proserpina, tedas*
Sperabam: sed vota mihi communia matrum,
Et thalami festæque faces, cæloque canendus
Ante oculos Hymenæus erat. Sic Numina fatis
Volvimur, & nullo Lachesis discrimine sævit?
Quam nuper sublimis eram, quantisque procorum
Cingebar

403 jugales *MSS.* juvencas *MS.*

batur, itineri ne ignes & faces deficerent: quam mox enim arbor combusta esset?

402 *Robur* ergo universim arborem duram, atque resistentem destructioni notat, licet proprium deinde quercui factum sit.

403 *Phaëthonta* hic ipsum Solem esse, apparet. Homericum epitheton, Ἥλιος Φαέθων, Ιλ. Λ, 734. Hinc Virg. Aen. 5, 105 *Phaëthontis equi.* Hi debent ignis valde patientes esse. *Lunæ* currui (qui idem Noctis est 33, 275) hic & 44, 61 *juvencos* tribuit noster. *Juvencas* Auso. Epist. 5, 1 p. 589 *Tertia fissipedes renovavit Luna juvencas* i. tres menses abiere, certe tertius mensis agitur. Vid. Toll. Et Epist. 19, 3 p. 655 *Jam succedentes quatiebat Luna juvencas. Tauri* vocantur apud Fulgent. Mythol. 1 p. 618 Stav. *Luna — bijugis conscenderat æthera tauris.* Astrologi etiam Taurum, sidus, illi assignarunt. Porphyr. de Nymphar. antro p. 119 pr. Barnes. Ἐποχεῖται ταύρῳ Σελήνη, καὶ ὕψωμα σελήνης ὁ Ταῦρος Invehitur Luna, Dea, tauris: & fastigium lunæ, planetæ, in quo potentissime agit, est signum Tauri. Passim in nummis illum Lunæ vel Dianæ currum juvencis junctum deprehendas, vt Deliorum apud Gessnerum T. 18 n. 18. Caracallæ apud eundem T. 141 n. 11 & 143, 6. Philippi ibid. 179, 23.

405 *Explicandi* verbum videtur phantasian habere veli expansi, quale Nocti & Dianæ addere solent monimenta antiqua.

409 *Cælum* in talibus non terræ, qua vivorum hominum sedes est, sed inferis opponitur & Manium sedibus.

411 *Volvimur* habet respectum ad fusum illum quem torquet Parca, qui revolutione sua fila format. Sed quod fato subjicit hic Deos, non videtur pertinere ad brutam aliquam necessitatem. Hic fatum est cupiditas Plutonis, & voluntas, edictum, effatum Jovis: quod indicat mox v. 419.

412 De illis *procorum studiis* dixerat 33, 133.

Cingebar ſtudiis! quæ non mihi pignus ob unum
Cedebat numeroſa parens? Tu prima voluptas,
Tu poſtrema mihi: per te fecunda videbar.
O decus, o requies, o grata ſuperbia matris:
Qua geſſi florente Deam: qua ſoſpite nuſquam
Inferior Junone fui: nunc ſqualida, vilis.
Hoc placitum patri. Cur autem adſcribimus illum
His lacrimis? Ego te, fateor, crudelis ademi,
Quæ te deſerui, ſolamque inſtantibus ultro
Hoſtibus expoſui. Raucis ſecura fruebar
Nimirum thiaſis, & læta ſonantibus arvis
Jungebam Phrygios, cum tu raperere, leones.
Accipe, quas merui, pœnas. en ora fatiſcunt
Vulneribus, grandeſque rubent in pectore ſulci.
Immemor en uterus crebro contunditur ictu.
Qua te parte poli, quo te ſub cardine quæram?
Quis monſtrator erit? quæ me veſtigia ducent?
Quis currus? ferus ipſe quis eſt? terræne marisne
Incola? quæ volucrum deprendam ſigna rotarum?
Ibo,

417 nunquam *vulg.* 418 *pro* vilis, vultus *MS.* viſus *conj. Heinſ. Genitivo Græco.* 421 ſolam, quæ *vulg.* ſolamque *Heinſ. qui tamen malit* quæ ſolam. 423 armis *vulg.* 425 onerata *Baſ. marg.* 430 *pro* ipſe, ille *vulg.* 431 viarum *Baſ. marg. Plant. marg.*

417 *Geſſi Deam*, perſonam & felicitatem Deæ, beata fui, venerabilis fui, uti Deam decet.

419 Primo adſcribit lacrimis ſuis Jovem, vel, quod idem eſt, aſſignat calamitatem ſuam Jovi, patri rerum omnium: mox mutata ſententia ſe accuſat.

422 *Rauci thiaſi* propter inconditas & diu continuatas ac pene furioſas voces, *thiaſus* h. e. choreas ac ſaltationes, & ſacra illa Cybeleia obeuntium. Vid. 33, 205.

525 Inducitur hic Ceres ἑαυτὴν τιμωρημένη ut Terentianus ille Menedemus. *Ora fatiſcunt vulneribus*, rimas accipit vultus, inſtar vaſis e ligno fatiſcentis, ab unguibus quibus illum laceravi. Sic pectus laniavit v. 403. Hos hic appellat *ſulcos*.

427 Mira junctura, *Immemor uterus*. Nempe hoc vult, Debebat me ipſe venter admonere meæ Proſerpinæ.

430 *Feras*, raptor, quales centauri, quales illi gigantes cum anguinis pedibus.

431 De curru & rotis acceperat ab Electra, hic v. 236.

Ibo, ibo quocumque pedes, quocumque jubebit
Caſus. ſic Venerem quærat deſerta Dione.
Efficietne labor? rurſus te, nata, licebit
Amplecti? Manet ille decor? manet ille genarum
Fulgor? an infelix talem fortaſſe videbo,
Qualis nocte venis? qualem per ſomnia vidi?„
Sic ait, & prima greſſus molitur ab Aetna;
Exitiique reos flores, ipſumque rapinæ
Deteſtata locum ſequitur diſperſa viarum
Indicia, & pleno rimatur lumine campos,
Inclinatque faces. omnis madet orbita fletu.

Omnibus

434 proficietne *MSS.* 436 tandem *primi edd. quod vehemens videtur.* 442 omnis perit *ex uno MS. Heinſ.*

433 Imprecatur matri Veneris eam calamitatem, talem laborem.

437 *Qualis nocte* venerit ad matrem Proſerpina, dictum ſupra v. 69.

442 *Inclinat faces* ad terram, ut faciunt, qui ſedulo quærunt aliquid. *Omnis orbita*, quam ita perſequitur, *madet* a *fletu* & lacrimis illius: *perire* ut poſſit *omnis orbita a fletu*, quibus fluminibus opus eſſet?

443 *Omnibus* ſibi obviis vel DIs vel Semideis (nam homines metuo ut conſpectum illius ferre tum potuerint) *admugit*, cum gemitu eos rogat de filia ſua. Non dedecet hoc verbum dolorem Cereris furentis. Sic Sibylla Virgiliana, 6, 99 *antro remugit.* Et Ceres *Terra* quoque mater eſt, cui *mugitum* omnes tribuunt. Et ſtatim videbimus *inſanos* ejus *ululatus* a Statio commemorari.

Porro *in æthere* qui poſſint *ſulci* eſſe, non puto intelligere quemquam. Non agitur hic de lucida ſemita Deorum, qualem Martis deſcribit noſter 1, 102, ac Theodoſii de qua 7, 162: aut qualis eſt quem Iris *fuga ſecuit ſub nubibus arcum* Aen. 5, 658 & 9, 15. Hi ſulci momentanei ſunt, neque inveniuntur accenſis facibus. Hæc eſt ratio, cur antiquam omnium librorum lectionem repoſui, conſentientem præſertim cum loco Statii, quem ob oculos habuiſſe noſter jam olim viris doctis viſus eſt, quique hic omitti ſine damno lectorum non poteſt. Sic autem ille Theb. 12, 270 de Argia mariti Polynicis cadaver inter funera requirente, *Qualis ab Aetneis accenſa lampade ſaxis Orba Ceres magnæ variabat imagine flammæ Auſonium Siculumque latus, veſtigia nigri Raptoris vaſtosque legens in pulvere ſulcos. Illius inſanis ululatibus ipſe remugit Enceladus* &c. Hic locus firmare mihi & lectionem propoſitam & interpretationem videtur.

444 Adhuc iter ſ. errorem terreſtrem deſcripſit: nunc, ut per maria ierit, quod ſe facturam dixerat v. 319. *Quacunque* ergo Ceres

Omnibus admugit. Quacumque it in æquore, fulvis
Adnatat umbra fretis, extremaque lucis imago
Italiam Libyamque ferit. clareſcit Etruſcum
Litus, & accenſo reſplendent æquore Syrtes.
Antra procul Scyllæa petit, canibuſque reductis
Pars ſtupefacta ſilet, pars nondum exterrita latrat.

RELIQUA DESIDERANTUR

443 quocunque iit *Scal. poët. 5, 14 qui hunc locum de cetero ita repræſentat, ut a nobis factum, niſi quod, typorum errore, ut videtur, pro* admugit, *eſt* adjungit. 444 externaque *Baſ. marg. Scal. l. c.*

Ceres *it in æquore*, *umbra* h. e. imago facium *adnatat fretis*, h. e. niſi fallor, propagatur ad litora. Placet hic etiam facere, ut prætermiſſa vel non ſatis certe declarata in Theſauris revocem. *Freti* derivatio Varroniana a *fervendo* ibi propoſita, vera videtur. Favet nomen *defrutum* quod velut *defretum* eſt, fervendo minutum. *Freta* dici loca maris, ubi maxime fervet atque æſtuat mare, qualia ſunt omnino anguſtiæ, ſed etiam litora, conſideratio exemplorum etiam Ciceronianorum poteſt docere. V. G. pro Mure. c. 17 de motibus popularibus, *Quod fretum, quem Euripum tot motus -- habere putatis.* Hinc Metaphora honeſta Lucret. 4, 1025 *Aetatis freta* pro fervore illo pubeſcentis adoleſcentiæ dixit. Et ille poëtici plus ſatis ingenii homo Florus 1, 26. 9 populo ipſi Ro. *fretum adoleſcentiæ* tribuit, *ſecundam ætatem*, *in qua totam Italiam armis ſubegit.* Poëta noſter *fulva* facit *freta*, quatenus conceptum ignis ſplendorem referunt.

445 Eſt hic Epexegeſis. Lux de facibus Cereris a fluctibus repercuſſa *Italiam Libyamque ferit.* Itaque hinc illuſtratur Etruſcum litus, ab altera & oppoſita parte *reſplendent Syrtes* in Africæ litoribus. *Accenſum æquor* conſulta figura ut paſſim *accendi*, *incendi*, *ardere*, *ignis*, *flamma*, de ſplendido colore & radiis repercuſſis dicuntur.

447 *Pars Scyllæorum antrorum* (neque enim hic unum monſtrum fingit, ſed, ut res eſt, regionem maris ſcopuloſam) præ ſtupore flammarum *ſilet*, *reductis* præ metu latratoribus illis *canibus* &c.

XXXVII

CL. CLAUDIANI GIGANTOMACHIA*

Terra parens quondam cæleſtibus invida regnis,

Tita-

Non habet Editio Vicentina.

* Pœmatium hoc quod mutilum ad nos pervenit, ex Græco Claudiani Latinitate donatum aut ab ipſo Claudiano aut ab alio temporum iſtorum ſcriptore exiſtimo. Idem quoque mihi perſuadeo de Epiſtola ad Hadrianum & Idylliis nonnullis, qualia Phœnix, Hyſtrix, Torpedo, Nilus & Magnes. ut enim aliquid Claudianeum in iis facile agnoſcas, ita languent numeri plerumque, & raro ad auctoris noſtri hac in parte felicitatem adſurgunt. nec acceſſerim iis, qui ſeni & effœto iſta excidiſſe opinantur. a D. Hieronymo ex Gigantomachia incerti hæc citantur,

Quo fugis, Encelade? quaſcunque acceſſeris oras,
Sub Jove ſemper eris.

quæ huic poëmatio non vana conjectura accenſeri poſſint. Græce quidem Gigantomachiam ſcripſiſſe Claudianum teſtis omni exceptione major Arſenius in Apophthegmatis, ex quo fragmentum primi edendum curavimus. noſter ipſe præfatione v. 1 Conſ. Hon. (27,17)

Enceladus mihi carmen erat vinctuſque Typhœus.

Ejus Gigantomachiæ partem in Sicilia ſuo tempore inventam vir ſummus Petrus Bembus affirmat Epiſtola ad Politianum. verba ejus apponam. *Reddidere mihi Sicilienſes negotiatores codicillos tuos, quibus petebas, ut Conſtantinum convenirent, atque ab eo tibi Claudiani Gigantomachiam, quam habere illum audieras, impetrarent.* & mox, *Verum quam habet Conſtantinus Gigantomachiam, ea potius blattomachia eſt. Etenim annis ſuperioribus, dum inter vetuſtos ac jam prope defletos libros, quos ei non doctus homo quidam dono dederat, ſingula ipſe (ut ſui moris eſt) diligenter inſpiceret, cum Heſiodi fragmentis in charta extremæ paginæ proxima, Claudiani Gigantomachia titulum reperit, & pauculos tantummodo hexametros; tum alteram iterum chartam, in qua opus deſinebat. cætera tineæ depopulaverant, ita ut legi non poſſent. hæc quoque ipſa corrupta & infida ſatis, ut quæ ab indoctis librariis deſcribuntur. Igitur quæ habui, ita ut erant, huic epiſtolæ ſubtexui. quanquam in illis ipſis, quæ deſiderantur, non valde multum amiſimus. Nam ex verſuum numero, quem eo in libro eique operi librarius ſupputavit, Gigantomachiam omnem carminibus* CXLV *conſtare tumet videbis. ut credibile plane ſit, Claudianum eo in poëmate conſcribendo luſiſſe potius, quam ullum poëtæ ſibi nomen quæſiviſſe.* Hæc Bembus & ex illo Heinſius, qui in altera editione monet, Barthii eandem de his ſententiam, & carmen Græcum ab Arſenio huc repetitum, ſerius fuiſſe a ſe deprehenſum.

1 Non deſtinavit, credo, auctor carminis juſtum opus gigantomachiæ:

Titanumque ſimul crebros miſerata dolores,
Omnia monſtrifero complebat Tartara fœtu,
Inviſum genitura nefas: Phlegramque retexit
Tanta prole tumens, & in æthera protulit hoſtes.
Fit ſonus. erumpunt Erebo, necdumque creati
Jam dextras in bella parant, ſuperoſque laceſſunt,
Stridula volventes gemino veſtigia lapſu.
Palleſcunt ſubito ſtellæ, flectitque rubentes
Phœbus equos, docuitque timor revocare meatus.
Oceanum petit Arctos, inocciduique Triones
Occaſum didicere pati. tum fervida natos
Talibus hortatur genitrix in prælia dictis:
„O pubes

2 labores *MS.* 3 cœtu *vulg.* 6 er. crebris *Vien.* crebri *al.* erebi *MS.* nondumque *vulg.* 10 cogitque *conj. Heinſ.* 12 voluere *vulg.* optavere *Barth. ex MS.* cum ferv. *MSS.*

chiæ: ſed Idyllion tantum vel eclogam: eaque ipſa ſimplicem potius narrationem habet, non ſplendorem aliquem Poëticum. Neque vero a nobis hic aliquis exſpectet enarrationem hujus argumenti, quod ab Homero inde atque Heſiodo poëtæ omnes, ſed ſuo unusquisque modo tractarunt, quos in concordiam aliquo modo, diſtinguendis pluribus bellis, revocare, catalogum texere gigantum, qualem Argonautarum dedit Burmannus, Græcos componere cum Latinis, cenſuram agere recentiorum, in primis Eilardi Belli Friſii, cujus Belli Gigantei libri IV habentur in prima parte Deliciarum poëtarum Belgicorum, non injucundum fuerit, nec forte ad antiquitatis cognitionem & poëticam facultatem augendam inutile; ſed nec otii noſtri, quod nunc eſt, nec hujus inſtituti. Et neſcio an mereatur hic libellus, aut hoc fragmentum, operoſos Commentarios.

2 Ponit itaque auctor, ante hanc quam deſcribere modo aggreditur Gigantomachian fuiſſe aliam, qua victi Titanes, atque in Tartarum detruſi ſint. Huc pertinet *Phlegræ retecta*, de qua dictum ad 27, 20. Huc Tityos v. 25.

5 Tellus etiam apud Heſiodum Theog. 147 it. 617 ſuos filios primum intra viſcera ſua, ubi & *Erebus*, continet, deinde ubi iraſcitur DIs ſuperis, vel aliis Titanibus, eos emittit.

8 *Stridula veſtigia* vocat, cum reſpectu ad ſibilum ſerpentium, quos horribiles duo pro pedibus habent gigantes, quosque probabiliter illis tribuunt, quia ſunt terræ filii, ſub terris habitant.

11 *Arctos*, urſa minor, nunquam occidit his, qui in Zona ſeptentrionali temperata habitant: neque *Triones* alii ſeptem, quibus conſtat urſa major. V. ad 22, 458 & compara 35, 89 quem locum aut imitatus eſſe hic auctor, aut ſi idem eſt utriusque, in mente habuiſſe videtur.

„*O pubes domitura Deos, quodcumque videtis,*
Pugnando dabitur. Præstat victoria mundum.
Sentiet ille meas tandem Saturnius iras.
Agnoscet, quod Terra potest. Sic viribus ullis
Vincor: cur Cybele nobis meliora creavit?
Cur nullus Telluris honos? cur semper acerbis
Me damnis urgere solet? Quæ forma nocendi
Defuit? hinc volucrem vivo sub pectore pascit
Infelix Scythica fixus convalle Prometheus.
Hinc Atlantis apex flammantia pondera fulcit,
Et per canitiem glacies asperrima durat.
Quid dicam Tityon, cujus, sub vulture sævo,
Viscera nascuntur gravibus certantia pœnis?

Sed

16 sentiat *vulg.* 17 agnoscat, quid *vulg.* cognoscet quid *Vien.* cognoscat quod *Barth. e MS.* agnoscet quod *Ald. quem sequor.* si curribus illis *MS.* cur viribus illis *conj. Heinf.* si vir. *vulg.* 18 *pro* nobis, vobis *MS. quod placet Heinf.* 19 quæ semper *MSS.* qui *vulg.* 21 nullo sub *MS.* recidivo *conj. Barth.* fibroso *conj. Heinf.* 23 sidera *MS.* 24 *Abest ab optimo MS. hic versus.*

16 Hunc usum pronominis *ille*, cui interdum *ipse* substitutum ibant critici, illustrant Heins. ad Virg. Aen. 7, 110 & Brouckh. ad Tib. 1, 4. 19.

17 *Quod terra potest*, tanto lubentius revocavi, quod illud *quid potest* Solœcismum sapit.

19 *Cybele*, quæ eadem Rhea, mater Jovis & fratrum: eadem, ex aliis fabulis, Tellus.

19 Illud *semper* etiam ponit bella quædam superiora cum filiis Terræ, s. Titanibus, in quo numero nominat hic Promethea, Atlantem, Tityon. Nempe ille Caucaso affixus, de quo est tota Aeschyli Tragœdia, & Dialogus Lucianeus.

23 *Atlanta* pœnæ causa cœlum ac terram sustinere, apparet ex Aesch. Prom. vincto v. 348. De genere illius, ut nempe de aliis omnibus, poëtæ dissentiunt: nam Aeschylus l. c. Oceani fratrem facit, atque adeo Cæli s. Aetheris ac Terræ filium: alii Japeti & Clymenes filium, fratrem Promethei, quorum patruus Oceanus. Vid. Munck. & Staver. ad Hygi. fab. 1 p. 10.

23 *Flammantia pondera* sunt sidera, quæ videtur facere massas graves, ignitas, quale quid de Sole antiqui Physici philosophabantur, cum μύδρον dicerent, vel λίθον διάπυρον. Vid. Menag. ad Diog. Laërt. 2. 8.

24 Acumen videtur quærere in eo, quod, cum flammantia pondera sustineat Atlas, idem tamen perpetua glacie canus sit.

25 *Tityon, terræ omniparentis alumnum* Aen. 6, 595, pulchre describit Claudianus 35, 337.

Sed vos, o tandem veniens exercitus ultor,
Solvite Titanas vinclis; defendite matrem.
Sunt freta, sunt montes. noſtris ne parcite membris.
In Jovis exitium telum non eſſe recuſo.
Ite, precor; miſcete polum, reſcindite turres
Sidereas. Rapiat fulmen ſceptrumque Typhœus.
Enceladi juſſis mare ſerviat. alter habenas
Auroræ pro Sole regat. te Delphica laurus
Stringat, Porphyrion, Cirrhœaque templa teneto.„
His ubi conſiliis animos eluſit inanes;
Jam credunt viciſſe Deos, mediisque revinctum
Neptunum traxiſſe fretis. hic ſternere Martem
Cogitat, hic Phœbi laceros divellere crines.
Hic ſibi promittit Venerem. ſpiratque Dianæ
Conjugium. caſtamque cupit violare Minervam.
Interea Superos prænuntia convocat Iris,

Qui

27 ultro *MS.* 28 *Poſt hunc verſum hiatus unius verſus in MS.* 29 veſtris nec *vulg.* 31 reſtinguite turbas *MSS.* 35 Porfurio *MS.* tenebis, tenebris, tenebit, tenebo *MSS.* tenebunt *conj. Barth.* 38 vadis *MS.* 39 devellere *vulg.* 40 ſperatque *vulg.*

29 *Freta* hic univerſim pro marium omni genere poni puto, quatenus commovetur & *fervet*, unde nomen eſſe putamus. Vid. ad 36, 444.

32 *Typhoëa* ultimum Terræ filiorum facit, & horribilem illius deſcriptionem ponit Heſiodus Theog. 821 ſqq. deinde ait illum deſtinatum a matre ut imperaret in locum Jovis, Καί κεν (v. 836) ὅγε θνητοῖσι καὶ ἀθανάτοισιν ἄναξεν, Εἰ μὴ ἄρ᾽ ὀξὺ νόησε πατὴρ κ. τ. λ. Sed frequens illius & Enceladi jam facta eſt mentio.

32 *Habenas Auroræ* pro die ponit, quæ præcurrere diem ſoleat. De *habenis* ad 1, 1 conjecturam dedimus: ſed quæ ad hunc locum accommodari non poteſt. Ceterum hic etiam Solem, quod facere ſolent, ab Apolline diſtinguit.

35 *Stringat* eſt coronet, arcte circumdet caput tuum.

36 *Eludere animos*, de vi præpoſitionis quam habet in *emicare*, *emergere*, *evehere*, & ſimilibus, videtur ſignificare in altum ludere, ludendo & illudendo, mentiendo & vanis promiſſis extollere. Hoc facilius eſt in animo *inani*, qui facilius, impletur falſis, inflatur, extollitur.

42 *Iris prænuncia* Deorum, ut 36, 1 hic nihil aliud ſignificat quam *nunciam* vel miniſtram. Nempe qui faciendum aliquid denunciat, is eo ipſo prænunciat, quid futurum ſit. Sic *præcipere* vulgo

Qui fluvios, qui ſtagna colunt. cinguntur & ipſi
Auxilio Manes. nec te, Proſerpina, longe
Umbroſæ tenuere fores. Rex ille ſilentum
Lethæo vehitur curru, lucemque timentes
Inſolitam mirantur equi, trepidoque volatu
Spiſſas cæruleis tenebras e naribus efflant.
Ac, velut hoſtilis cum machina terruit urbem,
Undique concurrunt arcem defendere cives:
Haud ſecus omnigenis coëuntia Numina formis
Ad patrias venere domos. tum Jupiter infit:
„*O numquam peritura cohors. o debita ſemper*
Cælo progenies, nulliſque obnoxia fatis:
Cernitis ut noſtrum Tellus conjuret in orbem
Prole nova, dederitque alios interrita partus?
Ergo, quot dederit natos, tot funera matri
Reddamus. longo maneat per ſæcula luctu,
Tanto pro numero paribus damnata ſepulcris.„

Jam

45 ipſe *conj. Barth. Sed vid. no. ad 16.* 46 invehitur *malit Heinſ.* 49 proruit *vel* verberat *conj. Heinſ.* 51 turmis *vulg.* 58 per ſingula *vulg.* ſæcula *etiam Baſ. marg. pro* luctu, ductu, curſu *al.*

vulgo & *prædicere* apud Nepotem 2, 7. 3 eſt jubere, dicere quid faciendum ſit.

46 Comparetur 35, 193 & quæ dixi ad v. 11.

48 *Cæruleas naves* utrum ob furvum equorum colorem, an ab exeunte vapore obſcuro, dixerit, & an pulchre dixerit? non pronunciaverim.

51 *Formas omnigenas* ſumſere DI in pugna contra gigantas. Sic *Rhoecum retorſit leonis unguibus horribilique mala* Bacchus apud Hor. Car. 2, 19. 23. Sed metui illam in animalia deorum mutationem in iſto bello tribuunt Parides, & Bacchum in capro latuiſſe canunt, apud Ovid. Met. 5, 326. Ex illa re ortam eſſe putabant homines illam Aegyptiorum rationem ſub animalium imagine colendi Deos. Vid. qui magno numero laudantur a VV. DD. ad Ovid. l. c. & ad Hygi. fab. 196. Add. Diod. Sic. 1, 86 & quæ ibi Weſſel.

53 *Debita cælo ſemper progenies*, quos ſemper habere cælum, ſemper frui honore divino, fatum eſt: quod ſtatim addit, *nullis obnoxia fatis*, primum ipſo numero plurali varietas & inconſtantia quædam in eo, qui obnoxius illis eſt indicatur, deinde hoc nomen *obnoxius* triſte quiddam atque adverſum notat cui quis *ob noxam* aliquam ſuam ſubjectus ſit.

56 *Interrita* ſuperiorum contra ſuos Titanas bellorum exitu, *alios* novosque partus dedit Terra.

58 *Manere luctu*, omiſſa præpoſitione, duriuſculum: ſed pluribus

Jam tuba nimborum ſonuit: jam ſigna ruendi
His æther, his terra dedit: confuſaque rurſus
Pro domino Natura timet. Diſcrimina rerum
Miſcet turba potens. nunc inſula deſerit æquor:
Nec ſcopuli latuere mari. quot litora reſtant
Nuda! quot antiquas mutarunt flumina ripas?
Hic rotat Aemonium præduris viribus Oeten:
Hic juga connixis manibus Pangæa coruſcat.
Hunc armat glacialis Athos: hoc Oſſa movente
Tollitur. hic Rhodopen Hebri cum fonte revellit,
Et ſocias truncavit aquas, ſummaque levatus
Rupe Giganteos humeros irrorat Enipeus.

61 bis æther, bis *vulg.* 66 Aemoniam *MS.* artubus *Cuj.*
67 cunnixus, convexis *MSS.* 69 ponte, ſponte, parte *MSS.*
70 volutus *ex MS. malit Heinſ. quod receptum in ed. 2.*

bus locis ſuſpectum mihi hoc carmen.

61 *His*, DIs, *æther* ſ. cælum, *bis*, Gigantibus, *Terra* mater.

62 *Naturam* hic etiam facit perſonam, a DIs & rebus ceteris diſtinctam, ut 35, 371. Noſtri *mundum* ſolentita appellare. Suſpenſis animis exſpectant privati, quis rerum potiturus ſit, ut grex boum tauris certantibus, ut in gallorum certamine cohors. Ceterum quæ jam ſequitur deſcriptio, ejusque ſimiles, ſuadent gigantomachias excogitatas ad reddendam rationem qualemcunque inſignium mutationum, quæ aliam aliamque faciem orbi, quem habitamus, intulere, quas ſub tali imagine & magnifice proponere, & juniorum phantaſiæ ac memoriæ imprimere ſe ſperabant. De Aetna & Phlegræis campis, res manifeſta.

64 Videtur duas res oppoſitas dicere. *Inſula deſerit æquor*, non ampliùs videtur inſula ſed continens, ſubducta aqua. Nunc ſcopuli, eminere adhuc viſi & minari cælo, *latuere mari* ſubmerſi.

67 *Pangæum* & *Athon* etiam conjunxit Claudianus 3, 336. Hic præſertim locus ingenio illo dignus videtur. Quanti ſunt, qui *coruſcant*, h. e. celeri motu vibrant & iaculantur montes, qui cum monte fontes fluminum tollunt?

70 *Truncántur aquæ ſociæ* Hebri, ab aliis fluminibus invectæ capite ſuo.

71 Magnifica imago. Conati ſunt gigantes inter alia (Virg. Ge. 1, 282) *Oſſæ frondoſum involvere Olympum.* Ex Olympo delabitur *Enipeus*; hic una ſublatus nequidem perfundit, ſed tantum *irrorat Giganteos humeros.* Alius eſt Theſſaliæ Enipeus Pharſalum præterfluens, de quo ad 26, 183.

Subſidit patulis tellus ſine culmine campis,
In natos diviſa ſuos. Horrendus ubique
It fragor, & pugnæ ſpatium diſcriminat aër.
Primus terrificum Mavors non ſegnis in agmen
Odryſios impellit equos, quibus ille Gelonos,
Sive Getas turbare ſolet. Splendentior igni
Aureus ardeſcit clipeus, galeamque nitentes
Arrexere jubæ. Tunc concitus enſe Pelorum
Tranſigit adverſo, femorum qua ſine volutus
Duplex ſemiferi connectitur ilibus anguis,
Atque uno ternas animas interſicit ictu.
Tum ſuperinſultans avidus languentia curru
Membra terit, multumque rotæ ſparſere cruoris.
Occurrit pro fratre Mimas, Lemnumque calentem
Cum

72 ſubſedit *al.* 74 ſit fragor *malit Heinſ.* 80 qua parte *vulg.* ſine *Ald. & MSS.* 82 trinas *al.* 83 dum -- avido *conj. Barth.* dum -- rapido *conj. Heinſ. pro* curru, curſu *MS.* 84 cruorem *vulg.* 85 accurrit *conj. Heinſ.* cadentem *MSS.*

72 Quam diu montes ita in manibus gigantum & in altum ſublati erant, iis locis planities & campi erant, ſine *culmine*, aut eminentia.

74 *Aër* eſt illud ſpatium inter utramque aciem medium, in quo deinde concurritur, μεταίχμιον.

76 *Odryſæ* in Thraciæ populis celebriores: ab his quidquid Thracium eſt, aut Septentrionale, aut Martium denique, quod Mars proprium Thraciæ gentis numen erat, *Odryſium* poëtæ vocare ſolent.

79 *Arrexere* galeam jubæ, h. e. altiorem, terribilioremque adeo fecerunt videri.

81 *Duplex anguis*, pro duobus pedibus, *connectitur ilibus ſemiferi* gigantis. *Ilia ſemifera* non videntur dici, ſed *ſemifer* eſt totus gigas, Pelorus, quod ipſum nomen monſtrum, & prodigium notat, & datum uni de promuntoriis tribus magnis Siciliæ. Cui hoc epitheton non minus quam Centauris, quorum pæne proprium eſt, convenit.

82 *Ternas animas* habere dicas Pelorum, unam humanam ſuperum corpus ad ilia usque animantem, duas ſerpentinas, quibus vivant duo qui pro pedibus ſunt, ſerpentes.

85 Hunc locum expreſſit Sido. Apollin. car. 15, 25. Sed ponamus aliquot verſus, *Hic rotat excuſſum vibrans in fidere Pindum Enceladus, rapido ſit miſſilis Oſſa Typhœo Porphyrion Pangæa rapit, Rhodopenque Adamaſtor Strymonio cum fonte levat, veniensque ſuperne Intorto calidum veſtinguit flumine fulmen. Hic Pallas Pallanta petit, cui Gorgone viſa Invenit ſolidum jam lancea tarda cadaver.*

Cum lare Vulcani ſpumantibus eruit undis:
Et prope torſiſſet, ſi non Mavortia cuſpis
Ante revelato cerebrum fudiſſet ab ore.
Ille viro toto moriens, ſerpentibus imis
Vivit adhuc ſtridore ferox, & parte rebelli
Victorem poſt fata petit. Tritonia virgo
Proſilit, oſtendens rutila cum Gorgone pectus,
Adſpectu contenta ſuo, non utitur haſta.
Nam ſatis eſt vidiſſe ſemel. primumque furentem
Longius in faciem ſaxi Pallanta reformat.
Ille, procul ſubitis fixus ſine vulnere nodis,
Ut ſe letifero ſenſit durescere viſu,
(Et ſteterat jam pæne lapis) „*Quo vertimur?* inquit,
Quæ ſerpit per membra ſilex? qui torpor inertem
Marmorea me peſte ligat?„ Vix pauca locutus,

88 relevato *Ald.* & *MS.* revelatum *MS.* relaturo *MS.* celebrato *MS.* *unde* terebrato *dedit Heinſ.* fud. ab ore cerebrum *MS.* 91 ferit *MSS.* 92 obtendens *malit Heinſ.* 94 ferentem, frementem *MS.* ruentem Longius, *vel* frementem Anguibus *conj. Heinſ.* 95 *pro* faciem, formam *MSS.* 99 qui *vulg. Sed* quæ *MSS.* & *uſus Claudiani.*

cadaver. Hic Lemnum pro fratre Mimas contra Aegida torquet, Impulſumque quatit jaculabilis inſula cœlum Plurimus hic Briareus populoſo corpore pugnat, Cognatam portans aciem, cui vertice ab uno Cernas ramoſis palmas fruticare lacertis.

86 Bene factum, quod domi non fuit Vulcanus, periculum alias ſubiturus illi non diſſimile, quum de cælo dejectus eſt, Il. A, 591: ubi illum Jupiter iratus Ῥίψε ποδὸς τεταγὼν ἀπὸ βηλοῦ θεσπεσίοιο, *Correptum pede dejecit de limine Olympi.*

93 *Adſpectu* hic capiendum paſſive, ut loquuntur Grammatici. Non eſt mortiferum, ſi quem Minerva adſpexit, non illa faſcinat vel interficit quemquam ſuorum oculorum conjectu: ſed obrigeſcunt & in ſaxum mutantur, qui Meduſæ, Gorgonum unius, caput, quod pectori præfixum fert Pallas, adſpiciunt. Ergo debebat ex Grammaticorum decreto dicere poëta *Adſpectu contenta ſui.* Sed jam oſtendit Voſſius de conſtr. c. 57 etiam poſſeſſivo pronomine in tali re locum eſſe. Sed & illud *ſatis eſt vidiſſe ſemel* ita intelligendum, ſatis eſt ad perniciem gigantis, ſi ille viderit, adſpexerit ſemel Gorgona. Hæc ita ſe habere, tum reliqua Meduſæ fabula docet, tum collatus cum h. l. v. 106. 113.

94 *Furentem longius* interpretor, longius progreſſum in furore, non ſubſiſtentem intra primum conatum, Pallanta.

96 *Nodi* ſunt partes induratæ quæ & ipſæ moveri non poſſunt, & vicinarum motum impediunt.

Quod timuit, jam totus erat, sævusque Damastor,
Ad depellendos jaculum dum quæreret hostes,
Germani rigidum misit pro rupe cadaver.
Hic vero interitum fratris miratus Echion,
Inscius auctorem dum vult tentare nocendo,
Te, Dea, respexit, solam quam cernere nulli
Bis licuit. Meruit sublata audacia pœnas,
Et didicit cum morte Deam. Sed turbidus ira
Palleneus, oculis adversa ruentibus atrox,
Ingreditur, cæcasque manus in Pallada tendit.
Hunc mucrone ferit Dea cominus: ac simul angues
Gorgoneo riguere gelu, corpusque per unum
Pars moritur ferro, partes periere videndo.
Ecce autem medium spiris dilapsus in æquor
Porphyrion trepidam conatur rumpere Delon,
Scilicet ad superos ut torqueat improbus axes.

Horruit

101 sævitque *MS.* Jamastor, Jemastor *MS.* Adamastor *Sidon.* 104 miratur *vulg.* 106 ægida *malit Heins.* 108 iram *Vien.* Idam *Bas. Junt. Plant. Claver. Barth.* Ida *Ald.* Idan, Idas *al.* 109 Palladiis *MSS.* Pallaneus *Vien. Bas. Ald. Plant.* Palleneus *etiam Junt. & tuetur Claver.* 110 Aggreditur *malit Heins.* 115 vellere *vulg.* vincere *MS.* rumpere *Bas. marg.* vertere *Cuj.*

103 Felix phantasia. Quærit telum, Damastor, saxum ingens, rupem, montem adeo. Cum nihil offerretur commodius, ipsum saxum, in quod mutatus fuerat Pallas, arripit.

107 *Sublata* audacia, pro *elata*, ut Ter. Hec. 3, 5. 56 *Sublati animi sunt.*

108 *Discimus*, quidquid primum experimur. Simul & eodem actu expertus est, quid posset sua cum Gorgone Minerva, & quid esset mori.

110 *Cæcæ manus*, quæ non a consilio reguntur, sed a furioso jactantur impetu.

114 *Spiræ* sunt volumina & curvaturæ draconum, quas formando moventur & locum mutant, *progredi* enim proprie dici non possunt. Sic 33, 185.

115 *Delon* insulam eo facilius se putat a radicibus suis revulsurum, quia non pridem ex immobili & fluctuante Asterie, quo commodius puerperium Latonæ exciperet, stabilita & fundo continens facta erat. Ejus rei conscientia *trepida* est Delos, & clamat, *En iterum convulsa feror.* Vid. Callim. in Delum v. 51.

Horruit Aegæus: ſtagnantibus exſilit antris
Longævo cum patre Thetis, deſertaque manſit
Regia Neptuni, famulis veneranda profundis.
Exclamant placidæ Cynthi de vertice Nymphæ:
Nymphæ, quæ rudibus Phœbum docuere ſagittis
Errantes agitare feras, primumque gementi
Latonæ ſtruxere torum, cum lumina cæli
Parturiens geminis ornaret fœtibus orbem.
Implorat Pæana ſuum conterrita Delos,
Auxiliumque rogat; *„Si te gratiſſima fudit*
In noſtros Latona ſinus, ſuccurre precanti.
En iterum convulſa feror.„

RELIQUA DESIDERANTUR

120 placido cunctæ *vulg.* placidæ cuncto, placidæ cunctæ *MSS.* 125 *Hic verſus* Implorat &c. *abeſt a MSS.* 126 rogant *MSS.* rogans *conj. Heinſ.* 127 veſtro -- ſinu *MSS.* 128 *poſt* feror, ſuccurre roganti *add. ante Heinſ. Sed in MSS. deſideratur.*

117 *Aegeus*, Neptuni filius, pater Theſei, a quo *Aegeum* mare dictum eſt. Hic perturbatus, a motu Deli. *Thetidis pater* Nereus, Oceani filius. *Famuli profundi* Neptuni Tritones & æquorei DI alii. *Cynthus* Deli mons, cui *Nymphæ* tribuuntur, Dianæ comites venatricis, quod generale nomen etiam Oreadas, Dryadas, complectitur. Hæ antiquiores Apollinem etiam venari docuerant, quin Latonæ miniſtraverant parturienti Apollinem & Dianam, *Lumina* eosdem *cæli*, Solem ac Lunam &c.

125 De *Pæanis* appellatione vid. ad 2, 11.

126 *Gratiſſima* Latona, quæ adeo vult me frui munere, quod mihi tribuit, ob hoſpitium quod parturientem & a Junone exagitatam recepi. Hæc eſt materia Hymni Callimachei, quem modo laudavi.

XXXVIII

ΚΛΑΥΔΙΑΝΟΥ

ΕΚ ΤΗΣ ΓΙΓΑΝΤΟΜΑΧΙΑΣ

Κύπρις δ' ἅτε βέλος φέρεν, ἐΐ' ὅπλον· ἀλλ' ἐνόμιζεν
Ἀγλαΐην· θεμένη γὰρ ἐπ' ὄμμασιν ἄγγελον αὐδὴν,
Πρῶτα μὲν ἀπλεκέας περόνη διεκρίνατο χαίτας,
Καὶ πλεκτὰς ἔσφιγξε πυκνῷ περιπλέγματι σειρὰς,
Στιλβεῖ δ' ὀφθαλμῶν ἐρατὸς ὑπεγράψατο κανθός·
Λεπτὰς εὐανέμοιο ῥαφὰς χαλάσασα χιτῶνος,
Πορφυρέων ἐκρύπτεν ὑφ' εἵμασιν ἄνθεα μαζῶν,
Ὄμματος εἰς ἄγρην ὡπλισμένη· εἶχε γὰρ αὐτὴ
Πλέγμα πόρυν, δόρυ μαζὸν, ὀφρῦν βέλος, ἀσπίδα κάλλος,
Ὅπλα μέλη, θέλγητρον ἐν ἄλγεσιν· εἰ δέ τις αὐτῇ
Ὄμμα βάλῃ, δέδμητο.

† Arsenius, Monembasiæ Episcopus, in libro Ἀποφθέγματα φιλοσόφων, quem inscripsit Leoni x, quemque ordine elementorum disposuit, sub ΚΛΑΥΔΙΑΝΟΥ, ἅυτε, quod sententiam non mutat.

2 Pro ἀυδὴν tenui mutatione legendum puto αὐγὴν, quod in versione expressi per radium.

3 Arsen. διέκρινε, male.

4 Arsen. male σειρεύς.

HAEC

HAEC AD VERBUM SIC TRANSFERAS

Cypris neque telum ferebat, neque arma: ſed gerebat
Venuſtatem. Cum enim in oculis poſuiſſet exploratorem radium,
Primum confuſas acu diſcriminavit comas,
Et plexiles denſo circumflexu catenas conſtrinxit:
Ac ſplendore amabiles oculorum orbes fucavit:
Tum tenues fluentis futuras laxans tunicæ,
Purpurearum non celavit ſub veſte flores papillarum.
Oculi ad venatum *ſic* armata *fuit:* habuit enim ipſa
Cincinnos galeam, haſtam papillas, ſupercilium ſagittam, clipeum pulchritudinem:
Arma membra, delinimentum in doloribus. Si quis vero illi
Oculum adjiceret, jam ſuperatus erat.

6 Λεκτὰς in Heinſianis nihili eſt. Melius Barthius dedit λεπτάς. Sed Χιτῶνας adhuc editum eſt, cum tamen adjectivum ἐυανέμοιο Genitivum requirat. Ceterum verſus ſextum & ſeptimum licet pæne ad verbum ſic reddere: *Tum tenues laxans tunicas, ludibria ventis, Florem purpureæ male celat veſte papillæ.*

7 Delevi δ' poſt Πορφυρέων, quod ortum puto a mala interpunctione.

8 Arſen. ὡπλισμένη vitioſe.

CL. CLAUDIANI EPISTOLAE†

XXXIX

I. *DEPRECATIO AD HADRIANUM PRAEFECTUM PRAETORIO**

Usque adeone tuæ producitur impetus iræ?
Nullus tot finis lacrimis? Subitisne favorem
Permutas odiis? Quo mens ignara nocendi,
Quo sensus abiere pii? Tantumne licebit
Invidiæ?

* Satisfactio pro se apud Stilichonem *MSS.* Epigramma satisfactionis apud Hadrianum prætorii præfectum *Baf. Claver.* Epistolæ. Ad Hadrianum *al.* 2 erat *MS.* nullus tot *MS. Hinc* nulla ne tot *conj. Heinf.* subitisque *al.* 3 permittas *MSS. & Cuj.*

† Quo magis ad pedestrem & humanum sermonem, ac quotidianum, demissa esse debet epistola, eo magis ætatem illam & ingruentem barbariei tumorem frigidum, quem illi sublimitatem, pulchritudinem certe, interpretabantur, respit. Igitur cum hic examinare singula ac reprehendere nec vacet nec libeat, illud certe admonendi videntur lectorum quidam, ne ex harum, quæ sequuntur scriptionum stilo totum Claudianum judicent; alii, ne, quia superiora egregie plerumque & optimorum exemplo dicta sunt, ideo hæc etiam simpliciter probari debere putent: sed utrique meminerint, prosam prius corruptam esse orationem, quam poësin, tenue illud & nuditate sua amabile genus, quam ornatum & magnificum. Quod diximus, in hac epistola non ita animadvertitur propter affectus vehementiam, & in altera propter splendorem personæ, in tertia eo magis offendit.

* Hadrianum magistrum officiorum sub Honorio intra A. D. 397 & 405 habet Prosopographia Cod. Theod. Gothofrediana: Præfectum autem Prætorio intra A. 412 & 416. Si duo sint homines, ad priorem potius referenda videtur epistola, quæ a juvene Claudiano scripta intelligitur ex v. 6. Videtur autem carminibus læsisse patronum ante suum, & forte habemus illud, quod quis vocet corpus delicti, Epigr. 30 s. n. 80. quod jam suspicatus est Barthius. Cf. dicenda ad v. 51.

3 *Mens ignara nocendi* pulchra *innocentiæ* descriptio, non stuporis.

Invidiæ? tantum ſtrepitus valuere maligni?
Me dolor incautum, me lubrica duxerit ætas,
Me tumor impulerit, me devius egerit ardor:
Te tamen haud decuit paribus concurrere telis.
Humanæ Superos numquam tetigere querelæ,
Nec vaga ſecurum penetrant convicia cælum.
Exceſſit jam pœna modum. Concede jacenti.
En adſum. veniam confeſſus crimina poſco.
Manibus Hectoreis atrox ignovit Achilles.
Ultrices Furias matris placavit Oreſtes.
Reddidit Alcides Priamo, quas ceperat, arces.
Pellæum juvenem Regum flexere ruinæ;

Darium

6 decor *MS.* incautum *MS. Cuj.* me calor incautum *conj. Heinſ.* 7 timor *vulg. pro* ardor, error *MS.* 11 *pro* modum, ſcelus *Cuj.* 13 adſum en *MS. Hinc* Adſum en, en ven. *conj. Heinſ.* 14 victrices *al. Sed* ultrices *jam Ald. Baſ. Clav.*

5 *Strepitus* duo credo ſignificat, tumultuoſos plurium ſermones, & confuſos, quibus inimici deferebant poëtam apud Hadrianum.

6 Hæc deſcriptio criminis poëtæ, collata cum v. 53, ubi ſe tanquam vatem peccaſſe innuit, firmat opinionem modo propoſitam, de cauſa irarum Hadriani. Conjunctivi illi *duxerit*, *impulerit*, *egerit* ſunt non plane quidem confitentis, nec tamen valde repugnantis, aut negare crimen ſuſtinentis.

7 *Tumorem* & *tumidum* de ira noſter uſurpat etiam alias, V. G. 5, 117.

8 Similis deprecatio illi Thaidis expoſtulationi apud Ter. Eun. 5, 2. 26 *Nam ſi ego digna hac contumelia ſum maxime; at tu indignus, qui faceres, tamen.*

9 *Querelæ* hic non ſunt lamentantium & de ſorte ſua querentium, ſed accuſantium, ut cum in laude conjugum ponitur in ſepulcrali monimento, *ſine querela* eos vixiſſe.

10 *Vaga convicia*, quæ nihil certi & definiti criminis habent: *ſecurum cælum* quod neque curat neque metuit injurias.

13 Cadaver Hectoris intelligit, quod raptare circa mœnia Trojæ rogatus a Priamo deſiit Achilles. Hos *Manes* vocat etiam Plinius 11, 37 ſ. 54 *Pleræque alitum e Manibus hominum oculos potiſſimum appetunt.* Sic 44, 72.

14 *Furias* interfectæ a ſe, patris Agamemnonis ulciſcendi cauſa, *matris* Clytæmneſtræ, placavit tandem Oreſtes: quod eſt argumentum fabulæ Aeſchyli, Eumenidum, quo nomine placatas ſibi Erinnyas ille appellavit.

15 Priamum ipſum ſorori Heſionæ condonatum alii narrant. Vid. Apollod. Bibl. 2, 4. 9 p. 113 & 2. 6. 4 p. 127.

16 *Pellæus juvenis* Alexander M. eſt. V. ad 8, 374.

Darium famulis manibus doluiſſe peremtum
Fertur, & ingenti ſolatus fata ſepulcro.
Tradita captivo ſpatioſior India Poro.
Conditor hic patriæ. Sic hoſtibus ille pepercit.
Hunc virtus tua digna ſequi. quemcumque Deorum
Læſimus, inſultet jugulo, paſcatque furorem.
Gratia diffluxit: ſequitur feralis egeſtas:
Deſolata domus: caris ſpoliamur amicis.
Hunc tormenta necant: hic undique truditur exſul.
Quid ſupereſt damnis? quæ ſæva pericula reſtant?
Emollit rabiem prædæ mortisque facultas,
Prætereunt ſubjecta feræ, torvique leones,

Quæ

17 et Dar. *MSS.* famuli *Claver. Raph. Janſ. Barth. Adjectivam rationem exemplis firmat Heinſ.* 19 traditaque eſt capto *Cuj.* 23 defluxit *al. Sed perpetua fere τῆς* de *ac* di *permutatio.* 25 pellitur *Cuj.* 26 damni *Cuj.* piacula *ſuſp. Heinſ.* 27 & 28 *transpoſitis hemiſtichiis*, Præt. ſubj. f. mortisque fac. Em. r. pr. *Claver. & Heinſ. ex uno MS. cujus librarius ſic feſtinationem ſuam non infeliciter videtur correxiſſe.*

17 Beſſum Darii domini ſui interfectorem crudeliter necari juſſit Alexander apud Curt. 7, 5. 40; ipſum Darium regio apparatu ſepeliri Iuſti. 11 extr.

19 *Porum* poſt victoriam Alexander *donavit ampliore regno, quam tenuerat* Curt. 8, 14. 45.

20 *Conditor* fuit Alexander *patriæ* communis Hadriani & Claudiani. Hinc v. 55 *commune ſolum Pharos*: & *Pharii* nomine deſignarat Hadrianum n. 80.

21 In Deos ſe nihil peccaſſe confirmat: niſi tamen Auguſtam familiam intelligit, in quam proprie committi majeſtatis crimen, in qua lædi majeſtas, potuit.

23 Miſeriam deſcribit, in quam Hadriani ipſum iræ conjecerint. Videtur autem crimen majeſtatis conflatum Claudiano, arrepti familiares, & amici. Potuiſſe ea tempeſtate crimen hoc naſci ex offenſione Magiſtri Officiorum, luculenter apparet ex conſtitutione Arcadii & Honorii, quæ habetur l. 3 C. Theod. ad L. Corn. de Sicariis & doctiſſimo ad eam Commentario Jac. Gothofredi, præſertim §. 7 p. 104 ad verba legis, *Quisquis - ſceleſtam inierit factionem - de ſatellitibus, conſciis, ac miniſtris.* Dixit delator, Acerbe ludit poëta in Magiſtrum Officiorum inter ſodales: ergo conjurauit cum illis. Sunt hic, niſi fallor, omnia hujus rei Phænomena. Ceterum *Diffluxit* placet, ut exprimatur illa diſperſio & diſſipatio amicorum, de qua Hor. Car. 1, 35. 26 *Diffugiunt cadis cum fæce ſiccatis amici.* Nempe *Gratiæ* nomine intelligitur multitudo hominum bene cupientium, quam qui habent dicuntur *gratioſi.*

27 Vult in pudorem dare Hadrianum, ne crudelior eſſe velit beſtiis. *Corpora magnanimo ſatis eſt proſtraſſe leoni.* Credo hoc Naſoni Triſt.

Quæ ſtraviſſe calent, eadem proſtrata relinquunt.
Nec niſi bellantis gaudet cervice juvenci
Nobiliore fames. Secuit naſcentia fata
Livor, & ingeſto turbavit gaudia luctu.
Jam jam ſuppliciis feſſos, humileſque, ſerenus
Reſpice. Quid tanta dignaris mole clientem?
In brevibus numquam ſeſe probat Aeolus antris:
Nec capit anguſtus Boreæ certamina collis.
Alpes ille quatit, Rhodopeia culmina laſſat.
Incubuit numquam cæleſtis flamma ſalictis,
Nec parvi frutices iram meruere Tonantis.
Ingentes quercus, annoſas fulminat ornos.
Hoc pro ſupplicibus ramis, pro fronde Minervæ,
Hoc carmen pro ture damus. Miſerere tuorum.
Me, precor, heu, me redde mihi! gravibuſque medere
Vulneribus,

29 valent *vulg.* calent *eſt ex MSS.* 30 gaudent c. juvenci Nobiliore fame *vulg. Sed pulchre locum ex MSS. reſtit. Heinſ.* 31 vota *vulg.* 32 inlato *Cuj.* 34 morte *vulg. Sed* mole *jam Ald. & MSS.* 35 undis *vulg.* 37 quaſſat *al.*

Triſt. 3, 5. 33, niſi leo eſuriat. Ceterum ita ordinari poſſunt pro noſtræ linguæ ingenio explicarique verba: Facultas prædæ poſſidendæ, & inferendæ mortis, emollit rabiem ſ. rabioſam cupiditatem utriusque rei. Additur ἐπεξήγησις, *Præterennt* &c.

31 *Naſcentia fata*, incipientem felicitatem a gratia Hadriani, antea patroni, ſignificant.

34 *Molem* dicit omnem vim & auctoritatem viri in magna dignitate, qualis eſt illa Magiſtri Officiorum, conſtituti. In *clientis* nomine & humilitatis quædam notio ineſt, & neceſſitudinis ejus, quæ potius ſervare illum ac liberare malo ſuadeat, quam opprimere.

41 *Supplices rami*, ἱκεσιώνη, baculus vel ſurculus, foliis mollibus, vel lana adeo, obvolutus: talis eſt *frons Minervæ*, olivæ ramus, quem ſupplices præferunt & oſtendunt, quo indicant, ſe lædendi omnem animum abjeciſſe. Hinc *pacales oleæ* Ovid. Met. 6, 101. Et ex Ponto 1, 1. 31 *Adjuvat in bello pacatæ ramus olivæ.*

42 *Pro ture*, quo etiam parvo placantur ipſi Dii. Pronomine *Tuorum* apertius hoc indicat, quod clientis nomine illum innuiſſe, modo monebam. Qui ſe dedit victori, jam victoris eſt: hujus deinde intereſt ſervare deditium.

43 *Me redde mihi* h. e. conditionem meam priorem, ut quaſi poſtliminio ſim, qui ante iras tuas fueram. Formula optimis uſurpata, etiam Tullio.

Vulneribus, vitamque jube famamque reverti.
Quæ per te cecidit, per te fortuna resurgat.
Sanus Achillea remeavit Telephus hasta;
Cujus pertulerat vires, & sensit in uno
Letalem placidamque manum. medicina per hostem
Contigit, & pepulit, quos fecerat ipse, dolores.
Quod si nec precibus, fletu nec frangeris ullo,
Eripe calcatis non prospera cingula Musis.
Eripe militiam. Comitem me pelle sodalis.

Scilicet

46 Achilleis — herbis *vulg.* 47 in imo *Bas. marg.*
50 flecteris *vulg.* *Sed* frangeris *etiam Vien.*
52 sodalis *Raph.*

44 *Vitam* dicit, ut optimi quique, Terentius, Cicero, de vita tranquilla & honesta: quod *famam* reverti jubere vult Hadrianum, jam decretum interpositum fuisse videtur, a quo infamia quadam pulsaretur poëta: infamia proprie dicta notatum non fuisse, apparet ex v. 51. Videtur in sodalis vel amici (v. 24) pœna ipse *ambustus*, ut loquuntur de talis periculi societate. Vid. v. 52.

46 *Telephus* ille Mysiæ rex supplex Achilli, a quo vulneratus fuerat, vel *hasta* admota, ejusve rubigine (unde derivant curationes quas vocant sympatheticas) vel *herbarum* ope, quarum vim a Chirone didicerat, curatus est. Vid. Passerat. & Brouckh. ad Prop. 2, 1. 65, Salvagn. in Ovid. Ibin 257, Munck. & Staver. ad Hygi. fab. 101. Itaque ex Mythologis decidi non potest, *Achillea* ne *hasta*, an *Achilleis herbis* hic præferendum sit. Utitur noster iisdem placatæ magnorum heroum iræ exemplis, quibus Horatius in Canidia sua Epod. 17: quæ forte res induxit Claverium, ut putaret, hic etiam illudi tantum Hadriano, a poëta, qui jam tum Stilichonis clipeo tutus fuerit. Quod si ita est, quod tamen non simpliciter ausim adfirmare, profunda sane hæc Ironia fuerit.

51 *Calcatas Musas* intelligit poëta, nisi fallor, amicum, de quo v. 24, propter versus punitum vel suos vel Claudiani. Huic nostro venia data quamcunque ob causam: sed malle se dicit, vel simulat certe, cum amico exulare. Negat *cingula* h. e. munera & honores militiæ, (vid. ad 20, 321) sive ea aulica sit, sive armata, Musis, earumque cultoribus esse *prospera*. Hac ipsa vero petitione illud forte agit, ut revocationem amici extorqueat, ut Senatus Romanus cum in carcerem comitatur Catonem, invidiam fecit Cæsari apud Gell. 4, 10. Huc pertinet illa Ironia v. 53 & 54 similis illi Virgilianæ Junonis ad Venerem Aen. 4, 93 *Egregiam vero laudem, & spolia ampla refertis Tuque puerque tuus: magnum & memorabile nomen &c.* Et sunt sane hæc ultima carminis ita comparata, ut non humilem deprecationem, sed expostulationem viri fortis, sapiant.

Scilicet insignes de paupere vate triumphos!
Scilicet egregiis ornabere victor opimis!
Irruat in miseros cognata potentia cives!
Audiat hoc commune solum, longeque carinis
Nota Pharos, flentemque attollens gurgite vultum
Nostra gemat Nilus numerosis funera ripis.

53 insigni --- triumpho *vulg.* insignes triumphos *etiam Vien.*
54 scil. & spoliis *MS.* 55 sæuiat *vulg.*
56 aud. hoc *vulg.* longisque *MSS.*

45 Hinc colligas cognatum fuisse Hadriano Claudianum, & hinc forte ei plus indultum, hinc etiam natam vel fiduciam vel audaciam liberius cum viro agendi. Alexandrinum quidem utrumque fuisse, jam indicatum ad v. 20.

58 *Numerosæ Nili ripæ* propter *septemplicis ostia Nili.*

XL

II *AD SERENAM**

Orphea cum primæ ſociarent lumina tedæ,
Ruraque compleret Thracia feſtus Hymen:
Certavere feræ, picturatæque volucres,
Dona ſuo vati quæ potiora darent.
Quippe antri memores, cautes ubi ſæpe ſonoræ
Præbuerant dulci mira theatra lyræ,
Caucaſeo cryſtalla ferunt de vertice lynces,
Gryphes Hyperborei pondera fulva ſoli.
Furatæ Veneris prato per inane columbæ

Florea

* de nuptiis *add. Cuj.* 1 primum -- numina *vulg.* primæ -- lumina *Claver.* primæ *MSS.* primo -- numine, primum -- munere *al.* 2 tertia *Baf. marg.* 5 *pro* cautes, cantus *vulg.* ſonore, canore *al.* cantus -- ſonore Præbuerat dulcis *Clav.* dulces *conj. Barth.* 9 furato *MS.* purgato *MS.* Pæſtano *conj. Heinſ.*

* Serenæ Stilichonis uxori, de qua n. 29, gratias agit, quod proxenetria ſibi & conciliatrix locupletis, ut videtur, ſponſæ eſſe voluerit: cumque ob mare interjectum præſens auſpicium facere nuptiis non poſſit, rogat, ut abſens faveat.

1 *Prima tæda*, (pro qua exemplo optimorum dicit *Lumina tædæ*) eſt nuptialis. Eſt enim altera quoque funebris. Cornelia Lepidi apud Prop. 4, 11. 46 *Viximus inſignes inter utramque facem*, a nuptiis ad mortem. Illa primæ tædæ lumina ſociarunt Orphea Eurydicæ.

2 *Thraciam*, Orphei patriam & theatrum, complevit Hymen, i. apparatus, ſolemnitas, clamor nuptialis.

3 Habemus hic munuſcula nuptialia a clientibus collata, ut Ter. Phor. 1, 1. 5 *Herilem filium ejus duxiſſe audio uxorem, ei credo munus hoc conraditur. Vectigal connubiale*, lepide vocat noſter v. 18.

7 A Caucaſi frigoribus Lyncas venire facit credo ob eam rationem, qua Plinii verbis ponemus 8, 38 *Lyncum humor* (urina) *glaciatur -- in gemmas -- lyncurium vocatas.* Tale quid cum illius memoriæ obverſaretur, admiſcuiſſe videtur illud de cryſtallo, de quo idem Plin. 37, 2, cum indicaſſet cryſtallum fieri *gelu vehementiore concreto*, addit, *Non alibi certe reperitur, quam ubi maxime hibernæ nives rigent: glaciemque eſſe certum eſt, unde & nomen Græci dedere.*

8 De Gryphibus aliquid dictum ad 28, 30. *Aurum -- a gryphibus apud Scythas* (hi ſunt hyperborei) *erutum* Plin. 33, 4.

9 *Per inane*, per aëra volantes.

Florea connexis ſerta tulere roſis:
Fractaque nobilium ramis electra ſororum
Cycnus oloriferi vexit ab amne Padi.
Et Nilo Pygmæa grues poſt bella remenſo
Ore legunt rubri germina cara maris.
Venit & extremo Phœnix longævus ab Euro,
Apportans unco cinnama rara pede.
Nulla avium pecudumque fuit, quæ ferre negaret
Vectigal meritæ connubiale lyræ.
Tunc opibus, totoque Heliconis ſedula regno
Ornabat propriam Calliopea nurum.
Ipſam præterea dominam ſtellantis Olympi
Ad nati thalamos auſa rogare parens.
Nec ſprevit Regina Deum, vel matris honore,
Vel juſto vatis ducta favore pii.
Qui ſibi carminibus toties luſtraverat aras,
Junonis blanda numina voce canens,

Præliaque

11 mobilium *MS.* lapſaque flebilium, *vel* fletaque nob. *conj. Heinſ.* 14 cana *MSS. Parm. Vien.* 16 mira *MSS. etiam Cuj.* rara *etiam aliorum exemplis firmat Heinſ.* 24 victa *MS.* amore *MS.*

11 *Electra*, *ſorores* Phaëthontis, *Cycni*, *Padus* ejusdem fabulæ partes, quam ſi opus ſit facile eſt repetere ex Ovid. Met. 2, 340. Vel, ne longe abeat, hic ad 28, 165.

13 *Pygmæorum* cum *Gruibus* pugna jam Homerica fabula eſt, Il. Γ, 6 ubi V. Scholiaſtes Pygmæos collocat εἰς τὰ ἀνωτάτω μέρη τῆς Αἰγυπτιακῆς γῆς, πλησίον τῦ Ὠκεανῦ, in Aegypto ſuperiore, ad mare rubrum, quod margaritas gignit.

15 De Phœnice ad carmen 44 dicemus, ſi quid opus ſit. Vid. tamen 22, 420.

20 *Calliopea*, καλλιοπεία, forma Græcis & Latinis non minus uſitata, quam altera *Calliope*, καλλιόπη. Hanc vero matrem Orpheo videntur aſſignaſſe, propter prærogativam, quam huic Muſæ tribuit Heſiodus Theog. 79 προφερεστάτη ἐστὶν ἁπασέων, deinde Regibus illam dat comitem.

25 Eſt hodie inter Orphicos Hymnus Junonis, ubi ſub illius nomine vis aëris & commoda, quæ inde naſcuntur animantibus, ſuaviſſime deſcribuntur.

Præliaque altiſoni referens Phlegræa mariti,
Titanum fractas Enceladique minas.
Ilicet adventu noctem dignata jugalem
Addidit augendis munera ſacra toris:
Munera mortales non admittentia cultus:
Munera, quæ ſolos fas habuiſſe Deos.
Sed quod Threicio Juno placabilis Orphei,
Hoc poteris votis eſſe, Serena, meis.
Illius exſpectent famulantia ſidera nutum:
Sub pedibus regitur terra fretumque tuis.
Non ego, cum peterem ſolenni more procorum,
Promiſi gregibus paſcua plena meis:

Nec

28 fractis -- minis *malit Heinſ.* 29 montem *MS.* 32 ſolas -- deas *conj. Heinſ.* 33 Orpheo *al. per Synizeſin.* 35 explent illius *it.* illius explent *MSS.* illius expectent *ex MSS. Heinſ.* illius expellent *MS.* expectant *vulg.* 36 tegitur *vulg. Sed* regitur *jam Ald.* teritur *MSS.* 38 læta *MS.* tuis *MS.* ſuis *conj. Heinſ.*

27 De *Phlegræis* gigantum præliis vid. ad 37, 20. *Enceladum* eſſe unum Titanum, notum eſt. Illa copula eam vim habet, ac ſi dixiſſet, *& præſertim Enceladi.* Inter Orphei argumenta fuiſſe etiam Gigantomachian, indicatur Argon. 12 & 427 ubi ipſe dicit ſe cecinisſe Γιγάντων ἔργ' ἀϊδηλα.

29 *Ilicet* ultimum actum vel gradum negotii alicujus ſignificat, poſt quem *ire licet.* Sic modo interpretor Plant. Epid. 5, 2. 19 *Ilicet: vadimonium ultro mihi hic facit.* Idem fere ſignificat, ac ſi diceres, Quid pluribus opus eſt? quid quæris? Gallus diceret, *Enfin.*

30 *Augere*, ut *mactare* verbum in honore etiam Deorum uſurpatum, hic velut deſcendit. Dum munere honorat torum, ſimul auget felicitatem.

31 *Munera*, quibus nemo mortalis colere alium poteſt.

35 Splendida adulatio, ut illa Virgiliana *diviſum imperium cum Jove Cæſar habet*: vel Hor. Od. 3, 5. 1 *Cælo tonantem credidimus Jovem Regnare, præſens divus habebitur Auguſtus.*

36 Debent hæc eo ſcripta tempore eſſe, quo in faſtigio fuit Serenæ & Stilichonis conjugis ejus potentia, paullo poſt Theodoſii mortem, cum tutor vel utriusque, vel Occidentis certe ſive Honoriani imperii ille eſſet: cum jam gener Serenæ eſſet Honorius, ut apparet ex v. 50. Non ſolo autem conjugii nomine ut *Reginæ* adulatur Serenæ, ſed propter cognationem atque adoptionem Theodoſii patrui ſui. Ceterum terrarum & maris quoddam imperium aſſignat Serenæ antiqua in Imperatoriam familiam adulatione. Cf. v. 59.

Nec quod mille mihi lateant ſub palmite colles,
Fluctuet & glauca pinguis oliva coma:
Nec quod noſtra Ceres numeroſa falce laboret,
Auratæque ferant culmina celſa trabes.
Suffecit mandaſſe Deam. tua littera nobis
Et pecus, & ſegetes, & domus ampla, fuit.
Inflexit ſoceros, & majeſtate petendi
Texit pauperiem nominis umbra tui.
Quid non perficeret ſcribentis voce Serenæ
Vel genius regni, vel pietatis amor?
Atque utinam ſub luce tui contingeret oris,
Conjugis & caſtris, & ſolio generi,
Optatum celebrare diem! me jungeret auſpex
Purpura;

R 1 2

44 et penus *MSS.* nemus *MS.* 46 numinis *MS.* 47 perfecit *MS.* ſufficit *MSS.* perficiet, proficeret *MSS. Sed* quid non perfert *MS. unde* præſtet *conj. Heinſ.* 48 pietas & amor *conj. Barth.* 50 in caſtris *vulg.* ſenio *Claver.*

39 Hic uſus particulæ *quod* poſt promiſi, in hujus ætatis ſcriptoribus notandus, non imitandus.

40 *Glauca* pene perpetuum oleæ & olivæ epitheton apud noſtrum, ut 20, 271. 22, 278, forte nec ſine reſpectu ad ipſam Minervam glaucam.

41 Dat igitur ipſi *Cereri falcem*, qua fruges quas produxit reſecet: quod geſtamen illius in antiquo monimento nondum obſervavi. *Laboret* hic non morbum aut fatigationem, ſed opus ſimpliciter ſignificat.

42 Aurum in externa etiam domuum facie tum in utraque Roma, veteri & nova in uſu fuiſſe conſtat. Inde *aurea Roma* V. G. 12, 19.

43 Commendavit igitur Serena literis Claudianum puellæ & ſoceris.

48 Duas impetrandi rationes tribuit literis Serenæ: unam, quod ipſa, animus ipſius *regni genius* videri poteſt, ut quidquid vult ipſa, illud Rex ſ. Imperator velle videatur: alteram, quod ipſa *Pietas Auguſta* poteſt videri, cui quis non tribuat quidquid eſt in poteſtate. Eſſe in ritulis Imperatorum hujus ævi Pietatem, ut dicatur quemadmodum *Tranquillitas*, *Clementia*, *Manſuetudo*, ſic etiam *Pietas tua*, notum eſt. Vid. Spanh. de Pr. & uſu num. 15, 6. 1. *Pietas* principum eſt amor illorum in cives, qui hunc amorem viciſſim amant.

50 *Conjux* Serenæ Stilicho Præfectus Prætorii erat, h. e. *caſtrorum* militum Prætorianorum: *Gener* Serenæ Honorius.

51 Præſentiam familiæ Auguſtæ ſuis in nuptiis ſperare audet, quæ *auſpicum* munere fungeretur, h. e. ſacram & religioſam & boni ominis auctoritatem illis accommodaret,

Purpura; me ſancto cingeret aula choro!
Et, mihi quam ſcriptis deſponderat ante, puellam
Conjugiis eadem Pronuba dextra daret!
Nunc medium quoniam votis majoribus æquor
Invidet, & Libycæ diffidet ora plagæ:
Saltem abſens, Regina, fave, reditusque ſecundos
Annue fidereo læta ſupercilio.
Terrarum tu pande vias: tu mitibus Euris
Aequora pacari proſperiora jube.
Ut tibi Pierides, doctumque fluens Aganippe,
Debita ſervato vota cliente canant.

52 me ſocero *MS.* *hinc* ſacro *vel* ſocio *conj. Heinſ.* toro *vulg.* 54 conjugis ejusdem *vulg. Sed* conjugiis eadem *jam Vien.* conjugis hæc eadem *MSS.* conjugio ejusdem *Scal.* conjugis Auguſtæ *conj. Barth.* 56 Libyæ *MSS.* *ut* Africa terra.

ret, auſpicatasque adeo redderet nuptias. Vid. Cic. de Div. 1 c. 16 *Nihil fere quondam majoris rei, niſi auſpicato, ne privatim quidem gerebatur: quod etiam nunc nuptiarum auſpices declarant, qui re omiſſa nomen tantum tenent. Dotem* præſertim *inter auſpices conſignatam*, docent illæ inauſpicatiſſimæ & obſceni ominis inter Silium & Meſſalinam nuptiæ apud Sueto. Claud. 26 & 29: unde obiter apparet quam antiquus ſit ille ritus hodieque vigens in Gallia, cum Reges adhibentur ſignandis nuptiarum & dotalibus tabulis.

54 *Pronubæ* nomen eo magis hic decet, eo minus defugiendum Serenæ, quod inter ſolemnes Junonis appellationes eſt, vt Aen. 4, 166, *cui vincla jugalia curæ* ibid v. 59. *Dextra* ipſius Junonis epitheton faventis,& adſpirantis felicitatem.

58 Hic plane Serenam Jovi Homerico comparat, vel certe Horatiano Car. 3, 1. 8 *Cuncta ſupercilio moventi.*

59 Fecerat Serenam Terræ marisque dominam v. 36. Quod *Eurus* hic memoratur & v. 56 *Libyca plaga*, intelligimus, Alexandreæ celebratas eſſe nuptias.

62 *Vota*, carmina votiva, voto promiſſa.

XLI

III *AD OLYBRIUM**

Quid rear, affatus quod non mihi dirigis ullos,
Nec redit alterno pollice ducta ſalus?
Scribendine labor? ſed quæ tam prona facultas,
Carmina ſeu fundis, ſeu Cicerona tonas?
Cedere divitiis animi fortuna fatetur,
Et tantas oris copia vincit opes.
An rarus, qui ſcripta ferat? quin tempore nullo
Ceſſant Flaminiæ pulverulenta viæ.
Cum fluat ingenium, cum ſit qui dicta reportet;
Quæ, niſi contemnor, cauſſa relicta tibi?
Deſpicis ergo tuum, ſi fas eſt credere, vatem;
Perfidus & ſpatio debilitatur amor?
Excidimuſne tibi? lucem jam condet Hydaſpes,
Et Tarteſſiaco, Sol, oriere vado:
Candeſcet Geticis Meroë converſa pruinis,
Claraque ſe vetito proluet Urſa mari:

3 ſcribendi labor eſt *MS.* ſcr. an labor eſt *conj. Heinſ.* ſed cui *conj. Heinſ.* 4 Cicerone *vulg.* Cicerona *Heinſ. ex MS.* 13 condat - oriare -- candeſcat *vulg.* 15 caneſcet *malit Heinſ.* conſperſa *Raph. contra libros teſte Heinſ.*

* Olybrium Conſulem intelligi, quem celebrat carmine 1, ſuadet v. 11, & ſocietas cum Probino car. 42.

1 *Affatus dirigere* h. e. epiſtolam mittere, & *pollice ducere* ſalutem, relinquenda huic ævo. De ſtilo hujus epiſtolæ & ſimilium ſcriptionum vid. ad 39 pr.

4 *Cicerona* Græcus accuſativus licenter adhibitus in nomine Latino. Aliud eſt *Platona* & ſimilia.

5 Etiam hoc Græcanicum eſt, ſed aureo poëta dignum, *cedere fatetur*, omiſſo *ſe*.

8 *Via Flaminia* nunquam non pulverulenta eſt a viatorum & jumentorum motu. Alter ergo amicorum in aula tum fuiſſe videtur Mediolani vel Ravennæ, alter Romæ. Via Flaminia ab urbe Ariminum usque pertinebat.

13 Pervertetur rerum natura, ubi nobis oritur ſol, ibi occidet in poſterum, ubi ſeptentrio nunc eſt, erit meridies. De *Meroë* vid. 1, 135. *Solſtitio Meroën, bruma tentabimus Iſtrum.*

Et ſi jam noſtros faſtidit Olybrius ignes,
Conſtat Oreſteam nil valuiſſe fidem.
Quin, age, rumpe moras, remoraturaſque, ſodalem
Abſens eloquio fertiliore doce.
Crebraque fæcundos feſtinet littera curſus,
Labris atque animis inſinuanda meis.
Dignatus tenui Cæſar ſcripſiſſe Maroni:
Et tibi dedecori ſcribere? Muſa, vale.

19 remoraturusque *Claver. & Heinſ. ex MSS.* moraturusque *MS.* ſolaturusque, memoraturusque, miraturusque *MSS.* recreaturusque *conj. Barth.* reſolutumque ſodalem -- doce *vel* exoratusque ſalutem *conj. Heinſ.* 21 facundos curſus & facundo curſu *MSS.* 22 digne tuis animis *vulg.* libris atque *MSS. plur. etiam Cuj. unde* labris *fecit Heinſ. Sed etiam* auribus atque *conj. Heinſ.* ſignatas animis inſinuando manus *conj. Barth.* 24 *Sic omnes editi.* ſcribere *om. MSS.* Nec tibi dec. Muſa futura *MSS. etiam Cuj.* Et tibi ded. non mea Muſa. Vale *Heinſ. Sed etiam* Et t. d. nil m. M. *vel* Nec t. d. ſit *conj. Heinſ.*

18 *Conſtat*, & probabitur hoc exemplo, fidem amicitiæ fallere poſſe etiam eam, quæ ſit ſimilis illi, quam Oreſtes & Pylades ſibi invicem præſtitere, in primis in affectanda morte vicaria, cum Dianæ Tauricæ eſſet ab Iphigenia alteruter mactandus. Vid. Euripidis Tragœdia Iphigenia in Tauris.

19 *Remoraturas* audacius fictum forte verbum, ſed bona tamen moneta ſignatum, ut *curatura, armatura* e. i. g. a. Voluit, credo, ludere poëta, & indicare ſic omne genus vel impedimenti vel obrentus. Cui laſcivire luberet, ille poſſet dicere, Auſer mihi *moras* omnes & *remoras* & *remoraturas*. Certe in omni varietate lectionis nihil eſt, quod magis placeat. De diſtinctione nihil dico: eam liberam eſſe oportere, nemo negat.

22 *Labris inſinuare* literas eſt oſculari, quod ſolemus in carorum hominum epiſtolis vel facere, vel factum a nobis nunciare. Cic. Fam 3, 11 pr. *Complexus ſum cogitatione te abſentem, epiſtolam vero oſculatus etiam mihi ipſe gratulatus ſum.* De amantium nugis non opus eſt dicere.

23 Donatus in vita Virgilii, *Auguſtus cum — & ſupplicibus & minacibus per jocum literis efflagitaret, ut ſibi de Aeneide, ut ipſius verba ſunt, vel prima carminis* Hypographa, *vel quodlibet colon mitteret* &c. *Hypographa* vox ignorabilis. Burmannus p. VI no. 32 ſuſpicatur primam ὑπογραφήν. Quid ſi *Hypographa* ſunt primum in chartas vel ceras, aut poëtæ manu aut librarii, conjecta, quos *liturarios* appellat Auſonius.

28 Magnam vim ac δραματικότητα habet hic verſus, ſi ita, ut fecimus, diſtinguatur. *Et* (cum indignatione, ut εἶτα) *tibi*, Olybri, qui non minus infra Auguſti faſtigium reſides, quam ego ſupra Virgilii, qualis tum erat, fortunas elatus ſum, *dedecori* putas ad me *ſcribere?* Si ita eſt, ſi ita contemnitur poëta, *Muſa* mea, *vale*. Nihil mihi amplius erit cum poëſi.

XLII

IV *AD PROBINUM UT SCRIBAT**

Quem precor inter nos habitura ſilentia finem?
Quando dabit caras littera grata vices?
Me timidum, vel te potius dixiſſe ſuperbum
Convenit? alterius crimen utrumque tenet.
Transfluxere dies, & dum ſcripſiſſe priorem
Pœnitet, æternas itur in uſque moras.
Sed quid agam? cœpiſſe vetat reverentia veſtri.
Hinc amor hortatur ſcribere. vincat amor.
Fors juvat audentes, Cei ſententia vatis.
Hac duce non dubitem, te reticente, loqui:

1 quem, precor, hæc, quem ſunt hab. *MS. pulchre.* 2 gratas lit. noſtra *al.* gratas -- grata *al.* 5 ter fluxere *MSS.* tot flux. *conj. Heinſ.* & *e MS. Barth.* tres flux. *alia conj. Heinſii, ſed minus felix.* 9 priſci ſent. *Vien. marg. Ald. Baſ. marg. Clav.* Chii *Vien. Baſ. Junt.* Cei *MSS. Scal. Heinſ.*

* Non dubium eſt, eum eſſe Probinum, cujus cum Olybrio fratre conſulatum celebravit noſter c. 1. Cf. v. 13.

3 *Timidus* eſt inferior vel humilior, ſi non audet ſcribere amico majori: *ſuperbiæ* imputatur, ſi major intermittat officium.

5 *Dies* hic indefinite ponuntur, pro longo tempore. *Pœnitet*, pœna eſt, moleſtum eſt: neuter vult incipere.

7 *Veſtri reverentia*, de uno declinantis in barbariem ſæculi eſt: quamquam hic poterat aliquis ſuſpicari, hoc velle poëtam, tui & tui ſimilium reverentia, ut ipſe Cicero, *vos magni oratores* &c. De illo more plurium numero compellandi unum, nec ſine Solœciſmo *vos adſecutum*, *vos procuraturum*, *vobis recitante*. vid Barth. ad Rutil. itiner. 1, 35. De illa ratione quantum ad principes Falſter. amœnitt. philoll. P. 2 p. 195.

9 Sententia nota Virg. Aen. 10, 284 *Audentes fortuna juvat:* ubi Lacerda magno numero laudat, qui ſimilia dixerint. Sed *Chius* an *Ceus vates*, qui ejus auctor ſit, neſcio an oſtendi poſſit. Homerum a quibusdam *Chium* putari, *Ceum* autem eſſe Simonidem, ſatis conſtat. *Priſci* facillimum eſt: ſed lectiones facillimæ raro eædem ſunt veræ.

Audax ut, ſi quidem penitus peccaſſe videbor,
Arguar, ingrati non ſubiturus onus.
Romanos bibimus primum te Conſule fontes,
Et Latiæ ceſſit Graia Thalia togæ,
Incipiensque tuis a faſcibus omina cœpi,
Fataque debebo poſteriora tibi.
Ergo laceſſitus tandem reſcribe roganti;
Et patria florens ſorte, Probine, vale.

11 aut ſi quid penitus peccaſſe videtur *vulg.* ut ſi *Clav.* videbor *Ald.* ut ſi -- videbor *Scal. Heinſ.* vates *MSS. etiam Cuj.* fatebor *MS.* 14 acceſſit *MSS.* grata *Baſ. marg.* 15 affatibus omnia *Vien. Junt. Baſ. Clav.* a faſtibus *Ald.* omina *Cuj.* a faſtibus omina *Barth. Heinſ.* 16 delebo *vulg. ante Barth. qui malebat* Votaque. *Sed* Fataque ſe debent *conj. Heinſ.* 18 arte *conj. Heinſ.*

11 *Audax ut arguar*, h. e. licet accuſer & convincar adeo audaciæ. *Onus ingrati*, crimen, grave, quo *premi* aliquis dicitur.

13 Hoc videtur dicere, ſe primum iliud carmen in conſulatum Olybrii & Probini Latinum ſcripſiſſe. Alexandria Græcis magis literis florebat quam Latinis. Muſæ *bibunt* fontes Caſtalios &c.

15 *Faſtus* etiam & *faſtibus* dici pro *faſtis* & *faſtos* exemplis etiam optimorum in Theſauris noſtris oſtenſum eſt.

16 *Fata poſteriora*, quidquid bonæ fortunæ poſt Conſulatum illum tuum mihi evenerit, tibi, ut auctori fautorique, debebo.

18 *Sortem* intelligam locum in rep. & conditionem vivendi unamquamque: hic ſummam Aucheniorum gloriam, quam commendat 1, 8 ſqq. Sed elegans & facilis etiam eſt conjectura Heinſii, *arte*, quo virtus omnis, & rerum gerendarum ratio ac prudentia continetur.

XLIII

V *AD GENNADIUM EX PROCONSULE**

Italiæ commune decus, Rubiconis amœni
Incola, Romani fama ſecunda fori;
Grajorum populis, & noſtro cognite Nilo.
Utraque gens faſces horret, amatque tuos.
Carmina jejunas poſcis ſolantia fauces?
Teſtor amicitiam, nulla fuiſſe domi.
Nam mihi mox nidum pennis confiſa relinquunt,
Et Lare contemto non reditura volant.

* Proconſulem *vulg.* Exproconſulem *MS.* ex proconſule *MSS.*
2 accola *malit Barth. & ego.* lingua ſec. *Cuj.*
7 pennis *al.*

* *Ex Proconſule* poteſt ſignificare eum qui fuit Proconſul, vel proprie dictus ac verus, qui illo honore provinciam rexerit, vel qui alias hoc nomine, quod late patet, honoratus eſt. Vid. Hagenbuch. Epiſt. Epigr. p. 285 ſq. ubi de vi præpoſitionis Ex in talibus diſputat. Gennadium hunc nihil prohibet eſſe eum, qui ſub Arcadio A. 396 fuit Præfectus Auguſtalis, ad quem directa eſt l. 1 C. Theod de Alexandrinæ plebis primatibus, quam Gothofredus ex hac ipſa epiſtola illuſtrat. Ejusdem adeunda eſt Notitia Dignitatum, de Exproconſulibus & Præfecto Auguſtali, ſi quis plura deſideraverit.

1 *Rubico* inter Ravennam & Ariminum cum mare Hadriaticum influat, alterutram harum urbium ſignari credibile eſt. Ravennæ ſæpe fuit aula. Forte prædium Rubiconi appoſitum habuit Gennadius.

2 *Fama ſecunda*, ut *Gloria prima*: prima nempe Fama Romani fori eſt Tullius: ab hoc ſecundas tribuit noſter liberaliter Gennadio, ut nempe 41, 4 Olybrio dedit, *Ciceronem tonare.*

3 Huc pertinet illa lex 1 C. Theod. de Alexandrinæ plebis primatibus data ad Gennadium, ut modo monuimus.

5 *Jejunas fauces* ipſe forte Gennadius poſuerat pro deſiderio vehementi.

7 Pullis avium comparat carmina ſua, quæ mox evolent: *pinnæ* ſunt majores pennæ alarum. Hoc videtur hic indicare, ſe non ſervare ſibi carminum ſuorum apographa, nec domi ſuæ habere librarios proprios.

CL. CLAUDIANI EIDYLLIA*

XLIV

1 PHOENIX †

Oceani ſummo circumfluus æquore lucus
Trans Indos Eurumque viret, qui primus anhelis
Sollici-

* Quidquid ſignificet *Idyllii*, quaſi tu *formulam* dicas, nomen, ſignificat autem, niſi fallor, minutum carmen, hexametrum præcipue, narrationem quandam continens: ea quæ ſub hoc titulo hic collecta habemus ſeptem poëmatia, non ab auctore, ne ab antiquo quidem deſcriptore ita appellata, deprehendimus. Barthius Epigrammatum communi titulo comprehendit, ſed quædam in his Eidyllia potius eſſe monuit. Ceterum digna ſunt ingenio Claudiani & doctrina, nec ultima, ſi pretium ſpectes, illius opuſculorum.

† Hoc carmen, ſi cui comparare lubeat cum altero hujus tituli atque argumenti, quod Lactantii operibus ſubjungi ſolet, multam ſimilitudinem utriusque, œconomian eandem, deprehendet, ut alter imitatus eſſe alterum videatur. Utrum alteri præferam, vix audeo dicere, contra ſententiam nempe Barthii ipſiusque Heinſii. Sed amavit nos quoque Phœbus. Jam conferre inter ſe narrationes de Phœnice inde ab Herodoto 2, 73; poëtas componere, & trutina ſuſpendere, Mythologian inquirere & Allegorias, videre de convenientia cum palma arbore, quæ φοίνιξ Græcis eſt; de argumento, quod ducebant κατ' ἄνθρωπον a Phœnice Chriſtiani ad reſurrectionem mortuorum quam certe hoc ſymbolo ſignabant, eſſet ejus qui librum de Phœnice juſtum poſt Braccium Texeliumque pararet. Qui hoc agat, illum præter Barthianum Commentarium, & Bunemanni V. D. ad Lactantianum Phœnicem obſervationes, juvabunt ut de Voſſio, Bocharto & antiquioribus nihil dicam, Ez. Spanh. de uſu & Pr. Num. Diſſ. 5 p. 285, & Cl. Erneſti ad claſſicum locum Tac. An. 6, 28. Nos interea nos continebimus, quæ intelligentiam hujus carminis juvare videbuntur.

1 *Summum æquor* hic interpretandum eſſe videtur extremum, a nobis remotiſſimum, ut *imo* opponatur, in quantum *imum* eſt intimum. Non. 4, 440 *Summum, extremum*, laudatque illud Virgilii Aen. 2, 324 *Venit ſumma dies, & ineluctabile fatum:* & ex Ciceronis Hortenſio, *vixit ad ſummam ſenectutem optuma valetudine.* Sic noſter 32, 6 *Litora ſumma* dixit.

2 *Trans-Eurum*, ὑπὲρ τὸν Εὖρον, ut Hyperboreos dixere Græci, quaſi trans & ultra Boream habitantes.

Sollicitatur equis, vicinaque verbera ſentit,
Humida roranti reſonant cum limina curru,
Unde rubet ventura dies, longeque coruſcis
Nox afflata rotis refugo palleſcit amictu.
Hæc fortunatus nimium Titanius ales
Regna colit, ſoluſque plaga defenſus iniqua
Poſſidet intactas ægris animantibus oras;
Sæva nec humani patitur contagia mundi:
Par volucer Superis: ſtellas qui vividus æquat
Durando, membriſque terit redeuntibus ævum,
Non epulis ſaturare famem, non fontibus ullis
Aſſuetus prohibere ſitim: ſed purior illum
Solis fervor alit, ventoſaque pabula libat
Tethyos, innocui carpens alimenta vaporis.

Arcanum

3 colluſtratur *Cuj.* 4 vivida *MS. unde* uvida *conj. Heinſ.* 7 Junonius *Cuj.* 8 Solisque *Cuj. Heinſ. 2.* 9 animalibus *al.* ignotas -- mortalibus *Cuj.* 11 invidus *Cuj.* 15 pab. potat *Ald. & MSS.*

3 *Solicitatur* lucus, cum ad Auroræ exortum & vento illo ſolenni moventur rami arborum, & aves cantare incipiunt. *Verbera*, quibus equi percutiuntur.

4 *Rorans currus* Auroræ, non Solis, hoc ipſo Epitheto intelligitur. *Limina* poſſunt illa quidem etiam portam quandam Orientis ſignare. Sed ſolet noſter hoc nomen ſumere latius, ut βηλὸν illum Homericum, ut ſolum illud notet æneum, per quod Jovis equi dum currunt, tonitrua edunt. Vid. 7, 164 & 24, 287.

6 *Nox* dea habet velum ſ. *amictum* nigrum: palleſcit illud velum cum denſum & ſaturatum illum nigrorem paullatim amittit. Vid. 35, 363.

8 *Plaga* illa, Soli orienti proxima, *iniqua* eſt & intolerabilis ægris mortalibus: vid. v. 10. Itaque ſolus illam poſſidet Phœnix.

10 Aſpere dictum, *humanus*, quâ hominibus cultus eſt, mundus contagia habet morbi. *Aeger* mortalium ſolenne epitheton poſt Lucret. 6, 1. Sic Virg. Ge. 1, 237. Aen. 2, 268.

12 *Terit ævum* Phœnix, non ipſe teritur, certe nihil deterit illi ævum, quod non recipiat.

23 Nihil eorum, quæ de hac ave narrat, facilius credas, quam illud Plin. 10, 2 *Neminem exſtitiſſe, qui viderit veſcentem:* credo etiam, qui volantem, ſtantem &c.

15 *Ventoſa pabula* vapores in aëre ſublatos, mixtum aëre humorem.

Arcanum radiant oculi jubar. igneus ora
Cingit honos. rutilo cognatum vertice ſidus
Attollit criſtatus apex, tenebraſque ſerena
Luce ſecat. Tyrio pinguntur crura veneno.
Antevolant Zephyros pennæ, quas cærulus ambit
Flore color, ſparſoque ſuper diteſcit in auro.
Hic neque concepto fetu, nec ſemine ſurgit:
Sed pater eſt proleſque ſibi, nulloque creante
Emeritos artus fecunda morte reformat,
Et petit alternam totidem per funera vitam.
Namque ubi mille vias longinqua retorſerit æſtas,
Tot ruerint hiemes, toties ver curſibus actum,
Quas tulit autumnus, dederit cultoribus umbras:
Tum multis gravior tandem ſubjungitur annis,
Luſtrorum

9 criſpatus *MSS.* 21 circulus — Floricolor *conj. Barth. probante Heinſ.* ore *vel* rore color *MSS.* 22 ſparſoque ſimul *MSS. etiam Cuj.* 23 concipitur *conj. Barth.* conceptus *conj. Heinſ.* 24 ſui *vulg.* ſibi *etiam Baſ. marg.* 25 reſolvit *Cuj.* 26 æternam *Cuj.* 27 revolverit *Cuj.* longæva *MS.* 28 tot fuerint *vulg.* torruerint, corruerint, horruerint *MSS.* tot ruer. *Ald. MSS.* totidem *malit Heinſ.* 29 herbas *Cuj.* 30 ſubducitur *MS. quod placet Heinſio.*

18 *Sidus cognatum* Soli, ſplendorem capiti circumdatum deſcribit, quem exhibent nummi V. G. apud Spanhemium l. c. p. 287 cum titulo, FELIX TEMPorum REPARATIO.

20 *Venenum Tyrium* imitatione Virgiliana de purpura. Georg. 2, 465 *Alba nec Aſſyrio fucatur lana veneno.* Sic *Venenato operitur* Flaminica Dialis apud Gell. 10, 15 i. veſte tincta purpura, vel colore alio. Hæc cum ita ſe habeant, tamen puto, non convenire pedibus Phœnicis *venenum* h. e. φάρμακον, materiam quæ vim habeat immutandi naturam rei cui applicatur.

22 *Flos* in colore ſignificat vividum illum ſplendorem, quem ars vix imitatur. Si dediſſet poëta *Flore ſuo*, nemo hic hæſiſſet credo, nedum Barthius. Sed poteſt tamen intelligi.

26 *Aeterna* eſt *vita*, quæ ipſa morte reſtituitur: *totidem* hic ſunt vitæ quot funera, quia ex unoquoque funere nova vita naſcitur.

27 *Retorquet æſtas vias* ſuas: a Tropico Cancri redit Sol verſus alterum Capricorni. *Ver actum* & incitatum curſibus ſuis, dare ſolet ruricolis *umbras*, folia arborum, quas *autumnus* abſtulit. Mille illos annos per omnes quatuor tempeſtates deſcribit.

30 *Subjungitur*, vincitur & quaſi ſub jugum mittitur. Virg. Aen. 8, 502 *Nulli fas Italo tantum ſubjungere gentem.*

Luſtrorum numero victus. Ceu laſſa procellis
Ardua Caucaſio nutat de vertice pinus,
Seram ponderibus pronis tractura ruinam.
Pars cadit aſſiduo flatu: pars imbre pereſa
Rumpitur: arripuit partem vitioſa vetuſtas.
Jam breve decreſcit lumen, languetque ſenili
Segnis ſtella gelu: qualis cum forte tenetur
Nubibus, & dubio vaneſcit Cynthia cornu.
Jam ſolitæ medios alæ transcurrere nimbos
Vix ima tolluntur humo. Tunc conſcius ævi
Defuncti, reduciſque parans exordia formæ,
Arentes tepidis de collibus eligit herbas,
Et cumulum texens pretioſa fronde Sabæum
Componit buſtumque ſibi partumque futurum.
Hic ſedet, & blando Solem clangore ſalutat
Debilior, miſcetque preces, ac ſupplice cantu
Præſtatura novas vires incendia poſcit.
Quem procul adductis vidit cum Phœbus habenis,
Stat ſubito, dictiſque pium ſolatur alumnum:
„*O ſenium poſiture rogo,' falſiſque ſepulcris*
Natales habiture vices, qui ſæpe renaſci

Exitio,

32 culmine *Ald. MSS.* 33 factura *Cuj.* 36 jamque ubi *MSS.* jam ſibi *conj. Heinſ.* 37 ſtilla *omnes ante Barth.* ſtela & ſtella *MSS.* 39 tranſcindere *Cuj.* 41 defecti *Cuj.* ex. vitæ *MS.* 45 magno Solem *MS.* 50 membrisque ſepultis *Cuj.*

36 Supra v. 17 *jubar* oculorum laudaverat, & mox *ſtellam*, quæ caput circumdat. Illud decreſcit & *breve* fit, h. e. parvum, hæc languet.

38 *Dubium* eſt cornu Lunæ, cum quis *videt aut vidiſſe putat per nubila Lunam*, ut eſt Aen. 6, 454.

41 *Defunctum ævum*, quo quis defunctus eſt, ſive Hypallagen dicas, ſive deponens uſurpatum paſſive. Ceterum ridiculus eſt Aelia. Hiſt. An. 6, 58 qui numerandi ſcientiam majorem tribuat Phœnici, quam Aegyptiis ſacerdotibus, quibus de elapſis D annis non æque ut illi conſtet.

43 Turiferæ arboris ſarmenta deſcribit: quem *cumulum* noſter, eam commodius Mela 3, 9 *ſtruem* vocat, *variis exaggeratam odoribus*. Cf. v. 59.

48 *Adductis habenis ſtat Sol*, poſtquam vidit Phœnicem: conſtructio aliquantum turbata.

Exitio, proprioque ſoles pubeſcere leto,
Accipe principium rurſus, corpuſque coactum
Deſere. mutata melior procede figura.„
Hæc fatus, propere flavis e crinibus unum
Concuſſa cervice jacit, miſſoque volentem
Vitali fulgore ferit. jam ſponte crematur,
Vt redeat, gaudetque mori feſtinus in ortum.
Fervet odoratus telis cæleſtibus agger,
Conſumitque ſenem. Nitidos ſtupefacta juvencos
Luna premit, pigroſque polus non concitat axes.
Parturiente rogo, cunis natura laborat
Aeternam ne perdat avem, flammaſque fideles
Admonet, ut rerum decus immortale remittant.
Continuo diſperſa vigor per membra volutus
Aeſtuat, & venas recidivus ſanguis inundat.
Victuri

52 patrioque malit *Heinſ.* 53 caducum *conj. Heinſ.* 54 mutatam --- figuram *MS. Græciſmo.* 57 litali *Cuj.* nam ſp. *al.* 59 ſtellis cæl. *vulg.* telis *etiam Baſ. marg. & firmat Heinſ.* flammis ſolaribus *Cuj.* 62 curis *omnes.* cunas *ſuſpicati Barth. & Heinſ.* V. N. 64 ammovet *i. admovet Baſ. marg. Vien. ſed* admonet *marg.* amovet *Raph. Janſ. Heinſ.* 1. 66 venis *Vien.* redivivus *omnes ante Heinſ.*

53 Etiam hic eſt Hypallages genus, ſi ita dedit Poëta, & non *coactus.* Prius placere potuit, ne nimis congruerent caſu *corpusque coactus.* Sed poteſt etiam intelligi *corpus coactum* a ſenio, & redactum in arctiorem formam, ut ille Tithonus tandem in cicadam exaruit.

56 *Concuſſa cervice*, ut hyſtrices jaculantur de ſuis aculeis vnum. Vid. 45, 20.

59 *Agger* eſt ille, quem *cumulum* dixerat v. 43 & vocat *congeriem* v. 93.

60 De *juvencis* ſ. bubus quibus Luna vehitur, dictum ad 36, 403.

61 *Axes* h. e. ſtellæ (vid. 35, 192) pigri ſunt, quia Luna illos *premit*, retinet, *adductis*, ut modo noſter v. 48, *habenis.*

62 *Naturam* etiam hic perſonam facit, ut 36, 33, quæ *laborat*, *ne* in *cunis perdat avem*, quæ æterna debet eſſe. Antitheta affectat: *Rogus* non perdit hic, ſed *parturit: cunis* igitur non perdendus ſed ſervandus, & novo partu proferendus eſt Phœnix. Auſus ſum literula una leviſſime immutata lucem dare loco & nitorem, ut mihi videtur. *Cunas* jam protulit Heinſius ex Ovid. Met. 15, 405 *Fertque pius cunasque ſuas, patriumque ſepulcrum.*

63 *Fideles flammæ*, quæ depoſitum reddunt, & ſplendidius quam accepere *remittunt.*

65 *Diſperſa* in cineres ſunt Phœnicis *membra*; ſed ſtatim ab hac diſſolutione & purgatione, *vigor* per ea incaleſcit, & inteſtino motu huc illuc movetur.

Victuri cineres nullo cogente moveri
Incipiunt, plumaque rudem veſtire favillam.
Qui fuerat genitor, natus nunc proſilit idem,
Succeditque novus. Geminæ confinia vitæ
Exiguo medius diſcrimine ſeparat ignis.
Protinus ad Nilum Manes ſacrare paternos,
Auctoremque globum Phariæ telluris ad oras
Ferre juvat. velox alienum tendit in orbem,
Portans gramineo clauſum velamine funus.
Innumeræ comitantur aves, ſtipantque volantem
Alituum ſuſpenſa cohors. exercitus ingens
Obnubit vario late convexa meatu.
Nec quiſquam tantis e millibus obvius audet
Ire

74 pergit *al.* tendit *etiam Vien. marg.* 75 clarum *Baſ. marg.* carum *conj. Heinſ.* clauſum *etiam Vien marg.* 76 glomerantur *MS.* ſtipatque *vulg.*

66 Quantum ad rem ipſam eandem hic vim habent *recidivus* & *redivivus*. Præterea in libris antiquis perpetuo fere utrumque nomen permutari videas, non tantum ut *recidivum* dicatur, cui a morte vita rediit, ſed ut *rediviva* dicantur lapides & rudera ædificii antiqui ad novum adhibita. Vid. Theſaurus. Amabat Heinſius, quod ſæpe in libris optimis invenerat, *recidivum*, & ad hunc locum ſtudioſe ac magno exemplorum numero tuetur. Eo magis illud reliquimus, cum alias ſanguini magis *redivivi* etymon conveniat &c.

68 *Rudem favillam* cogitare licet ut argentum vel aurum rude, illaboratum.

72 *Manes* hic pro reliquiis cadaveris ponit, ut 39, 13.

73 Quem *Auctorem globum* appellet, obſcurum eſſe non poteſt his, qui Herodoteam narrationem cognoverit, quam ſcilicet, ut notam omnibus ponit Poëta, non explicat. Novus Phœnix format *ex myrrha ovum*, (*globum* recte noſter appellat) cui ferendo par ſit: illi excavato indit reliquias paternas, easque defert in templum Heliopolitanum &c. Breviter Mela 3, 8 extr. *Oſſa priſtini corporis incluſa myrrha Aegyptum exportat.*

75 *Gramineo velamine* ipſum illum globum, ſ. ovum involvere illum facit poëta, & ipſa illa gramina arida atque odora forte ignem debent concipere & alere. *Myrrham* non excludi, docet v. 95.

77 *Suſpenſa*, ut *pendere* volatum ſignificat. Suſpenſa enim dicuntur, quæ facili motu huc illuc impelli poſſunt: ut Sil. 12, 94 *Suſpenſum hic librans media inter nubila corpus.*

78 *Obnubit*, ut alias *obtexendi* verbo utitur, V. G. 21, 258 *jaculis obtexitur aër.* *Convexa* cælum eſſe noſtro, plus ſemel obſervatum.

Ire duci: ſed regis iter fragrantis adorant.
Non ferus accipiter, non armiger ipſe Tonantis
Bella movent. commune facit reverentia fœdus.
Talis barbaricas flavo de Tigride turmas
Ductor Parthus agit: gemmis & divite cultu
Luxurians ſertis apicem regalibus ornat.
Auro frenat equum, perfuſam murice veſtem
Aſſyria ſignatur acu, tumiduſque regendo
Celſa per famulas acies ditione ſuperbit.
Clara per Aegyptum placidis notiſſima ſacris
Urbs Titana colit, centumque accline columnis
Invehitur templum Thebæo monte revulſis.
Illic, ut perhibent, patriam de more reponit
Congeriem, vultumque Dei veneratus herilem
Jam flammæ commendat onus: jam deſtinat aris
Semina relliquiaſque ſui. Myrrhata relucent
Limina.

80 flagrantis *vulg.* fragrantis *etiam Cuj.* 83 fluvio *vulg.* 88 per Tyrias *vulg.* famulas *etiam Cuj. & Vien. marg.* 90 immane *vulg.* centum fultumque *MSS.* accline *MSS. ap. Heinſ.* 91 Thebano *vulg.* 95 mirata --- Limina *editum ante Heinſ. Sed* myrrhata *jam Clav. & Raph.* Lumina *ſcripti plerique Heinſ. unde ille conj.* Culmina.

80 Poteſt reſpexiſſe videri ad Papinii locum, qui ſuam Thebaida in ipſo fine ſic alloquitur, *Nec tu divinam Aeneida tenta, Sed longe ſequere, & veſtigia ſemper adora.*

86 Græcatur noſter, *Signatur* Parthorum rex *acu Aſſyria*, quantum ad *veſtem* purpuream, eſt enim *murex* purpuræ conchæ genus: h. e. indutus eſt veſte purpurea, acu picta, vel Babylonico opere diſtincta.

88 *Ditio* eſt ipſum jus imperii, quod etiam formulæ conſuetæ docent, in ditione habere, ſub ditione tenere &c.

90 *Heliopolis*, ἡλίου πόλεως, urbis Solis, deſcriptio. *Centum columnis* nixum vel *fultum* templum conſuetius: ſed *accline* referri poteſt ad faſtigium illud tecti utrinque inclinatum, & accline ad columen.

91 *Thebaica* regio abundat illo ſaxorum genere ex quo portentoſa opera conſtructa olim ſunt, quæ hodie adhuc admirationi noſtræ exponunt peregrinatores, ut illa Memnonis ſtatua, de qua eſt præclarum Jablonskii opuſculum.

93 *Congeriem* hanc globum vocat noſter v. 73, *cumulum* v. 43, *aggerem* v. 59.

95 *Myrrhata lumina*, flamma a pinguis myrrhæ globo nutrita. Inter ſuffimenta hodie eſſe myrrham, conſtat.

Limina. divino ſpirant altaria fumo:
Et Peluſiacas productus aduſque paludes
Indus odor penetrat nares, completque ſalubri
Tempeſtate viros, & nectare dulcior aura
Oſtia nigrantis Nili ſeptena vaporat.
O felix, hæreſque tui. quo ſolvimur omnes,
Hoc tibi ſuppeditat vires. præbetur origo
Per cinerem. moritur te non pereunte ſenectus.
Vidiſti quodcumque fuit. te ſæcula teſte
Cuncta revolvuntur. Noſti quo tempore pontus
Fuderit elatas ſcopulis ſtagnantibus undas:
Quis Phaëthonteis erroribus arſerit annus.
Et clades te nulla rapit, ſolusque ſuperſtes
Edomita tellure manes. non ſtamina Parcæ
In te dura legunt, non jus habuere nocendi.

96 divinos -- fumos *ſuſp. Heinſ.* 98 pervenit Indus odor *vulg.* *pro* penetrat, penitus *Claver.* perv. Indus odor Blemyas c. ſ. T. Phylas *conj. Barth.* 101 o fili *Cuj.* 102 ſuppeditant *Guelf.* vitam *Cuj.* 103 moriente *Cuj.* 105 reſolvuntur *Vien. marg.* 107 arſ. amnis *Vien. Baſ. ſed* annus *uterque marg.* 110 dira *Guelferb.* habet hora *Barth. Horam fatalem ſ. mortem intelligit.*

98 *Indus odor* laudatur circumſcriptione 35, 82.

100 *Nigrantis Nili*, doctum epitheton fluvii, qui apud Virg. Ge. 4, 291 *Aegyptum* nigra *fecundat arena:* qui etiam שיחור Ebræis, & *Melo* antiquis Romanis ab hoc colore dictus putatur. Vid. G. I. Voſſ. ad Auſonii illud p. 585 Toll. *Melonis album filiam.*

101 Placet vehementer, licet habeat hiatum merricum, Cujaciana lectio, O *fili*, digna certe noſtro & hoc carmine Antitheſi.

102 Minime contemnenda Guelferbytani codicis lectio *ſuppeditant*, intranſitive, ſuppetunt, ſuppeditantur.

105 Diluvii deſcriptio, *ſcopulos ſtagnantes* intelligo montes, in quorum cacuminibus ſtant aquæ, ſtagna fiunt. Novit Phœnix pro illa ſua chronologica ſapientia, de qua ad v. 41 ex Aeliano, quot anni ſint a Deucalioneo diluvio, quot ab incendio Phaëthonteo, elapſi.

110 Itaque conſecrationis ſive ἀποθεώσεως, atque æternitatis adeo ſymbolum eſt in nummis Fauſtinæ apud Arſchota. T. 43.

XLV

II *HYSTRIX*

Audieram, memorande, tuas, Stymphale, volucres
Spicula vulnifico quondam ſparſiſſe volatu:
Nec mihi credibilis ferratæ fabula pinnæ
Viſa diu. Datur ecce fides, & cognitus hyſtrix
Herculeas affirmat aves. Os longius illi
Aſſimulat porcum. mentitæ cornua ſetæ
Summa fronte rigent. oculis rubet igneus ardor.
Parva ſub hirſuto catuli veſtigia dorſo.
Hanc tamen exiguam miro natura tueri
Præſidio dignata feram. ſtat corpore toto
Silva minax, jaculiſque rigens in prælia creſcit
Picturata

* de hyſtrice, quem porcum ſpinum (ſpineum) dicimus *MS.* quem dicimus porcum ſpinoſum *Vien.* 1 memoranda *malit Heinſ. Gr.* ἡ συμφάλος. 6 aſſimilat *al.* 9 attamen *malit Heinſ.*

* Ariſtoteles Hiſt. An. 9, 39 extr. refert τὰς ὑτριχας inter τὰ βάλλοντα ταῖς θριξίν. Sed 1,6 οἱ ὕτριχες referuntur inter ea, quæ ἀκανθώδεις τρίχας habent. Et, 8, 17 pr. οἵ τε ὑτριχες, καὶ αἱ ἄρκτοι. De genere nominis ipſe igitur a ſe diſſidet, quo minus mirum eſt, Latinis non convenire. Noſtro v. 4 eſt *cognitus* hyſtrix: ſed Calpurn. ecl. 6, 14 *Hirſuta ſpinoſior hyſtrice barba.* Verum adjiciamus hic in lectorum gratiam locum Plin. 8, 35 *Hyſtrices generat India & Africa ſpina contectas, ac herinaceorum genere: ſed hyſtrici longiores aculei, & cum intendit cutem miſſiles. Ora urgentium figit canum, & paulo longius jaculatur.* Qui plura deſiderer, legat ſuaviſſimum carmen Oppia. de Venat. 3, 391 & ibi Ritterſhuſ. Spanh. ad Callim. H. in Dia. v. 96 p. 199. De hiſtoricis animalium ne dicam. Animal hodie quoque notum, cujus quatuor ſpecies habet Linnæus.

1 *Stymphalidas* memoravit 34, 37. Illud de ſpiculis pinnarum ferreis forte habuit noſter a ſuo cive Apollonio, qui Argon. 2, 1037 de una earum ſic canit, Ὅς ῥα τιναξάμενος πτέρυγας κατὰ νῆα θέουσαν Ἥκ' ἐπὶ οἱ πτερὸν ὀξὺ κ. τ. λ. Vid. Schol. & VV. DD. ad Hygi. fab. 20 & 30 p. 85 *Aves Stymphalides in inſula Martis, quæ emiſſis pennis ſuis jaculabantur, ſagittis interfecit* Hercules.

8 *Catuli veſtigia* noſter, Lupi ſimilitudinem obſervat Oppianus. Sed noſter parum indicat animal, Oppianus lupi etiam magnitudinem paullo minorem tribuit.

Picturata seges, quorum cute fixa tenaci
Altera succrescit, alternantesque colorum
Tincta vices, spatiis internigrantibus, exit
In solidæ speciem pinnæ, tenuataque furtim
Lævis in extremum sese producit acumen.
Sed non hæc acies ritu silvestris echini

13 alba subattraxit *MS.* albus ubi traxit *Ald. MS.* altera subtraxit *MSS.* alvo, alvum, ardua subtraxit *MSS.* quæ cum cute missa tenaci, Altera succrescit: *vel* quorum cute fixa tenaci Alba subit radix *conj. Barth. Dedi lectionem omnium editorum, nisi quod* subtraxit *Heinf. quod non intelligo: & optabam intelligere, cum adscripserit vir summus,* nostram lectionem nemo sanus damnabit. 14 cincta — intus nigr. *vulg.* cuncta & tincta *MSS.* picta *conj. Heinf. sed posuit* tincta. 14 pugnæ *pro* pinnæ *vulg.* pinnæ *jam Vien. marg. & Baf. marg.*

12 *Picturatæ* sunt spinæ alternante colore nigricante velut adusto, & albicante, quæ statim vocat spatia *internigrantia.* Porro horum jaculorum *altera* subinde seges, *tenaci cute* animalis *fixa*, succedit & *succrescit*, & *tincta* alternis coloribus, *exit* & formatur *in speciem pinnæ*, non simplicis (quæ est una series sudium, vallorum, palorum, aggeri infixorum) sed *solidæ* e continuatis seriebus constantis. Hæc seges, quantum ad singula spicula quibus constat, levis est ac polita, quo facilius penetrat, ac sensim s. paullatim tenuatur, donec in extremo acuta valde fiat.

14 *Internigrantibus spatiis* ea forma dixit, qua Plinius 37, 10 *Leucochrysos* gemma *fit*, certe exsistere intelligitur, *Chrysolitho interalbicante* (quod mutare non debebat Harduinus) qua *interlucere*, & *intermicare* noster & *internitere* plus semel Plinius: qua noster 35, 100 *interviret.* Sed usus est hoc ipso verbo Statius Theb. 6, 336 ubi facit equas Admeti *maculis internigrantibus albas.*

15 *Pinnam solidam* jam breviter descripsimus. Superest ut hic moneamus, quod in Thesauris non satis expressum est, *pinnæ* nomen non modo de illo genere munimenti poni, quod vulgo omnes ita vocant, murum tenuiorem crassiori impositum intermissis spatiis &c. sed esse debere etiam, quod modo indicavimus, sudes, palos, infixos summo aggeri vel ad perpendiculum, vel linea paulum ab horizontali declinante. Ex hoc genere fuit ille agger a Cæsare structus ad Massiliam, de quo Luca. 3, 385 *Densas tollentia pinnas Cespitibus, crudaque exstruxit brachia terra.* Brachia hujus aggeris, quæ cespitibus & cruda terra constarent, quas alias habere potuerunt *pinnas*, & quidem *densas*? Tales intelligo apud eundem Luca. 4, 432 ubi in re navali memorat *tremulis tabulata minantia pinnis.* Tales Cæs. B. Gall. 5, 40 *Turres contabulantur, pinnæ, loricæque ex cratibus, attexuntur.*

17 *Silvestris echinus*, qui ericius, erinaceus vel herinaceus dicitur. An sit apud Romanum scriptorem antiquum *echinus* de terrestri animali, nondum observavi. Certe festinavi, cum in Stephaniano Thesauro dixi, Varronem putare *echini* nomen esse in terrestri animali antiquius. Antiquiorem nostro auctorem nondum habeo.

Fixa manet. crebris propugnat jactibus ultro,
Et longe ſua membra regit, tortumque per auras
Evolat excuſſo nativum miſſile tergo.
Interdum fugiens Parthorum more ſequentem
Vulnerat: interdum, poſitis velut ordine caſtris,
Terrificum denſa mucronum verberat unda,
Et conſanguineis haſtilibus aſperat armos.
Militat omne feræ corpus, vibrataque rauco
Terga fragore ſonant. Stimulis accenſa tubarum
Agmina collatis credas confligere ſignis.
Tantus in anguſto ſtrepitus furit. Additur armis
Calliditas, parcuſque ſui tumor, iraque numquam
Prodiga telorum, caute contenta minari,
Nec niſi ſervandæ jactus impendere vitæ.

Error

18 oppugnat *conj. Heinſ.* 19 tegit *MSS. quod placet Barth.* 23 mucronum *MS.* mucronum everberat *vel* mucronis verberat *conj. Heinſ.* mucronem *editi.* 25 virgataque *conj. Barth.* 27 *pro* ſignis, telis *MS.* 29 timor *vulg.* tumor *debetur Heinſ.*

19 Aculei ſunt *membra* hyſtricis. Hæc *regit* etiam in longinquum, h. e. dirigit in locum deſtinatum, collineat. Videtur hoc verum eſſe poſſe hactenus, ut impetus ille horrentis corporis dirigatur verſus locum unde vis ingruit, ut canum pili, & plumæ gallorum gallinaceorum, collum veſtientes, eriguntur & horrent verſus eum in quem impetum meditantur. Conf. dicenda ad 45, 8.

20 *Excuſſum tergum* omni vi concuſſum, ut exeat, quidquid maturum eſt ad excutiendum.

21 Conſueta Parthis pugnandi ratio, ad quam alias etiam noſter reſpicit.

22 Qui *caſtra ponunt*, illi ad bellum ſe juſtum ac ſerium comparant.

23 *Terrificum* quiddam, δεινόν, *verberat*, h. e. colliſu ſpinarum ſuarum ſtrepit: quale quid quotidie licet obſervare, in Gallis quos Indicos vulgo vocamus vel Calecuticos, qui cum ſtrepitu quodam & crepitu rotare caudam, & erigere, quidquid vel pinnarum vel plumarum eſt, ſolent. Hunc ſtatim *raucum fragorem* appellat. *Unda mucronum* eſt motus omnium ſimul aculeorum, reciprocus præſertim, ut cum ſegetem ventus impellit, vel exercitus ſubrectis armis movetur.

24 *Conſanguinea haſtilia* ex eodem unius animalis ſanguine orta, & ſimilia adeo.

29 *Tumor* quam pulchre dicatur ira & in hoc animali, & in pleriſque videmus, quæ augentur, inflantur, intumeſcunt ab ira.

31 Venuſte poſſit aliquis hoc verſu uti, ad indicandum illud quod inculpatæ tutelæ moderamen vocant Philoſophi. Recte ſane armis uti dicas eum, qui *Non niſi ſervandæ vitæ* ictus illorum & vulnera *impendat.*

Error abeſt: certum ſollertia deſtinat ictum,
Nil ſpatio fallente modum: ſervatque tenorem
Mota cutis, doctique regit conamina niſus.
Quid labor humanus tantum ratione ſagaci
Proficit? Eripiunt trucibus Gortynia capris
Cornua: ſubjectis eadem lenteſcere cogunt
Ignibus: intendunt taurino viſcere nervos.
Inſtruitur pinnis, ferroque armatur arundo.
Ecce brevis propriis munitur beſtia telis,
Externam nec quærit opem: fert omnia ſecum:
Se pharetra, ſeſe jaculo, ſeſe utitur arcu.
Unum animal cunctas bellorum poſſidet artes.
Quod ſi omnis noſtræ paulatim induſtria vitæ
Fluxit ab exemplis; quidquid procul appetit hoſtem,
Hinc reor inventum: morem hinc traxiſſe Cydonas
Bellandi, Parthoſque retro didiciſſe ferire
Prima ſagittiferæ pecudis documenta ſecutos.

33 muta *ante Heinſ.* tegit *al. Sed* regit *jam Vien. qui etiam* niſus *habet*, *pro aliorum* viſus: *it.* Quid labor, *pro* Quis. 38 taurinos mittere *al. Sed jam* taurinos viſcere *Vien. & Baſ. marg.* 40 bellua *Heinſ. ex duobus MSS.*

33 *Modum* hic vocat directionem, collineationem, quæ etiam in longum ſpatium non aberrat.

35 Naturalis ſagacitas (quæ utitur conformatione & ſtructura totius corporis muſculorum certe & cutis mechanica) plus in hyſtrice proficit, quam operoſum illud ſagittandi artificium, quod deſcribit, & comparat cum hyſtricis jaculatione, poëta.

36 Cretenſes, quorum urbs *Gortyna*, nobiliſſimi ab hac ſagittandi arte, cornua illa caprorum elaſtica ad arcus adhibuere. Luca. 3, 186 *Nec Eois pejor Gortyna ſagittis.* Nihil frequentius poëtis, quam *cornu* vocare arcum, ab hac ſolemni ejus materia.

37 Hac ratione utuntur fabri etiam carpentarii & ſimiles ad ligna inflectenda.

38 Non ſatis conſtituo, voluerintne poëta indicare *nervos taurinos* intendi arcubus, h. e. penes; an inteſtina illorum torqueri in nervos arcuum. *Viſcus taurinum* poteſt, credo, ſignificare utrumque.

39 Grata brevitas. Pinna inſtruitur utrinque infixa inferior ſ. poſterior pars ſagittæ, ne illa parte præponderare poſſit.

44 Si aranea texendi artem docuit, ædificandi fibrus, venæ ſecandæ hippopotamus, ibis alvum curandi clyſmate rationem oſtendit &c.

46 *Cydones* ſ. Cydonii Cretenſis ipſe quoque populus.

XLVI

III *TORPEDO*

Quis non indomitam diræ Torpedinis artem
Audiit, & merito ſignatas nomine vires?
Illa quidem mollis, ſegnique obnoxia tractu
Reptat, & attritis vix languida ſerpit arenis.
Sed latus armavit gelido natura veneno.
Et frigus, quo cuncta rigent animata, medullis
Miſcuit, & proprias hiemes per viſcera duxit.
Naturam juvat ipſa dolis, & conſcia ſortis
Utitur ingenio, longeque extenta per algas

Hac

1 mirae *al.* 2 audit & emerito *al.* 3 obnoxia tactu *Vien. Baſ. marg.* *Ald.* & *MSS.* obnoxia tractu *vel* natu *MS. Pro* mollis, molli *malit Heinſ.* 6 armenta *MS.* & *Claver.* ligentur, & arma *Cuj. ut* v. 22. 9 ingenita *Cuj.*

* Νάρκην vocant Græci. Bis de illa canit ſummus poëta Oppianus, 2, 55 - 84, & 3, 149 - 155. Utrumque locum videtur ſi non præ oculis, in memoria tamen noſter habuiſſe.

1 *Diram* merito vocat, certe voracem & in piſces alios graſſantem deſcribit etiam copioſe Oppianus

5 Poſſet hic quidem *latus* ut alias de toto corpore intelligi: ſed λαγόνας *lumbos* appellat Oppianus diſerte 2, 62, radios utrique lateri adnatos, (Κερκίδες ἐμπεφύασι παρὰ πλευρὴν ἑκάτερθεν) quos qui attingat, ejus ſtatim robur exſtingui &c.

7 *Proprias* hiemes, quas diſpenſare, transfundere in alia animantia ſuo arbitrio poſſit.

8 *Conſciam ſortis* ſuæ i. naturalis hujus muneris eſſe torpedinem, vix perſuaſeris Philoſopho. Poëtæ quidem licet non hoc tantum, ſed ſenſum dare & conſcientiam & agendi voluntatem ipſis quoque inanimatis. Tractat divinitus hunc locum Oppianus. Breviter Horat. Ser. 2, 1. 52 *Dente lupus, cornu taurus petit; unde, niſi intus Monſtratum?* Pene poëtice Tullius de N. D. 2 c. 50 quem locum ponemus, quia etiam torpedines nominat. *Jam illa cernimus, ut contra metum & vim ſuis ſe armis quæque defendat. Cornibus tauri, apri dentibus, morſu leones: aliæ fuga ſe, alia occultatione tutantur; atramenti effuſione ſepiæ,* torpore torpedines, *multæ etiam inſectantes odoris intolerabili fœditate depellunt.* Ceterum jungenda ſic puto verba, Torpedo conſcia eſt ſortis ingenii, h. e. naturæ quam ſortita eſt, ingenii, quod ſorte

Hac confisa jacet, succesſu læta reſurgit,
Et vivos impune ferox depaſcitur artus.
Si quando veſtita cibis incautior æra
Hauſerit, & curvis frenari ſenſerit hamis;
Non fugit, aut vano conatur vellere morſu:
Sed propius nigræ jungit ſe callida ſetæ,
Et meminit captiva ſui, longeque per undas
Pigra venenatis effundit flamina venis.
Per ſetam vis alta meat, fluctusque relinquit
Abſentem tentura virum. Metuendus ab imis
Emicat horror aquis, & pendula fila ſecutus
Tranſit arundineos arcano frigore nodos,
Victricemque ligat concreto ſanguine dextram.
Damnoſum piſcator onus, prædamque rebellem,
Jactat, & amiſſa redit exarmatus avena.

10 attactu confiſa (confixa) jacet, ſucceſſu læta reſurgit *MSS.* xi *ap. Heinſ.* attactu conf. ſuo *&c. Ald. verſu ſeptem pedum.* quæ tetigere, jacent *Vien. & MSS.* hac (hoc *Claver.*) confiſa jacet *Junt. & rell.* tactu fixa jacet *MS. Pro* attactu, ac tractu, *vel* ac natu *conj. Heinſ.* 13 hauſerit, haud vano conatur vellere morſu, *omiſſo verſu Cuj.* non furit *MSS. quod placet Barth.* 15 potius *MSS.* 16 per herbas *MSS.* 18 vis atra *Cuj.* fructusque *al.* 19 diſtantem *Cuj.* victura *vulg.* vinctura, nectura *MSS.* tentura e *MS. Heinſ.* 24 habena *vulg.* avena *Ald. MSS.*

ſorte divina illi attributum eſt. Sors μοῖρα, quidquid unicuique Deus attribuit, ingenium quod ingenitum eſt. Oppianus Ἡ δ' εὖ γινώσκουσα θεῦ γέρας οἷον ἔδεκτο, bene intelligens; quale Dei munus acceperit. *Hac* igitur *ſorte* ingenii *confiſa* torpedo, *jacet* &c.

10 *Succeſſum* illum, quo læta ſit torpedo, intelligi voluit noſter: ſed ponit diſerte Oppianus, Κάτω δ' ἀσεμφὴς οἷα νέκυς· ὃς δέ κεν ἰχθὺς Ἐγχρίμψῃ λαγόνεσσιν, ὁ μὲν λύτο —— Jacet immota, ut mortua, quicunque vero piſcis lumbis ejus acceſſerit, ſolutus (velut paralyſi tactus) cadit, —— ipſa vero celeriter exſilit, ἡ δὲ θοῶς ἀνόρουσε κ. τ. λ.

19 *Tentura*, ut retentura, a tenendo, forma cujus exemplum neſcio an ſuperſit aliud.

XLVII

IV *NILUS*

Felix, qui Pharias proſcindit vomere terras:
Nubila non ſperat tenebris condentia cælum,
Nec graviter flantes pluviali frigore Coros
Invocat, aut arcum variata luce rubentem.
Aegyptos ſine nube ferax, imbreſque ſerenos
Sola tenet, ſecura poli, non indiga venti:
Gaudet aquis, quas ipſa vehit, Niloque redundant:
Qui rapido tractu mediis elatus ab antris,
Flammigeræ patiens zonæ Cancrique calentis,
Fluctibus ignotis noſtrum procurrit in orbem,

Secreto

6 tenens *malit Heinſ. pro* poli, nothi *Cuj.* 7 redundat *vulg.* 8 elapſus *vulg. præter Ald. qui habet* elatus: elatus ab antris *MSS.* 10 flexibus *MS. teſte Barth.* notum *Cuj.*

* De Nili originibus, miraculis, fabulis, dicere libri opus eſt, non annotationis. Nihil hic exſpectet lector, præter qualemcunque eorum, quæ poëta canit, declarationem. Indicemus tantum locos quosdam claſſicos ut Herodoti 2, 17. Diod. Sic. 1, 32. Vitruv. 8, 2 qui miris ambagibus ex Atlante monte effuſum circumducit. Strabonis bona parte libri 17. Lucani 10, 193. Sen. Q. N. 4, 2. Melæ 1, 9. Plinii 5, 9. Plut. de Placit. 4. 1. Qui abſtruſiora de ea re philologemata velit recenſere, ei proderit Spanhem. ad Callim. Del. 207.

2 Hyperbolica eſſe, quæ de negatis omnino Aegypto pluviis narrant veteres, hodie credo, conſtat. Multus eſt in ea re Plin. Pan. c. 30.

4 Denunciari ab Iride pluvias, quin effici, tralatitium eſt. Ovid. Met. 1, 270 in apparatu diluvii, *Denſi funduntur ab æthere nimbi. Nuncia Junonis, varios induta colores, Concipit Iris aquas, alimentaque nubibus adfert.* Illud *rubentem* late patere, & colores omnes quatenus lucidi ſunt complecti, etiam hic locus indicat. Sic 10, 187 *Mavortia ſigna rubeſcunt Floribus.* Vid. ad 29, 7.

5 *Imbres ſerenos.* Acumen ex antitheto noſtris auribus non valde acutum. Sed nempe *imbres* ut *rores* de omni humore licet poëtis Latinis dicere.

7 Liberior conſtructio: debebat ex lege Grammatica, *quæque Nilo redundant.*

9 *Cancri*, Tropici, ultra quem, verſus Aequatorem, omnes; Ieſuitarum Apoſtoli & Schererus, contra Ludolfi & Lobii fidem, ultra Aequinoctialem adeo, & propius Capricorni Tropicum, fontes Nili removent: quos deſerunt recentiſſimi, præſertim Danvillius.

Secreto de fonte cadens, qui ſemper inani
Quærendus ratione latet; nec contigit ulli
Hoc vidiſſe caput. Fertur ſine teſte creatus,
Flumina profundens alieni conſcia cæli.
Inde vago lapſu Libyam diſperſus in omnem
Aethiopum per mille ruit nigrantia regna,
Et loca continuo Solis damnata vapore
Irrorat, populisque ſalus ſitientibus errat,
Per Meroën, Blemyaſque feros, atramque Syenen.
Hunc bibit infrenis Garamas, domitorque ferarum
Girrhæus, qui vaſta colit ſub rupibus antra,

S s 5 Qui

11 ſcatens *Cuj.* 16 means *MS.* 20 effrenis *vulg.* infrenis *etiam Cuj.* 21 Cyrreus *vel* Cyrrhæus *vulg.* Carræus *Claver.* Cirenus *i.* Cyreneus *triſyll. idem Claver. in append.* Cirreus, Guareus, Gyareus, Giareus, Gyrreus, Girreus *MSS.* Girrhaeus *Barth. hic & Adv.* II, 24.

11 *Secretus* hic eſt occultus, incognitus. *Inanis ratio*, fruſtra ſuſcepta. Quam laborioſe hoc egerit Herodotus, ipſe narrat, & de Aegypti Regibus Strabo, II. cc. de omnibus ad ſuam ætatem peculiari opere Iſ. Voſſius, qui recte quidem illud admonet, non eſſe proprie unum majorum fluminum fontem, unam ſcaturiginem, cum pluribus ignobilibus & nomine carentibus rivis collectis demum quod inde confluxit nomen accipere, interdumque id ipſum nomen, alio ſibi, minore etiam, admixto, amittere ſoleat: ſed non bene inde totum ſtudium indagandi fontes vanitatis arguit. Ceterum cum totum hoc pendeat a fide accolarum, eorumque, qui ab his accepere: nihil videtur melius eſſe, quam manere interim in his, quæ in Aethiopica Hiſtoria ejusque Commentario L. I c. 8 dedit decus Germaniæ Hiobus Ludolfus, ad cujus fidem, a Ieſuitis quibusdam Apoſtolis ſolicitatam, qui Nili fontes multis ultra Aequinoctialem gradibus removent, quorum ſententiam peculiari charta Homannus exhibuit, rediere Haſius noſtras, & ſummus hodie Geographus Danvillius.

14 *Alienum cælum* vocat Zonam torridam. Quin, quod *vago* demum *lapſu* in *Libyam omnem* diſperſus, per *mille regna Aethiopum ruere* dicitur, videri poſſunt a Claudiano, Ptolemæum ſecuto ultra Aequinoctialem removeri Nili origines. Sed caveat ſibi, ne quid ſtatuat, aut diſerte ponat. Hanc porro populorum enarrationem, cui ſimilis eſt 21, 233 non ita accipio, quaſi illos omnes percurrat Nilus quod de Syene & Meroë verum eſt: ſed hoc modo velle poëtam arbitror, ultra illos populos remotos eſſe Nili fontes. Quamquam poſt mirabilem Vitruvii opinionem, & iter, quo Nilum circumducit; etiam poëtæ, & Alexandrini, verba audire operæ pretium eſt.

19 *Blemyes* ſ. *Blemmies* & *Garamantes* non ſatis certi ſitus, intra Aequinoctialem tamen & Tropicum Cancri, ad ſiniſtrum Nili. *Meroë* & *Syene* Nili inſulæ. *Girrhæi* accolæ *Gir* fluminis, de quo ad 21, 251 aliquid dictum eſt.

Qui ramos ebeni, qui dentes vellit eburnos;
Et gens compositis crinem vallata sagittis.
Nec vero similes causſas crescentibus undis,
Aut tempus, meruit. glacie non ille soluta,
Nec circumfuso scopulis exuberat imbre.
Nam cum tristis hiems alias produxerit undas,
Tunc Nilum retinent ripæ. Cum languida cessant
Flumina, tunc Nilus mutato jure tumescit.
Quippe quod ex omni fluvio spoliaverit æstas,
Hoc Nilo natura refert, totumque per orbem
Collectæ partes unum revocantur in amnem.

Quoque

23 velata *vulg.* vellata *MS.* religata *MS.* jure, rure, rite, more *MSS.* 25 ut *vulg.* agmen *MSS.* 29 *pro* 32 vires *Cuj.*

21 *Qui vaſta' colit* &c. non est Girrhæorum descriptio, sed periphrasis etymologica Troglodytarum, qui inter Nilum & sinum Arabicum habitabant.

22 Aethiopum descriptio forte ex Herodoto, qui 3, 97 memorat, illos sua ad huc ætate tertio quoque anno interjecto Persis tributi nomine etiam pependisse διηκοσίας φάλαγγας (phalangas, cylindros, trabes) ἐβένου, καὶ ἐλέφαντος ὀδόντας μεγάλους ἄκοσι. Hinc *ebennus Meroëtica* non *Mareotica* legendum Luca. 10, 117 coll. 303 viderunt viri docti. De ebeno Plin. 12, 8.

23 De hoc Meroënsium more dictum ad 7, 21.

25 *Meruit* non dubium est, quin simpliciter significet hic, accepit a natura, divinitus hoc habet &c. Quod ad rem ipsam, similiter fere disputat Herodotus l. c. Sed differte Strabo l. c. p. 543, 20 Οἱ ἀρχαῖοι τοχαστικῶς τὸ πλέον, οἱ δὲ ὕστερον, αὐτόπται γενηθέντες ἤδοντο ὑπὸ ὄμβρων θερινῶν πληρούμενον τὸν Νεῖλον, τῆς Αἰθιοπίας τῆς ἄνω κλυζομένης, καὶ μάλιστα ἐν τοῖς ἐσχάτοις ὄρεσι· παυσαμένων δὲ τῶν ὄμβρων παυομένην κατ' ὀλίγον τὴν πλημμυρίδα κ. τ. λ. Conjectura veteres fere, oculis autem suis posteriores deprehenderunt, inundata ab æstivis imbribus superiore Aethiopia, in extremis maxime montibus, impleri Nilum: remittentibus imbribus cessare etiam paullatim inundationem. Hæc hodie quoque, quod sciam, ut certa sumuntur v. g. a Ri. Pocokio.

30 Dicere videtur aliquid: sed illud aliquid, metuo, nihil est. Equidem cum probe attendi, nihil video, præter lusum quendam ingenii & verborum, Naturam, quas aquas aliis fluminibus auferat, eas omnes Nilo infundere. Sed qua ratione, & quibus viis hoc fiat, scire volebant homines.

Quoque die Titana Canis flagrantior armat,
Et rapit humores madidos, venasque calore
Compeſcit, radiisque potentibus æſtuat axis;
Nilo bruma vehit contraria tempora mundo.
Defectum ſolitis referens cultoribus æquor
Effluit Aegeo ſtagnantior, acrior alto
Ionio, ſeſeque patentibus explicat arvis.
Fluctuat omnis ager: remis ſonuere novales
Sæpius, æſtivo jaceat cum forte ſopore,
Cernit cum ſtabulis armenta natantia paſtor.

33 cumque *vulg. præter Ald. & Heinſ.* 1 *qui habent* quoque, *ut & MS. Barth. Sed Barth. Adv.* II, 24 *emendat* Cumque diem Titane canis flagrantior armat, *nec diſſentit Heinſ. qui etiam* Cumque *probat ex MSS.* 34 madidus *MSS.* rabidus, madidis, ſidus *conj. Barth.* et rapit humores avidus *conj. Heinſ.* calorem *MS.* vanosque calores *MSS. etiam Cuj.* canosque calores *MS.* varioque calore *MS. Latet aliquid, ait Heinſ.* 36 venit *vulg.* vehit *ex MS. Heinſ.* 37 defectum ſolitumque ferens *MSS.* ſolitumque ferens *etiam Ald.* Defectum ſolitis repetenss *conj. Heinſ. Certe illa caſuum in epithetis permutatione nihil frequentius.* 39 potentibus *MS.* 41 jacuit *Raph. h. e. Scaliger: quod placet.*

33 *Quo die*, h. e. quo tempore Sirius ardentior Solem radiis vehementioribus tanquam telis armat, & humores in vaporem tollit, & fontium venas obſtruit; quo tempore, inquam, cælum radiis Solis potentioribus in reliquo orbe æſtuat: eo ipſo tempore hiems ſua, & madida tempeſtas, accolis Nili advehit tempora mundo ſ. motui corporum cæleſtium, unde æſtimant tempora reliqui, contraria, & mutat in mare campos cultoribus ſuis deſtitutos, cum ſerunt alii, & metunt &c.

38 *Stagnantior* cave ita accipias quaſi *ſtagnare* h. e. ſtare conſtet mare Aegeum, quo nihil eſt inquietius; ſed copiam aquarum ſignificat. Sed quomodo illud defendam *acrior Ionio*, non habeo, cum placidas & ſtagnantes eſſe Nili aquas conſtet. Cogitabam pro *acrior* legi poſſe *altior*: ſed nec hoc placeret, ut nimis hyperbolicum.

XLVIII

v *MAGNES**

Quisquis ſollicita mundum ratione ſecutus
Semina rimatur rerum, quo Luna laborat
Defectu, quæ cauſa jubet palleſcere Solem:
Unde rubeſcentes ferali crine cometæ,
Unde fluant venti, trepidæ quis viſcera terræ
Concutiat motus, quis fulgura ducat hiatus,
Unde tonent nubes, quo lumine floreat arcus:
Hæc mihi quærenti, ſi quid deprendere veri
Mens

* de ſtatua Martis ferrea & Veneris magnitica *Ald.* 5 furant *Cuj.* 6 commoveat *vulg.* concutiat *etiam Cuj.* quæ -- origo *vulg.* quis -- hiatus *etiam Cuj.* 8 hæc *al.* verum *vulg.*

* Locos etiam de hoc naturæ miraculo claſſicos noſtrorum indicamus Lucret. 6, 908 & Plin. 34, 14 ſ. 32. Multa undique congeſſit Barthius.

2 *Semina rerum* ſunt etiam Lucretio paſſim, quæ elementa alias vocant, corpuſcula, in quæ denique corpora quævis reſolvantur. Ne ſolœcum ſit *laborat, jubet*; intelligamus plenam orationem ob verſatam poëtæ hanc, *Rimatur* defectum, *quo defectu laborat Luna* &c. Deinde *unde* ſint *rubeſcentes* rel.

3 De Solis defectu vel eclipſi loquitur: quamquam nec illud inauditum antiquis, nec noſtra ætate phænomenon, Solis velut expalleſcentis. Plin. 2, 30 *Fiunt prodigioſi & longiores ſolis defectus: qualis occiſo dictatore Cæſare & Antoniano bello, totius pene anni pallore continuo.*

4 Antiqua ſuperſtitio a Cometis ſibi publica mala metuebat: hinc *feralis crinis*, mortium ac peſtilentiæ nuncius.

5 *Fluere* pulchre dicuntur venti, fluidum enim aër val maxime, *flare*, *fluere*, *flagrare* cognata verba e ſono venti, aquarum, flammæ ducta.

6 *Hiatus* eadem figura dicitur, qua apud Græcos Χάσμα, qua noſtri, *es thut ſich der Himmel auf*: facile fingunt ſibi homines, illud cæruleum, quod ſereno cælo videmus ſolidum quiddam eſſe, idque findi ſcindique a fulgure.

8 *Floreat* pulchre varietatem colorum iridis vigoremque exprimit. Hoc genus quæſtiones acervat & proponit, ſed multo majore doctrinæ ſubtilioris apparatu in ſuo Mallio 17, 100. Sententia autem hæc eſt, Qui miracula naturæ cæleſtia & totum orbem terrarum afficientia, rimantur, illi mihi rem parvam & ſenſui expoſitam explicant: ut ſimul rideat eos, qui cæli ſcrutantur plagas, & quæ ante pedes ſunt ignorant.

Mens valet, expediat. Lapis eſt cognomine Magnes,
Decolor, obſcurus, vilis. Non ille repexam
Cæſariem Regum, nec candida virginis ornat
Colla, nec inſigni ſplendet per cingula morſu:
Sed nova ſi nigri videas miracula ſaxi,
Tum pulcros ſuperat cultus, & quidquid Eois
Indus litoribus rubra ſcrutatur in alga.
Nam ferro meruit vitam, ferrique rigore
Veſcitur: hoc dulces epulas, hoc pabula novit:
Hinc proprias renovat vires: hinc fuſa per artus
Aſpera ſecretum ſervant alimenta vigorem.
Hoc abſente perit. triſti morientia torpent
Membra fame, venaſque ſitis conſumit apertas.
Mavors, ſanguinea qui cuſpide verberat urbes,
Et

9 expediam *Heinſ.* experiar *conj. Heinſ.* 14 tunc ſuperat pulchros *al.* purpureos ſuperet *conj. Heinſ.* 15 Indi -- ſcrutantur *MSS.* 16 ex ferro *vulg.* 17 has -- hæc *al.* 18 hinc fuſa *vulg.* revocat *Cuj.*

9 *Magnes cognomine.* Lucret. 1. e. *Quem Magneta vocant patrio de nomine Graji, Magnetum quia ſit patriis in finibus ortus.*

10 *Repexa Cæſaries* retro pexa, ne frontem nimis occulter, aut proſpectum adeo impediat. Diadema hic deſcribitur gemmis diſtincta, cujus ope retro acti crines continentur.

12 *Cingula* hominum & equorum gemmata noſter celebrat 70, 71. 73.

15 *Rubram algam* videtur vocare non a ſuo colore, ſed quod Rubri maris h. e. Oceani Indici rejectamentum ſit.

16 *Meruit* magnes, i. accepit, *vitam* a ferro. Jam tum itaque cognitum erat, ita conſervari augerique vim magnetis, ſi ſemper reſpondentem viribus ſuis ferri maſſam a ſe ſuſpenſam habeat. Paullo alter Plin. l. c. *Sola hæc materia* (ferrum) *vires ab eo lapide accipit, retinetque longo tempore, aliud apprehendens ferrum, ut annulorum catena* (a magnete pendentium) *ſpectetur interdum: quod imperitum vulgus appellat ferrum vivum.* Illud de anulis eſt ex Platonis Ione p. 145, A. Huic certe debet Lucretius 6, 911 *Catenam Sæpe ex annellis reddit pendentibus ex ſe Quinque etenim licet interdum pluresque videre Ordine demiſſos levibus jactarier auris Unus ubi ex uno dependet ſubter adhærens, Ex alioque alius lapidis vim vinctaque noſcit.* Forte etiam eo reſpicit noſter, quod ferri lamina applicata velut armandus eſt magnes, ut vim ſuam commode exſerat.

22 Utrum hanc hiſtoriam velit eſſe Claudianus, & credere nos poſtulet,

Et Venus, humanas quæ laxat in otia curas,
Aurati delubra tenent communia templi.
Effigies non una Deis: ſed ferrea Martis
Forma nitet, Venerem magnetica gemma figurat.
Illis connubium celebrat de more ſacerdos.
Ducit flamma choros: feſta frondentia myrto
Limina cinguntur, roſeiſque cubilia ſurgunt
Floribus, & thalamum dotalis purpura velat.

Hic

23 gentes *pro* curas *Cuj.* 26 magnetia *MS.* magnetida *MSS.* *ut ſit* Venus Μαγνῆτις, *quod mihi placet.* Magneſia *conj. Heinſ.* 30 thalamos *al.*

poſtulet, fuiſſe aliquando tale ſpectaculum exhibitum, non auſim dicere. Debebat certe locum nominare, ut requirere lectores poſſent. Ingenioſum certe commentum ſive poëtæ fuit ſive Mechanici, Martem qui ferreus eſt, cujus nomine hodie ferrum ſignant Chemici, ſic trahi a Magnetica Venere. Poterat alioqui de hiſtoria patria ſumere argumentum de quo Plin. l. c. *Eodem lapide Dinocbares, architectus Alexandriæ Arſinoës templum concamerare inchoaverat, ut in eo ſimulacrum ejus pendere in aëre videretur. Interceſſit mors ipſius & Ptolemæi, qui id ſorori inſerat fieri.* Sed factum eſſe ait Auſonius Moſellæ v. 314 ubi ſimiles machinationes referunt Freherus & Tollius. Sex & triginta anni ſunt, cum ad locum Plinii pluſcula hac de re diſputavi Chreſtom. Plin. n. 115 no. 54. quibus modo illud unum addo, apud Caſſiodorium Var. 1, 45 commemorari *ferreum Cupidinem in Dianæ templo ſine aliqua alligatione pendentem:* & Iſid. Orig. 16, 20 *Ex eodem lapide architectus quidam Alexandriæ templum concameraverit, unde & in eo ſimulacrum ferro in aëre pendere videretur.* Similem de Serapide fabellam habet Ruffinus H. E. 2, 33. Vbique ſibi ſimiles ſunt homines. Similis imperitia naturæ & miracula fingendi libido ferreum Muhammedis ſarcophagum in libero aëre ſuſpendit. Poëta tamen noſter fingit, quod naturæ non repugnat.

25 Probabilior fieri poſſit fabula, facilior machinatio, ſi facias Martem non totum e ferro; ſed, qualis eſſe ſolet, tunica tectum adamantina, ceterum de levi materia, ut ſubere, cavum &c.

27 Connubia & nuptias deorum ludere antiquum & ſolenne. Ita Bacchi & Ariadnes nuptiæ aguntur apud Xenophontem Sympoſ. extr. Sic Coronidis, e qua Aeſculapius natus eſt, apud Ariſtid. Sacr. Orat. 1 p. 289 Jebb. Sic Podalirii & matris Alexandri, itemque Lunæ & Alexandri illius ψευδομάντεως amores aguntur, apud Lucia. c. 39 ſ. T. 2 p. 245: unde illud etiam obſervamus, illum diem talis cerimoniæ δαδίδα dictum, καὶ δᾷδες δὲ ἐκαίοντο, ut hic *Ducit flamma choros.*

Hic mirum conſurgit opus. Cytherea maritum
Sponte rapit, cælique toros imitata priores
Pectora laſcivo flatu Mavortia nectit,
Et tantum ſuſpendit onus, galeæque lacertos
Implicat, & vivis totum complexibus ambit.
Ille laceſſitus longo ſpiraminis actu
Arcanis trahitur gemma de conjuge nodis.
Pronuba fit natura deis, ferrumque maritat
Aura tenax. ſubitis ſociantur Numina furtis.
Quis calor infundit geminis alterna metallis
Fœdera? quæ duras jungit concordia mentes?
Flagrat anhela ſilex, & amicam ſaucia ſentit
Materiem, placidoſque chalybs cognoſcit amores.
Sic Venus horrificum belli compeſcere Regem,

Et

36 ictu, *it.* æſtu *conj. Heinſ.* 40 infundit *al.* inſudet *MS. hinc* inſudat *conj. Heinſ.* 41 duros -- montes *i. metalla montibus effoſſa conj. Barth. nec diſplicet Heinſio: & pulchre convenit* v. 41 anhela ſilex, & v. 54 jam gelidas rupes &c. 43 ignoſcit *MS. hinc* placidoque chal. igneſcit amore *conj. Heinſ.* placitosque *MS.*

31 Si talis fabula vel ſpectaculum actum eſt, oportet quacunque machinatione primo prope ſibi admota eſſe ſigna utriusque Dei, donec illam quam atmoſphæram magnetis vel ſphæram activitatis dicunt philoſophi, attingeret Mars, quo facto reliqua ſponte naturæ magneticæ potuere peragi.

33 *Flatus*, ut *Afflatus* actum potentem, ſed occultum & fugientem oculos notat: qualis eſt venti, ignis, ſiderum, contagio morbi, & hic vis magnetica.

34 *Galeam* oportet cogitare bene longam, quæ etiam cervicem & collum tegat.

36 *Spiraminis actum* eodem ſenſu ponit, quo modo *afflatum* dixerat, & ſtatim vocat *auram*. Sic *influxum* vocarunt rationem, qua anima corpus agit, non ut modum declararent; ſed ut illum a ſe non ſatis intelligi indicarent.

39 Non ſatis proprie *furta* dicit, quæ in conſpectu omnium fiunt: ſed poteſt hoc intelligi cum reſpectu ad Vulcanum, & quod nihil ſolennius eſt poëtis quam Veneris res, quæ plerumque furtim fiunt ita ſignare.

40 *Fœdera* ſolet noſter de omni lege naturæ dicere, ut 3, 4. 26, 56. 33, 65. Sic Lucretius in hoc ipſo argumento magnetis, 6, 906 quærit *Quo fœdere naturæ fiat* &c.

41 Ludit, cum *duras mentes* tribuit ſignis e metallo.

Et vultu mollire ſolet, cum ſanguine præceps
Aeſtuat, & ſtrictis mucronibus aſperat iras.
Sola feris occurrit equis, ſolvitque tumorem
Pectoris, & blando præcordia temperat igni.
Pax animo tranquilla datur, pugnaſque calentes
Deſerit, & rutilas declinat in oſcula criſtas.
Quæ tibi, ſæve puer, non eſt permiſſa poteſtas?
Tu magnum ſuperas fulmen, cæloque relicto
Fluctibus in mediis cogis mugire Tonantem.
Jam gelidas rupes, vivoque carentia ſenſu
Membra feris. Jam ſaxa tuis obnoxia telis,
Et lapides ſuus ardor agit, ferrumque tenetur
Illecebris, rigido regnant in marmore flammæ.

45 vultum *al.* 46 *pro* ſtrictis, triſtes *MSS.* 47 mollitque *al.* ſolvitque *etiam Baſ. marg.* 52 *pro* fulmen, numen *MSS.* 54 ſexu *Junt. Baſ. Plant.*

47 *Equi* & currus Marti ſolent tribui e veteri & heroica militandi ratione. Sic apud Hor. Car. 3, 3. 16 *Martis equis Acheronta fugit.*

51 Lepida ad Cupidinem Apoſtrophe, qui tanta ſit potentia ut metalla etiam animare poſſit.

53 *Fluctibus in mediis mugiit* Jupiter, cum Tauri imagine Europam rapuit.

55 *Feris*, ſagitta tua percutis & vulneras.

XLIX

VI *APONUS*

Fons, Antenoreæ vitam qui porrigis urbi,
Fataque vicinis noxia pellis aquis,
Cum tua vel mutis tribuant miracula vocem,
Cum tibi Phœbeus carmina dictet honos,

Et

* De Aponis balneis *Vien. Baſ. & Gryph.* de Apone balneis *Junt.* de Apono *al.* 1 urbis *conj. Cruſ. Probab. Critt.* p. 264. 3 ſpiracula *conj. Heinſ. ad Virg. Aen.* 10, 291. 4 plebejus *omn. ante Heinſ. qui ex conjectura MSStis adjuta mutavit.*

* De nominis ratione vid. ad v. 69. De ipſo autem fonte hoc & thermis, quæ ſunt apud antiquos, ſua diligentia congeſſit Cluverius Italiæ ant. 1, 18 p. 148, in quibus memorabilis in primis eſt Caſſiod. Var. 2, 39 ubi & quæ a natura ſint in illo fonte mirabilia, deſcribitur, & quæ ars humana adjecerit, indicatur. Jubet nimirum rex Theodoricus, diligenter conſervari tam beneficum fontem, & illius ædificationum viria partim emendari partim caveri. Memorantur ibi *cuniculi*, *ædificia thermarum*, *palatium longa ſenectute quaſſatum*; aſſignatur pecunia &c. De ſtatu hodierno hoc ipſo tempore prodiit inter Dominici Vandelli Diſſertationes tres prima de Aponi Thermis, ſed cujus copia mihi nondum facta erat, cum hæc mittenda eſſent Lipſiam. Itaque non habeo dicere, utrum in ea aliquid ſit juvando h. e. emendando explicandove, vel huic carmini aptum, vel formulæ Caſſiodorianæ. Et videtur hodiernam potius conditionem, quam hiſtoriam veterem reſpexiſſe vir doctus, certe quantum intelligi poteſt ex relatione Lipſica 1758 n. 71 p. 634 ſq.

1 *Antenora* Trojæ exſulem Patavii conditorem celebratum, notum ex Liv. 1, 1. *Porrigere* eſt extendere, producere, longiorem reddere, ut Hor. Car. 3, 16. 40 ubi pulchra antitheſis *Contracto cupidine, porrigam*, augebo, *vectigalia.*

2 *Fata noxia*, morbos peſtilentes urbis, mortemque adeo, pellit hic fons *vicinis aquis* ſuis.

4 Honos, quem Phœbo afflati poëtæ habere tibi volunt, *dictat tibi*, h. e. honori tuo, *carmina.* Reſpicit autem ad morem illum in templorum parietibus, (ut in æde Aeſculapii, in ſacello Priapi) in baſibus ſignorum, ſcribendi carmina, cujus generis magnam vim debemus Pauſaniæ, & his, qui illam Græcorum epigrammatum ἀνθολογίαν ſ. florilegium collegerunt: talia in Memnonis crure ſcripta dedit nuper Rich. Pocockius: talia in ſacello & Palatio Aponi poſita, Claudianus indicat. Sed cum hoc non ſoli poëtæ faciant, ſed pro ſuo captu etiam alii: non auſim damnare lectionem ceterorum, *plebejus.* Cum hoc faciat vulgus; quid nos poëtæ?

Et ſit nulla manus, cujus non pollice ductæ
Teſtentur memores proſpera vota notæ;
Nonne reus Muſis pariter Nymphiſque tenebor,
Si tacitus ſoli prætereare mihi?
Indictum neque enim fas eſt tacitumque relinqui
Hunc qui tot populis pervolat ora locum.
Alto colle minor, planis erectior arvis,
Conſpicuo clivus molliter orbe tumet.
Ardentis fecundus aquæ, quacumque cavernas
Perforat, offenſo truditur igne, latex.
Spirat putre ſolum, concluſaque ſubter anhelo
Pumice rimoſas perforat unda vias.

Humida

6 veteres *MS.* 7 videbor *MSS.* 9 ludibrium quid enim fas eſt a vate relinqui *Ald.* & *multi MSS. Hinc* lud. ſit enim nec fas a v. r. *conj. Heinſ.* 10 provocat *Clav. Raph. Barth.* & *convenit cum* plebejus *v.* 4. populis provocat ore loqui *Vien. Baſ. Junt.* provolat ore locum *Ald.* orbe *MSS.* 11 *pro* planis, parvis *vulg.* planis *e conj. Heinſ. quam firmant MSS.* patulis *conj. Heinſ.* 12 clinis *MSS.* 14 proferat *Vien.* 16 limoſas *Heinſ.* 1. *Pro* perforat, perfurit, *vel* perluit *conj. Heinſ.* limoſas perſonat *conj. Cruſius l. c.*

6 *Memores notæ*, metonymicos, quæ memoriam ſervant, ut *memores faſtos* Hor. Car. 3, 17. 4. *Vota proſpera*, quæ rata habuit Deus.

10 *Populum* accipio ampla ſignificatione, ut populum omnem Romanum, certe Italicum comprehendat. Alioqui enim *populos* hic exſpectaremus plures.

13 *Fecundus* improprie, & metaphora quadam dicitur: quaſi pariat aquam ille clivus.

14 *Offenſus* eſt etiam ex ipſa actionis reciprocæ natura, & uſu linguæ, qui offendit vel impulit. Aqua protruditur ab igne, qui ad illam offendit. Poteſt hoc facilius intelligi ab his, qui non ignorant, ope ignis ſubtus concluſi extolli, & exhauriri aquam de metalli fodinis.

15 *Putre ſolum* eſſe terram ſolutam, poris multis perviam, transmittentem molles radiculas, ex ruſticæ rei ſcriptoribus notum eſt. *Anhelus pumex*, qui ſpiritum transmittit per poros ſuos. *Perforare vias rimoſas* quid ſit, nemo non facile intelligit: ſed non probabile eſt, poëtam, ſi quis alius copioſum & rem variare prodigialiter aptum, uno interjecto verſu repetiturum præ paupertate idem verbum. Itaque multo magis placet, ut *unda* cum ſono quodam, viam ſibi per oblimatas fiſtulas aperiens *vias limoſas perſonet*. Βορβορυγμὸν & χορχορυγμὸν vocant Medici ſonum inteſtinorum a commotis liquidis ortum. Talis ſonus eſt cum lutum pedibus, aut manibus conſperſio farinacea, ſubigitur. Limoſæ cujusdam naturæ ex venis quibusdam horum fontium prodeuntis mentionem quoque Vandellus facit.

Humida flammarum regio Vulcania, terræ
Ubera ſulfureæ fervida regna plagæ.
Quis ſterilem non credat humum? fumantia vernant
Paſcua: luxuriat gramine cocta ſilex.
Et cum ſic rigidæ cautes fervore liqueſcant,
Contemtis audax ignibus herba viret.
Præterea grandes effoſſo marmore ſulci
Saucia longinquo limite ſaxa ſecant.
Herculei (ſic fama refert) monſtratur aratri
Semita, vel caſus vomeris egit opus.
In medio pelagi late flagrantis imago,
Cærulus immenſo panditur ore lacus,
Ingenti fuſus ſpatio: ſed major in altum
Intrat, & arcanæ rupis inane ſubit:
Denſus nube ſua, tactuque immitis, & hauſtu,
Sed vitreis idem lucidus uſque vadis.
Conſuluit natura ſibi, ne merſa lateret,

18 tubera *Cuj.* 21 rigido *vulg.* liquido *Vien. marg.* 22 contentis *Vien. Ald. Baſ. Sed* contemptis *etiam Cuj.* 23 effoſſi *al.* 24 continuo *vel* contiguo *conj. Heinſ.* 26 nec *vel* ni, *vel* ſeu caſus *conj. Heinſ. Pro* caſus, Cacus *conj. Barth. male judice Heinſ.* 27 ſtagnantis *conj. Heinſ. ſed ipſius judicio non neceſſaria.* 30 arcatæ *conj. Heinſ. ut* 28, 518. 31 merſus *MSS.* 33 tota *MSS.* & *placet Barthio.* ne tota niteret *Baſ. Sed* merſa *in marg.* & lateret *Cuj.*

17 Hic etiam gratiam captat ex antithetis, quæ ſic ordinanda videntur, Regio Vulcania flammarum eadem eſt humida: regna fervida plagæ ſulfureæ eadem ſunt terræ ubera.

20 Plin. 2, 103 *Patavinorum fontibus calidis herbæ virentes innaſcuntur.* Confervæ ſpecies quasdam hodie in ferventibus aquis naſci, Tremellam item & marinas quasdam plantas ex Vandello refertur l. c. p. 635: etiam animalia quædam, inteſtina aquatica, ſcarabæos amphibios, vermes culicum & alia.

23 De his ſulcis nihil eſt apud Caſſiodorium. *Longinquum* hic pro ſimplici longum dici apparet.

28 *Immenſum* de profunditate accipiendum. Caſſiodorius ita: *Cæruleum fontem vidimus in formam dolii concavis hiatibus æſtuantem, & fornaces anhelantium aquarum —— quæ licet more calidæ nebuloſos vapores exhalent, hanc tamen jucundam perſpicuitatem aſpectibus humanis aperiunt, ut quivis hominum illam gratiam deſideret contingere, etiam cum non ignoret ardere.*

Admiſitque oculos, quo vetat ire calor.
Turbidus impulſu venti cum ſpargitur aër,
Glaucaque fumiferæ terga ſerenat aquæ;
Tunc omnem liquidi vallem mirabere fundi:
Tunc veteres haſtæ regia dona micant:
Quas inter, nigræ tenebris obſcurus arenæ,
Diſcolor abruptum flumen hiatus agit.
Apparent infra latebræ, quas gurges opacus
Implet, & abſtruſus ducit in antra ſinus.
Tunc montis ſecreta patent; qui flexus in arcum
Aequora pendenti margine ſumma ligat.

Viva

35 Zephyri cum tergitur *conj. Heinſ.* 36 claraque *MSS. Cuj.*
38 *pro* haſtæ, tali *conj. Heinſ. V. N.* 39 tenebris *Ald. MSS.*
41 intra *al.*

35 *Turbidus* a vapore illo ferventis aquæ aër cum venti impulſu diſpergitur &c. *Glaucus* color nebulæ ſulfureæ.

38 Quæ ſint illæ *haſtæ veteres, dona regia*, non docet, h. e. de illis tacet, & nihil niſi jucundam perſpicuitatem laudat, Caſſiodorius. Videntur homines quidam beati, qui vidiſſent illud naturæ ſpectaculum, vel ſalutem inde retuliſſent, relinquere voluiſſe ſui memoriam, haſtis in fundum jactis, forte cum titulo, quæ memoriam illorum ſervarent; forte etiam ſignarent terminos illius diſcoloris fluminis per aquam pellucidam euntis: ſive ab alveo tantum vel ſulco coloretur, ſive ipſa aliter colorata reliquæ pellucidæ non admiſceatur, cujus generis miracula paſſim videntur. Enarrat plura Plin. 2, 103. Pellucidas autem valde fuiſſe fontis aquas, apparet ex Sueto. Tiber. c. 15 ubi de aureis talis quos Tiberius ex oraculo in Aponi fontem jecerat, *Hodieque*, inquit, *ſub aqua viſuntur ii tali.* Eſt in vicinia Gottingæ fons ſub ipſum e ſuo lacu egreſſum molam plurium rotarum agens, cujus aqua lucidiſſimæ perſpicuitatis oculos ad fundum usque multis cubitis a ſuperficie remotum transmittit.

39 Modo monebam, videri haſtas ad hoc depreſſas, ut ſignarent terminos *obſcuri* ilius a *tenebris nigræ arenæ hiatus.*

41 Cogitare oportet ſpecum variis cavis & velut labyrinthis conſtantem, ſuperne tamen arcuatis velut fornicibus tectam.

43 Illud *tunc* reducit lectorem ad illam conditionem v. 35 memoratam.

44 Circa hunc fontem, qui apertus eſt & patet, mons in arcum flexus jungit ſummam planitiem ſuam margine ſubtus cavo (hoc enim eſt *pendens, penſile, ſuſpenſum*) qui margo tanquam *ſcena* e *vivis* virentibusque ceſpitibus contexta, circumdat, *coronat*, & conſtringit *vapores* exhalantes. Ille margo (ſubjectis ſaxis pumiceis fornicatus) eſt terra quæ exili cortice *natare* propter elaſticam mobilitatem dici poteſt &c.

Viva coronatos adſtringit ſcena vapores,
Et levis exili cortice terra natat,
Calcantumque oneri numquam ceſſura virorum,
Suſtentat trepidum fida ruina pedem.
Facta manu credas, ſic leves circuit oras
Ambitus, & tenuis perpetuuſque riget.
Hærent ſtagna lacu plenas, æquantia ripas,
Præſcriptumque timent tranſiluiſſe modum:
Quod ſuperat, fluvius devexa rupe volutus
Egerit, & campi dorſa recurva petit.
Devehit exceptum nativo ſpira meatu.

45 *pro* ſcena, ſæva *Baſ.* & ſcæna *marg.* 46 fornice, *vel* cæſpite *conj. Heinſ. vel* ceu -- naret. 47 calcaturque *Baſ. Junt.* nuſquam *malit Heinſ.* 48 firma *Cuj.* 49 lenes *al.* 50 alveus -- rigat, *vel* ambitus -- ligat *conj. Heinſ.* 51 arent *MS.* loco *al.* planas ripas *etiam contra libros legi vult Heinſ. Non audio.* 52 exſiluiſſe *MSS. & Raph.* 53 fluvio *Baſ. marg.* 55 ſpuma *vulg.* ſpina *MSS. Ald.* vicino ſpuma recurvo *MS.* figma *conj. Barth. i. e. figura literæ C.* ſpira *conj. Heinſ.*

45 Ad *coronatos* illos *vapores* intelligendos mirifice accommodatus eſt Caſſiodorii locus non procul ab initio, ubi memorat *fornaces anhelantium aquarum circumducto tereti labio* (ſic pulchre Garet. pro abſurdo illo *tentilatio*) *naturæ probabili diſpoſitione coronatas.* Quem *marginem* vocat poëta, illud eſt *teres labium* Caſſiodorii. *Fornaces anhelantes* in ferrariis magnis qui viderit, illis igneis vaporibus mente ſubſtituat æſtuantis aquæ fervidam ebullitionem, & habebit imaginem Aponi, qualem Claudianus cum iſta ſcriberet conceperat.

48 *Fida ruina*, jucunda antitheſi. Qui incedunt per illum marginem, ruinam ob inſtabile & repercutiens veſtigium metuunt, ſed illa *fida* eſt, nihil mali adfert, ruenti ſimilis ſemper reſtituit ſe.

50 *Ambitus*, quem *marginem* modo vocarat, *teres labium* Caſſiodorius, tenuis ille quidem eſt, *exili cortice*, ſed tamen *perpetuus*, cohærens, *riget*, rigorem & tenorem ſuum ſervat.

51 *Plenæ ripæ* idem notant, quod alveus plenus. Vehementius etiam Caſſiodorius, *Ore pleniſſimo, in ſphæræ ſimilitudine, ſupra terminos ſuos aquarum dorſa turgeſcunt: unde latex tanta quiete deſinit, tanta quaſi ſtabilitate decurrit, ut eum non putes decreſcere, niſi quia inde aliquid rauco murmure ſentis exire.*

55 *Spira*, foſſa vel alveus varios flexus habens. Caſſiodorio *recurva ſpatia, quæ arte facta ſunt longiora.* Anfractus hos dum percurrit aqua, paullatim tepeſcit. *Patulas plumbi vias* eſſe eas, quas fiſtulas dicunt architecti, apparet: & utitur ſtatim hoc nomine ipſe poëta.

In patulas plumbi labitur inde vias.
Nullo cum ſtrepitu, madidiſque infecta favillis,
Deſpumat niveum fiſtula cana ſalem.
Multifidas diſpergit opes, artemque ſecutus
Qua juſſere manus, mobile torquet iter,
Et junctos rapido pontes ſubtermeat æſtu,
Afflatoſque vago temperat igne tholos.
Acrior interius, rauci cum murmure ſaxi,
Spumeus eliſo pellitur amne vapor.
Hinc pingues repetunt feſſi ſudore lacunas:
Frigora aquis longæ blanda dedere moræ.
Salve Pæoniæ largitor nobilis undæ,
Dardanii ſalve gloria magna ſoli:

Publica

56 patulos tubos *conj. Heinſ.* 57 nullo tum *MS.* madidis inf. *vulg.* 60 duxere *Cuj.* 61 ſubtervehit *MSS. unde* ſubter venit *conj. Heinſ. ad Aen.* 6, 132. ſubterluit *conj. Heinſ. pro* pontes, ſentes *MS.* montes *MS.* 63 acrius *vulg.* interea *MS.* 65 hinc pigras *vulg.* rigidas, nigras *conj. Heinſ.* 66 frigore *MSS. Ald.* frigora aquis *MSS. pro* blanda, damna *al.*

57 *Madidas favillas* puto dici tophaceam illam cinericii coloris materiem, quæ ſurculos etiam & plantas cruſta quadam ſolet obducere. Hujus rei non minus, quam *ſalis nivei* h. e. candidi, quem καθαρτικὸν eſſe prædicat, mentionem facit Vandellus laudatus.

62 *Tholi* ſunt fornices. Deſcribit cellas, in quas immiſſa fervens aqua, ſudationes efficit. Caſſiodorius, *Protinus ſaxo ſuſcipiente colliſa* aqua *inhalat primæ cellulæ ſudatoriam qualitatem.*

65 *Pingues* dicit *lacunas*, quarum aquis aliquid oleoſum, ſulfureumve admixtum. Unguntur alias poſt ſudorem in balneis.

66 Caſſiod. deſcribit gradus imminuti caloris: *Deinde -- minaci ardore depoſito, ſuavi temperatione molleſcit: mox -- cum aliqua dilatione torpuerit, multo blandius intepeſcit: poſtremo ipſo quoque tepore derelicto, in piſcinam Neronianam* (partem ſ. membrum credo thermarum Neronis, de quibus Mart. 7, 33 *Thermis quid melius Neronianis?*) *frigida tantum efficitur, quanto prius ferbuiſſe ſentitur.*

67 *Pæonia unda*, quæ vim medicam habet, vid. ad 24, 173.

68 *Dardanium* vocari, quidquid quocunque modo Trojanum eſt, Virgilii lectoribus notum: eodem igitur ſenſu *Dardanium* hic *ſolum* dicitur, ut v. 1 *urbs Antenorea.*

Publica morborum requies, commune medentum
Auxilium, præſens numen, inemta ſalus.
Seu ruptis inferna ruunt incendia ripis,
Et noſtro Phlegethon devius orbe calet:
Sulfuris in venas gelidus ſeu decidit amnis,
Accenſusque fluit, quod manifeſtat odor.
Sive pari flammas undarum lance rependens,
Arbiter in fœdus mons elementa vocat:
Ne cedant ſuperata ſibi; ſed legibus æquis
Alterius vires poſſit utrumque pati:
Quidquid erit cauſſæ, quocumque emitteris ortu,
Non ſine conſilio currere, certa fides.
Quis caſum meritis adſcribere talibus audet?
Quis negat auctores hæc ſtatuiſſe Deos?
Ille pater rerum, qui ſæcula dividit aſtris,

69 meretur *Vien. Junt. Baſ. ſed* medentum *in marg.* Medentum *eſt ab Aldo.* 70 ſubſidium *MSS.* 72 latet *MSS.* 74 ruit *MSS.* 75 ſive pares *vulg.* parens *MSS.* pari *Cuj. & ex MSS. Heinſ.* 79 erat *vel* ineſt *conj. Heinſ.* remitteris *vulg.* emitteris *Ald. & MSS.* emergitis *MS. unde* emerſeris *conj. Heinſ.* 80 corruit *MS.* 81 auſit -- neget *conj. Heinſ.*

69 Hoc elogium comprehenditur ipſo nomine fontis, cum ἄπονος vocatur, qui immunitatem præſtet & liberationem τῶν πόνων, quo nomine & dolores & morbi comprehenduntur. Ut igitur ἄποινα ſunt quibus redimuntur ποιναί, pœnæ, mala eorum, qui hoſtes fuerant capti: ſic ἄπονος fons, quo depelluntur morbi ac dolores. De his lavacris Caſſiodorius, *Unde non tantum delicioſa voluptas acquiritur, quantum blanda medicina confertur. Scilicet ſine tormento cura, ſine horrore remedia, ſanitas impunita, balnea contra diverſos dolores corporis attributa.* Quod inemta *ſalus* a poëta vocatur, ad *inemtas dapes* reſpicit Hor. Epod. 2. 48 quas hortus domino præſtat.

76 *Mons* ille ſive collis, unde oritur Aponus, tanquam *arbiter, elementa* alios inter ſe pugnantia in concordiam ac *fedus* vocat. Nempe ad Heracliticam illam ἐναντιοτροπὴν reſpicit, de qua dictum ad 17, 72. Caſſiod. *Merito dicunt Philoſophi, elementa ſibi mutuis complexibus illigari & mirabili conjungi federatione, quæ inter ſe contraria intelligantur varietate pugnare &c.*

81 Hypallage & ſolitæ conſtructionis immutatio, ſed verum tamen dicit. Nam idem eſt, ſive cauſam adſcribas tribuaſve effectui, ſive contra effectum cauſæ.

Inter prima poli te quoque ſacra dedit,
Et fragilem noſtri miſeratus corporis uſum
Telluri medicas fundere juſſit aquas,
Parcarumque colos exoratura ſeveras
Flumina laxatis emicuere jugis.
Felices, proprium qui te meruere, coloni,
Fas quibus eſt Aponon juris habere ſui.
Non illis terrena lues, corrupta nec Auſtri
Flamina, nec ſævo Sirius igne nocet.
Sed quamvis Lacheſis letali ſtamine damnet,
Inde ſibi fati proſperiora petunt.
Quod ſi forte malus membris exuberat humor,
Languida vel nimio viſcera felle virent,
Non venas referant, nec vulnere vulnera ſanant,
Pocula nec triſti gramine miſta bibunt:
Amiſſum lymphis reparant impune vigorem,
Pacaturque ægro luxuriante dolor.

84 te q. ſ. colit *MSS.* *inde* colit. p. ſ. dedit *conj. Barth.* & *Heinſ.* 86 tellurem *MS.* 90 Aponum *al.* 92 lævo *MSS.* 94 fata *editi omnes* & *MSS. pene omnes: nec repugnat verſus.* fati *MS.* & *Heinſ.* undæ *it.* inde fata ſibi *MS. unde* undis f. ſibi *conj. Heinſ.* fatis *ex MSS. defendit. Barth.* 96 rubent *vulg.* virent *ex MSS.* & *exemplis Heinſ.* 97 reſecant *MSS. Vien. marg.* & *Baſ. marg.* 99 nymphis *MSS.*

84 *Sacra poli*, τὰ θεῖα, cæleſtia Dei opera.

93 Recedit a vulgari fabula, quia Lacheſis colum tenet, Clotho producit filum, quod abſcindit Atropos: & facit mortem poſitivum quiddam, ut loquuntur Philoſophi, non meram vitæ abruptionem. *Lacheſis* generale Sortis nomen eſt, cui mors non minus quam vita ſubjecta eſt.

97 Duo illa remedia vellicat, in quibus ſemper non ſine ægrorum hinc periculo hinc ſalute pugnarunt medici: alteris morbos omnes per venarum vulnera & alvi portam ejicere conantibus, clamantibus alteris, per eas vias ipſam vitam & ſalutis fundamenta everri. *Triſte gramen* pulchre ſignat amaras omnes & radices & herbas, quibus alvus ducitur.

100 Adeo *pacatur dolor* (πόνος) ut luxuriari etiam, qui paullo ante æger erat, poſtliminio incipiat.

L

VII *DE PIIS FRATRIBUS ET EORUM STATUIS QUAE SUNT APUD CATINAM*

Adſpice ſudantes venerando pondere fratres,
Divino meritos ſemper honore coli.
Juſta quibus rapidæ ceſſit reverentia flammæ,
Et mirata vagas reppulit Aetna faces.

* de Siculis fratribus *Claver.* 3 luſtra *Junt. Baſ.* rabidæ *Cuj.* 4 rettulit *conj. Heinſ.* & *ſic Cuj.* expulit *Cuj.*

* Nobilis & antiqua narratio, μυθωδεστέρα illa quidem jam viſa Lycurgo in Leocr. c. 23: ſed aſſeverate eadem relata in Ariſtotelis ut putatur de mundo aureo libello c. 6, ubi poſt mentionem incendii Aetnæi, Ἔνθα καὶ τὸ τῶν εὐσεβῶν γένος ἐξόχως ἐτίμησε τὸ δαιμόνιον, περικαταληφθέντων ὑπὸ τῆ ῥεύματος, διὰ τὸ βασάζειν γέροντας ἐπὶ τῶν ὤμων γονεῖς, καὶ σώζειν. πλησίον γὰρ αὐτῶν γενόμενος ὁ τῆ πυρὸς ποταμὸς ἐξεσχίσθη παρέτρεψέ τε τὸ μὲν ἔνθα, τὸ δ' ἔνθα, καὶ ἐτήρησεν ἀβλαβῆς ἅμα τοῖς γονεῦσιν τὺς νεανίσκους. Inſigni honore affecit Piorum familiam Deus, ab ipſo flumine ignis deprehenſorum, quod ſenes humeris parentes ſervandi cauſa ſuſtuliſſent. Cum enim jam prope illos eſſe torrens ignis, diffiſſus hinc inde ſe avertit, & (tanquam in inſula) ſervavit illæſos una cum parentibus adoleſcentes. Non oblitus eſt hac hiſtoria ſuum de Aetna carmen exornare Severus a v. 621. Habent etiam, ut de aliis taceam, Strabo 6 p. 185 extr. ubi Ἀμφίνομον & Ἀνα πίαν illos nominat. De varietate circa patriam & nomina vid. Salmaſ. ad Soli. p. 78, a, & VV. DD. ad Valer. Max. 5, 4 ext. 4. Pauſanias Phoc. ſ. 10, 28 hiſtoriam habet ut Lycurgus ſine nominibus. Urbem Catinam, Gr. κατάνην, ita ſignat Sil. 14, 197 *Et Catane genetraſſe pios celeberrima fratres.* Auſo. de Urbib. 11 p. 249 Toll. *Ambuſtorum fratrum pietate celebrem* vocat. Memoria rei tam inſignis ſervata in multis Catinenſium numis, quos collectos videre licet in Geſſneriano opere Tab. 30. Noſter hoc ſibi in primis ſumſit, ut vel pictam in tabula, hanc hiſtoriam vel expreſſam ſtatuis pulchra ecphraſi illuſtraret, vel pictorem ſtatuariumve dum inſtruere videtur. poëtam ſe probet, & illud Horatianum exemplo firmet, *ut pictura poëſis erit.* Igitur coram ſe fingit contemplari ſtatuas, & oſtendere aliis. Huc pertinet primum ſtatim verbum carminis, *Adſpice* &c.

4 Laudatiſſimæ Metaphoræ bonis judicibus, quæ ſenſum & mentem inanimatis tribuunt, ut hic *mirata Aetna* pulchrum adeo & pium ſpectaculum.

Complexi manibus fultos cervice parentes,
Attollunt vultus, accelerantque gradus.
Grandævi gemina ſublimes prole feruntur,
Et cara natos implicuere mora.
Nonne vides, ut ſæva ſenex incendia monſtret?
Ut trepido genitrix invocet ore Deos?
Erexit formido comam, perque omne metallum
Fuſus in attonito palluit ære tremor.
In juvenum membris animoſus cernitur horror,
Atque oneri metuens, impaviduſque ſui.
Rejectæ vento chlamydes. dextram exſerit ille,
Contentus læva ſuſtinuiſſe patrem.
Aſt illi duplices in nodum colligit ulnas
Cautior in ſexu debiliore labor.
Hoc quoque præteriens oculis ne forte relinquas,
Artificis

6 attollant -- accelerent *Junt. Baſ. al. etiam Barth. & Heinſ.* 1. *Sed* attollunt ---- accelerant *jam Vien. Ald.* ut tollant *conj. Heinſ.* 8 clara *Baſ. Junt. quod corruptum ex* chara. 11 arrexit *conj. Heinſ.* 12 ore color *vulg. Sed* ære tremor *Vien. marg. Ald. & MSS.* timor *Baſ. marg.* 15 erigit *vulg.* egerit *Vien. marg. MSS. ap. Heinſ. unde ille* exſerit, *quod firmat MS.*

5 *Fultus* dicitur aliquis ea re, in qua ſedet ut in throno. Sic 10, 152 *Hoc navigat oſtro Fulta Venus:* & 24, 199 *Solio fultus eburno.*

7 *Sublimis*, qui pedibus terram non attingere poteſt, ut in comœdiis, qui *ſublimes rapiuntur* vel *arripiuntur.*

11 Nunquam pulchrior, nunquam magis poëta Claudianus eſt, quam in picturis. Timor totum corpus timentis pervadit: hic *fuſus* eſt ab artifice per totum metallum.

13 *Horroris* indicia ſunt etiam in juvenum vultibus & geſtu, ſed ejus, qui animum non dejiciat, ſed una cum pilis erigat, ut gallinaciorum collo plumas, in canibus & apris ſetas, tanquam tela ad repugnandum videmus erigi: unde etiam *horrere acies* dicuntur a ſublatis armis.

15 *Rejectæ vento chlamydes* juvenum mihi non placent. Adverſo vento, vel ſumma certe celeritate currentibus ut ipſi ventum ſibi adverſum nixu ſuo videantur facere, poteſt hoc evenire, ſed non poteſt in his, qui currere propter onus non poſſunt, quos flammæ, quæ ſemper flatum & ventum habet, a tergo perſequitur. Deinde impoſiti humeris, hærentes tergo vetuli parentes volare chlamydas & ludibria ventis eſſe non patiuntur.

Artificis tacitæ quod meruere manus.
Nam conſanguineos eadem cum forma figuret,
Hic propior matri ſit tamen, ille patri.
Diſſimiles animos ſolertia temperat artis:
Alter in alterius redditur ore parens.
Et nova germanis paribus diſcrimina præbens,
Diviſit vultus cum pietate faber.
O bene naturæ memores, documenta ſupernæ
Juſtitiæ, juvenum numina, vota ſenum:
Qui ſpretis opibus medios properaſtis in ignes
Nil præter ſanctam tollere canitiem.
Haud equidem immerito tanta virtute repreſſas
Enceladi fauces obriguiſſe reor.
Ipſe redundantem frenavit Mulciber Aetnam,
Læderet exempli ne monumenta pii.
Senſerunt elementa fidem. Pater affuit æther,
Terraque maternum ſedula juvit onus.

Quod

23 annos *vulg.* animos *etiam Baſ. marg. MSS.* 25 quærens *MSS.* 27 ſuperbæ *Vien. marg.* 28 lumina *conj. Heinſ. qui ſic dedit ed.* 1. *Sed bene eſt, quod numina reducta ſunt ed.* 2. nota *Vien. ſed* vota *marg.* 29 medio in igne *MS. quod probat Barth.*

20 *Manus artificis*, licet hoc non ſit adſcriptum, *tacitæ* tamen *meruerunt*, ne hoc, quod ſtatim dicam, *oculis præteriens relinquas* non conſideratum.

21 *Conſanguineos*, ὁμαίμους eſſe fratres, vel ille Aen. 6, 278 *Conſanguineus leti ſopor* nos admonere poteſt.

23 *Diſſimiles animos* etiam probabile eſt. Similes poſſunt eſſe, & tamen altera ſenilis facies, altera juvenilis.

26 *Faber* pietatem unicuique fratrum ſuam, i. geſtum pietatis exſerendæ, ſed vultum etiam cuique ſuum tribuit, hoc eſt *diviſit*.

28 *Juvenum numina* ſunt Pii fratres, quatenus imitari illos debent juvenes. Optimus numinis cultus eſt illius imitatio. Iidem ſunt *vota ſenum*. Quis enim ſenex non optet tales eſſe, tales ſe præſtare ſuos filios.

32 *Enceladus* Aetna injecto gravatus, cum graviter anhelat, ignes ejicit. Hujus furor obſtupeſcit ad conſpectum tantæ pietatis &c.

35 *Elementa*, corpora naturalia, ſenſu fidei filiorum & pietatis in parentes tacta ſunt. Itaque aër, ventus, *Pater æther adfuit* portanti patrem; matre oneratum *Terra* mater adjuvit.

Quod si notus amor provexit in astra Laconas,
Aeneam Phrygio raptus ab igne pater;
Si vetus Argolicos illustrat gloria fratres,
Qui sua materno colla dedere jugo:
Cur non Amphinomo, cur non tibi, fortis Anapi,
Aeternum Siculus templa dicavit honos?
Plura licet summæ dederit Trinacria laudi,
Noverit hoc majus se genuisse nihil:
Nec doleat damnis, quæ devius intulit ardor:
Nec gemat exustas igne furente domos.
Non potuit pietas flamma cessante probari.
Emtum est ingenti clade perenne decus.

41 Onupi *Vien. Junt. Bas.* Anaphi *Vien. marg. Gryph. Vid. quos laudamus ad lemma.* 42 dicabit, dicarit *Cuj. & conj. Heins.*

37 *Fratrem* suum Castora, natura mortalem, Tyndari conceptum semine, *alterna morte redemit Pollux*, cujus Jupiter pater erat. Vid. ad Virg. Aen. 6, 121. Aeneam quis non pictum vidit in fronte Aeneidos ex 2, 721?

39 Biton & Cleobis ab Herodoto celebrati 1, 31 ex ore Solonis. Sed nos utemur Ciceronis verbis Tusc. 1, 47 *Argiæ sacerdotis Cleobis & Biton filii prædicantur -- Cum illam ad solenne & statum sacrificium curru vehi jus esset, satis longe ab oppido ad fanum, morarenturque jumenta, tunc juvenes -- veste posita corpora oleo perunxerunt, ad jugum accesserunt -- Sacerdos precata a Dea* (Junone, puto) *esse dicitur, ut illis præmium daret pro pietate, quod maximum homini dari possit a Deo: post epulatos cum matre adolescentes somno se dedisse, mane inventos esse mortuos.*

43 Multos cives suos remplis & statuis honoravit Sicilia, ut illos conditores suos Acraganta, Gelan, ut Damonem & Pinthian, ut Archimedem &c.

45 Splendidæ sunt tales magnarum calamitatum velut excusationes, & similes illis φιλοσοφήμασι, quibus utuntur in Theodicaea docti homines, immo illi veteris ecclesiæ dicto, quod relatum etiam in Sequenti Natalis Dominici, in aurora ad missam secundam canenda, O *culpa niminm beata, qua redemta est natura.* Sed difficile est hoc persuadere hominibus eo tempore, quo maxime opus est. Maluissent Catinenses pietatem civium suorum in calamitate privata eminere.

EPIGRAMMATA

LI

1 *DE MULABUS GALLICIS*

Adſpice morigeras Rhodani torrentis alumnas
Imperio nexas, imperioque vagas,
Diſſona quam varios flectant ad murmura curſus,
Et certas adeant voce regente vias:
Quamvis quæque ſibi nullis diſcurrat habenis,
Et pateant duro libera colla jugo;
Ceu conſtricta tamen ſervit, patienſque laborum
Barbaricos docili concipit aure ſonos.
Abſentis longinqua valent præcepta magiſtri,
Frenorumque vicem lingua virilis agit.

Hæc

Viennenſis non habet. 3 munera, mœnia, numina *MSS.* curſus *conj. Heinſ.* 5 longis *Heinſ. ex MSS. & Cuj.* 7 *pro* ſervit, ſerum *MS. hinc* frenis *conj. Heinſ.* luporum *pro* lupatorum *conj. Heinſ.* 9 abſentis doctique *MS.* 10 vices *vulg.*

1 Quum hic Barthius ad ſuam experientiam, & viſa a ſe ad Rhodani ripas mularum agmina, quaſi certabundus cum poëta, provocet; poſſumne ego tacere magnam vim mularum, majorem partem ſplendide ornatarum, quippe Gallicorum Ducum ſupellectilem geſtantium, quas per duo hoſce annos de feneſtra mea, tintinnabulis, quæ ſuſpenſa habent, excitatus, vidi? *Rhodanum torrentem* quaſi proprio epitheto appellat, cujus ubique memoretur celeritas.

2 Imperio & voce ſola perficit mulio, ut veniant, ad jugum & plauſtrum accedant, vel ut diſcedant.

6 *Patent colla,* quia nulla eorum pars jugo tegitur.

10 *Auris* itaque mulabus his pro ore frenato eſt, vel frenum in aure eſt, ut poſſis convertere illud Horatianum Epiſt. 1, 15. 13 *Sed equi frenato eſt auris in ore.*

Hæc procul anguſtat ſparſas, ſpargitque coactas,
Hæc ſiſtit rapidas; hæc properare facit.
Læva jubet? lævo deducunt limite greſſum.
Mutavit ſtrepitum? dexteriora petunt.
Nec vinclis famulæ, nec libertate feroces,
Exutæ laqueis, ſub ditione tamen.
Conſenſuque pares, & fulvis pellibus hirtæ
Eſſeda concordes multiſonora trahunt.
Miraris, ſi voce feras pacaverit Orpheus,
Cum pronas pecudes Gallica verba regant?

12 hæc properat reſides *volebat Barth.* 13 ordine currum *Junt. Baſ. Plant.* limite curſum *Ald. & MS.* limite greſſum *Baſ. marg. Raph. Claver. Heinſ.*

11 *Anguſtare* eſt in anguſtius ſpatium cogere, ut Stat. Theb. 12, 666 *Theſeus agmina anguſtat*, cogit.

13 *Læva jubet* intelligamus *petere*: ut hodie non modo in regendis animalibus, ſed in militaribus etiam imperiis, uno verbo, & monoſyllabœs ſi fieri poſſit, jubent vel vetant.

17 An *fulvis* leonum *pellibus* tegebanturmulæ? Sic puto, illæ præſertim, quæ eſſedis junctæ eſſent. Hæ quoque frenis, ut videmus, caruerunt.

19 *Feræ*, quam diu feræ ſunt, bella cum iis gerimus: *pacantur* cum manſueſcunt. Sic eas pacavit Orpheus.

20 *Pronas* in terram, ut in illo *Pronaque cum ſpectent animalia terram* Ovid. Met. 1, 84.

LII

11 *DE SENE VERONENSI QUI SUBURBIUM NUNQUAM EGRESSUS EST*

Felix, qui patriis ævum tranſegit in agris,
Ipſa domus puerum quem videt, ipſa ſenem:
Qui baculo nitens, in qua reptavit arena,
Unius numeret ſæcula longa caſæ.
Illum non vario traxit fortuna tumultu,
Nec bibit ignotas mobilis hoſpes aquas.
Non freta mercator tremuit, non claſſica miles:
Non rauci lites pertulit ille fori.
Indocilis rerum, vicinæ neſcius urbis
Adſpectu fruitur liberiore poli.
Frugibus alternis, non Conſule, computat annum:
Autumnum

De Senatore Veron. *quidam MSS.* 1 propriis *vulg. Sed* patriis *jam Baſ. marg. auctores alios congerit Heinſ.* 2 quem vidit puerum quem domus una ſenem *Cuj.* 4 unius & *MS. hinc* enumerat *conj. Heinſ.* 7 nec — nec *Cuj.* timuit *al.*

2 *Ipſa* repetitum reſpondet Græco ἡ αὐτὴ, eadem.

3 Pulchre opponit vel componit potius *imbecillitatem* ſenis baculo nitentis, infantiæ reptanti velut quatuor pedibus, cum reſpectu ad illud Sphingis ænigma de animali quadrupede, bipede, tripede.

4 Ponit *trium ſæculorum ſenem*, trium ætatum, ut eſt v. 20, nonagenario propinquum; ſæculum enim XXX vel XXXIII anni. Hic numerat totidem ſæcula commorationis in eadem caſa.

6 Periphraſis translatæ habitationis, ut in illo Virg. Ecl. 1, 63 *Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim.*

8 *Rancus* ſolemne cauſidicorum, qui in foro audiuntur epitheton. V. G. Mart. 4, 8 *Exercet rancos tertia cauſidicos.*

9 *Indocilis* non ſtuporem notat, ſed incuriam diſcendi, quid geratur.

11 Solent *alternare* quaſi fruges, & hoc anno hæ alio aliæ exuberare, ut poſſis ſignare hunc annum vini copia, alium ubertate tritici &c.

Autumnum pomis, ver ſibi flore notat.
Idem condit ager Soles, idemque reducit,
Metiturque ſuo ruſticus orbe diem.
Ingentem meminit parvo qui germine quercum,
Aequævumque videt conſenuiſſe nemus.
Proxima cui nigris Verona remotior Indis,
Benacumque putat litora rubra lacum.
Sed tamen indomitæ vires, firmiſque lacertis
Aetas robuſtum tertia cernit avum.
Erret, & extremos alter ſcrutetur Iberos.
Plus habet hic vitæ, plus habet ille viæ.

15 hic genitam m. p. de germine qu. *Cuj. quod placet, aut certe* parvo qui a ger. q.

13 Si ſit a mare remota illius habitatio, non dicit Solem mari ſe merſiſſe, ſed poſt montem ſibi vicinum ſe occultaſſe.

14 *Suo orbe*, ſuo horizonte, quatenus proſpectus de villa ſua patet.

22 Ut ſæpe alias, ita in hoc loco, *hic* ad remotius ordine Grammatico reſpicit, *ille* ad proximius; & h. l. recte. *Hic* meus ſenex, de quo cano; *ille* alter, cujus modo mentionem feci obiter.

LIII

III *DE APRO ET LEONE*

Torvus aper, fulvuſque leo coïere ſuperbis
Viribus: hic ſeta, fævior ille juba.
Hunc Mars, hunc Cybele laudat. dominatur uterque
Montibus. Herculeus ſudor uterque fuit.



1 ſuperbi *malit Barth. & ego.* 2 ſetis *ante Heinſ.*

• Videtur ſubſcriptum tabellæ in qua picta duo animalia: vel baſi in qua ſtabant ſigna.

2 Erectis & horrentibus in pugnam aper ſetis, jubis leo, facti erant, vel finguntur.

3 Mars cur aprum ſibi vindicet, non robur modo & impetus ille in cauſa eſt a quo commune epitheton habent θάρσος· ſed videtur alludi ad fabellam, in apro qui Adonidem Veneris amaſium interfecit, latuiſſe rivalem illius Martem: aut certe in illo venatu apri a Marte Adonidem eſſe occiſum. Vid. Tzetz. ad Lycophr. 831. Homerus Ιλ. Δ, 253 de Idomeneo συὶ εἴκελος ἀλκὴν.

Herculis *ſudor* i. e. laboris ſ. certaminis argumentum aper Erymanthius, Nemeæus ſ. Cleonæus leo &c. Vid. 3, 285 ſq.

LIV

IV *DESCRIPTIO ARMENTI FRAGMENTUM*

Non tales quondam ſpecies tulit armentorum
Tellus tergemino ſubdita Geryoni.
Non tales, Clitumne, lavas in gurgite tauros,
Tarpejo referunt quos pia vota Jovi.
Non talis Tyrias ſparſiſſe juvencus arenas
Dicitur, optatum quando revexit onus.
Non Cretæus ager, nec amati conſcia tauri
Gnoſſos, nec ſimiles paverit Ida feras.
Ipſe & diſpariles monſtro commiſſus in artus,
Qui crimen matris prodidit ore novo,
Cres puer haud talem potuiſſet reddere formam,
Præſtarent totum ſi fera membra patrem.

* * *

1 talis *malit Heinſ.* 2 Geryonæ *malit Heinſ.* 8 feros *MSS. quod præferendum videtur.* 9 diffuſus *vulg.* diffiſus, confuſus *al.* commiſſus *etiam Cuj. quod ex MSS. & auctoritate aliorum firmat Heinſ.* 10 condidit *vulg.* prodidit *eſt a Clav.* 12 portaſſent *vulg.*

* Etiam hoc epigramma videtur, qualia in Myronis buculam exſtant Græcorum & Auſonii, qualia ſunt in Amphitheatro & alia multa Martialis. Non eſt opus putare fragmentum eſſe.

2 Inter Herculis labores Geryonis, tricorporis illius Regis: boves abducti ex ultima Hiſpania per Galliam & Italiam. Vid. ad Aen. 7, 662.

3 De hoc dictum ad 28, 506.

5 Taurus Europæ Tyriæ raptor, in quo Jupiter latuit. Deſcribit Ovid. Met. 2, 852 *Color nivis eſt - Colla toris exſtant: armis palearia pendent. Cornua parva -- magis perlucida gemma -- Pacem vultus habet.*

7 Ad Paſiphaës, Minois conjugis, flagitium reſpicit, *Quæ* (Ovid. Met. 8, 132) *torvum ligno decepit adultera taurum, Diſſortemque utero fœtum tulit*; Minotaurum nempe *Semibovemque virum, ſemivirumque bovem*, ut vocat Art. Am. 2, 24.

8 *Ida* Cretæ mons, quæ inſula alias quoque armentorum pulchritudine nobilis fuiſſe, vel ex ipſis his narrationibus intelligitur.

LV

v *CONCHA*

Transferat huc liquidos fontes Heliconia Naïs,
Et patulo conchæ diuitis orbe fluat.
Namque latex, doctæ qui laverit ora Serenæ,
Ultra Pegaseas numen habebit aquas.

* Hæc concha videtur aut vera, major & splendide polita fuisse, ut illa Veneri Zephyritidi donata apud Athenæum 7, 19, ubi plura de hoc genere docet Casaubonus: aut ex auro formata, vel gemma quacunque, qua uteretur lavandæ faciei causa Serena Stilichonis uxor. Quid si hæc concha supereſt? Fuit certe in thesauro cum Maria Honorii conjuge, Serenæ filia, sepulto, quem refert Marliani ἀυτόπτης fide Grut. Thes. Inscr. p. 287, 4 *Cochlea & patera ex Crystallo.* Ceterum in apparatu balneario matronarum fuisse conchas, docet Juvenal. 6, 419 *Balnea nocte subit: conchas & castra moveri Nocte jubet.*

1 *Naïs*, ut Nympha & Lympha universim fontem & aquas vivas notat.

2 *Pegaseæ aquæ*, quod Pegasi equi ungula aperta humus fundere cœpit Castaliam. Vid. Ovid. Met. 5, 263 *Pegasus hujus origo Fontis.*

LVI

VI *DE CRYSTALLO CUI AQUA INERAT**

Possedit glacies naturæ signa prioris:
Et fit parte lapis, frigora parte negat.
Sollers lusit hiems, imperfectoque rigore
Nobilior, vivis gemma tumescit aquis.

* de Crystallo lapide, in quo ingelata latebat aqua *al.* 4 mitis *vulg.* mixtis *Claver. Raph.* vivis *etiam Cuj.*

* Comparari cum hoc possunt illa, epigrammata, quibus animalcula electro succino inclusa celebrarunt poëtæ: qualia sunt Mart. 4, 32 & 59 it. 6, 15. Hujus omne acumen, in quo argutus esse voluit poëta, versatur in illa veterum quorundam opinione, quam ipsum nomen signat, putantium glacie, quæ κρύσταλλος est Græcis, consolidatam esse cognominem ob similitudinem gemmam; cum primi auctores nominis solam speciem externam forte ita signaverint. Vid. Plin. 37, 6 & ibi Hard. & quos magno numero hic laudat Barthius. Neque tamen plane omnium hæc fuit sententia. Auctor carminis de Lapidibus, quod Orpheo adscribitur, p. 198 Eschenb. vocat ἀπόῤῥοιαν περιφεγγέος ἀμβρότου αἴγλης effluvium lucidi divini splendoris: & ignem sacrificalem ejus ope docet accendere: denique narrat, ex igne raptam mox refrigerari. Et medio ævo, qui hoc de aqua in Crystallum congelata negarent, fuisse dicit Marbodeus, ejusque glossator Pictorius c. 23.

4 *Tumescit*, prægnans vel gravida est, ut vult Barthius. Sed mihi magis placet Metaphoram esse, *tumescit*, superbit, ut referatur ad nomen *Nobilior*. Sic 58, 5 *Auctus honos*.

LVII

VII *DE EODEM*

Lymphæ, quæ tegitis cognato carcere lymphas,
Et quæ nunc eſtis, quæque fuiſtis aquæ,
Quod vos ingenium vinxit? qua frigoris arte
Torpuit, & maduit prodigioſa ſilex?
Quis tepor incluſus ſecuras vindicat undas?
Interior glacies quo liquefacta Noto?
Gemma quibus clauſtris arcano mobilis æſtu
Vel concreta fuit, vel reſoluta gelu?

Quæ ſequuntur ſex epigrammata, vulgo continuabantur. Diviſit primum libris auctoribus Claver. 1 Nymphæ & nymphas *Clav.* & *al.* *Vulgatam merito reduxit Heinſ.* corpore *it.* pectore *al.* carcere *etiam Cuj.* 3 junxit *al.* vinxit *aliunde etiam firmat Heinſ.* 5 ſecretas *conj. Heinſ.* 7 nobilis *al.* mobilis *etiam Cuj.* 8 fluit -- gelu eſt *conj. Heinſ.*

1 *Lympharum* nomen comprehendit duas res, cryſtallum, quæ, ex opinione vulgari quidem, aqua fuit, nunc autem in gemmam induruit, & humorem liquidum, quem continet. Totum hic acumen eſt ex antithetis, *frigus, tepor; torpuit, maduit; glacies, Notus.*

LVIII

VIII *DE EODEM*

Solibus indomitum glacies Alpina rigorem
Sumebat nimio jam pretiosa gelu.
Nec potuit toto mentiri corpore gemmam:
Sed medio manfit proditor orbe latex.
Auctus honos, liquidi crescunt miracula saxi,
Et conservatæ plus meruistis aquæ.

* * *

4 *Medio orbe*, massa, globo: solebat in pilas formari crystallus. Plin. 37, 6 *Invenio medicos, quæ sunt urenda corporum, non aliter utilius id fieri putare, quam crystallina pila adversis posita Solis radiis.*

LIX

IX *DE EODEM*

Adspice porrectam splendenti fragmine venam,
Qua trahitur limes lucidiore gelu.
Hic nullum Boream, nec brumam sentit opacus
Humor, sed varias itque reditque vias.
Non illum constrinxit hiems, non Sirius ardens:
Aetatis spatium non tenuavit edax.

* * *

5 axis *vulg.* ardens *etiam Cuj.*

1 *Fragmen splendens* est ipsa illa moles vel massa crystallina, quæ frustum aut fragmentum glaciei refert: in hoc fragmine, *vena porrecta* est, qua lucidioris glaciei via ducitur. *Vena porrecta & limes qui trahitur*, eadem res est, diversis modo sub imaginibus ostensa. In crystalli frusto observatur vena quædam lucidior.

4 Nempe ne intelligi quidem poterat, humorem liquidum inesse in crystallo, nisi cavum aliquanto majus fuisset, in quo ille movendi, huc illuc fluendi spatium haberet.

5 *Sirius axis* apud Claudianum non displicet, quem hoc nomine de singulis etiam stellis uti alias observarim. Vid. ad 34, 35.

6 Cum aëri inaccessus sit humor inclusus, nec minui abradendo, nec admiscendis alienis corrumpi poterit.

LX

LX

x *DE EODEM*

Clauditur immunis convexo tegmine rivus,
Duratiſque vagus fons operitur aquis.
Nonne vides, propriis ut ſpumet gemma lacunis,
Et refluos ducant pocula viva ſinus
Udaque pingatur radiis obſtantibus Iris,
Secretas hiemes ſollicitante die?
Mira ſilex, mirusque latex, qui flumina vincit,
Nec lapis eſt merito, quod fluit, & lapis eſt.

3 properis *vult Heinſ.* cum ſpumat -- Ut *Barth.* 4 bina *Junt. Baſ. Claver. Plant.* vina *Vien.* nulla *Ald.* viva *etiam Cuj.* 8 et *vulg. & MSS.* ſed lapides *al.* nec lap. *Raph. Janſ. Heinſ. Ex multa alia varietate Barthius ita*, Eſt lapis ex merito: quod fluit eſtne ſilex? *Heinſius ita*, quod flumina vinxit, Fert lapidis merito: quod fluit, eſt laticis.

1 *Tegmine* ſic poſuit ut 6, 3. Totum hoc epigramma ceteris inferius videtur, & exhauſtæ venæ, ac velut machinis expreſſum, atque extortum. Hinc nimis eget Grammatico, contra quam optat ille, ſua ut *Grammaticis placeant & ſine Grammaticis.*

3 De *ſpuma* mirabor ſi verum ſit. Magnam ſatis lacunam eſſe oportet, in qua hoc contingat. Sed ſuadent etiam alia, non nimis parvam fuiſſe cryſtalli molem. Quod *proprias* dicit *lacunas*, non aliud voluit, niſi fallor, poëta, quam *ſuas.*

4 *Pocula viva*, aqua fluens intus & movens ſe; *ducunt ſinus refluos*, reciproco fluxu, inſtar ſinus aut æſtuarii marini, prout dirigitur cryſtallus, fluunt refluunt.

5 Obverſa Soli cryſtallus certo ſitu poterat colores reddere inſtar priſmatis.

6 *Dies* hic Sol eſt, qui *ſolicitat*, movet, afficit, *ſecretas hiemes*, incluſas velut pluvias, ut colores iridos reddant. Sic *diem* poſuit etiam Luca. 4, 154 ubi *decreſcit umbra In medium ſurgente die.*

7 Hic paruus *latex* incluſus gemmæ *vincit flumina* admirabilitate ſua. Hæc admirabilitas eſt in repugnantia. Nam quod fluit intus, jure vocari lapis non poteſt; & tamen lapis eſt, quod extra tangitur.

LXI

XI *DE EODEM*

Dum cryſtalla puer contingere lubrica gaudet,
Et gelidum tenero pollice verſat onus;
Vidit perſpicuo deprenſas marmore lymphas,
Dura quibus ſolis parcere novit hiems:
Et ſiccum relegens labris ſitientibus orbem
Irrita quæſitis oſcula figit aquis.

1 lurida *MS. h. e.* lucida. 3 Nymphas *vulg. & Heinſ.* 2. *Sed* lymphas *bene ex MSS. Heinſ.* 1.

Non melius hoc epigramma præcedente.
3 Puer videt ineſſe cryſtallo aquam, quæ ſola a gelu, quod ex aqua cryſtallum fecit, non eſt indurata. Hanc irrito conatu appetit.

LXII

XII *DE EODEM*

Marmoreum ne ſperne globum. ſpectacula tranſit
Regia, nec rubro vilior iſte mari.
Informis glacies, ſaxum rude, nulla figuræ
Gratia: ſed raras inter habetur opes.

4 gratia ſex oves *MS. Barth. unde elicit*, ſexta omnes, *ut ſextum locum illi aſſignet. Merito diſplicuit Heinſio.*

2 A *Rubro* mari i. e. ab Oceano qui Perſiam & reliqua regna orientis a meridie alluit, arceſſit gemmas & margaritas etiam noſter poëta.

LXIII

XIII ΕΤΙ ΠΕΡΙ ΑΥΤΟΥ*

Χιονέη κρύσαλλος ὑπ' ἀνέρος ἀσκηθεῖσα
Δεῖξεν ἀκηρασίοιο παναίολον εἰκόνα κόσμου,
Οὐρανὸν ἀγκὰς ἔχοντα βαρύκτυπον ἔνδοθι πόντου.

* * *

2 ἔχυσα *dederat Ald. quod bene posteri mutarunt in* ἔχοντα.

* Duo hæc epigrammata Græca sumta sunt primum a Raphelengio ex Anthologia 4, 18 ubi habent titulum, Κλαυδιανοῦ εἰς κρύσαλλον ἐντὸς ὕδωρ ἔχουσαν. Hoc prius ita convertit Barthius: *Crystallus nive nata, manu fabrefacta virili, Aeternum in varia tibi monstrat imagine mundum, Cælum amplexum intus sævi fera marmora ponti.*

3 Ἀγκὰς ἔχειν est in ulnis (ἀγκάλαις) in complexu habere, Vid. VV. DD. ad Hesychium h. v. Poëta alludit ad celebratum illud a posteris dictum Euripidæ (p. 504 extr. Barnes.) ὁρᾷς τὸν ὑψοῦ τόνδ' ἄπειρον αἰθέρα, καὶ γῆν περίξ ἔχοντ' ὑγραῖς ἐν ἀγκάλαις. quod ita vertit vel Ennius vel Tullius de N. D. 2, 25 *Qui tenero terram circumjectu amplectitur.* vid.. Davis. Ergo hoc voluit Claudianus, Hæc crystallus habet, refert, mundi imaginem, nempe cælum ut amplectitur Oceanum. Ponit per appositionem, εἰκόνα κόσμου, & θρανὸν κ. τ. λ. Qui ἔχυσα legebant, retulere ad κρύσαλλος, quod mihi etiam placebat: sed Stephaniana lectio dignior facilitate poëtæ nostri.

LXIV

XIV ΕΤΙ ΠΕΡΙ ΑΥΤΟΥ

Εἶπ' ἄγε μοι κρύσαλλε, λίθῳ πεπυκασμένον ὕδωρ,
Τίς πῆξεν; Βορέης. ἢ τίς ἔλυσε; Νότος.

Hoc epigramma ita convertit Barthius, *Dic, age, mi Crystalle, latex lapidescere jussus, Quis strinxit? Boreas. Cui resoluta? Noto.* Facilius mihi videretur vltimum hemistichion, *Unde soluta? Noto.*

LXV

XV ΠΡΟΣ ΦΟΙΒΟΝ

Ἱλαθί μοι, Φίλε Φοῖβε, σὺ γὰρ θοὰ τόξα τιταλνων
Ἐβλήθης ἐπ' ἔρωτος ὑπ' ὠκυπόροισιν οἰστοῖς.

2 οἰστοις est in Heinsiana. *Sed videtur non facilis modo, quam posui, verum necessaria etiam emendatio.*

Potest ita converti: *Phœbe fave, nam tu, celeris cui tenditur arcus, Saucius es volucri quoties ab Amore fugitta?* Ceterum hoc & duo, quæ sequuntur Græca epigrammata accepisse ab Leone Allatio se dicit Heinsius.

LXVI

XVI ΕΙΣ ΜΙΜΑΔΑ ΓΗΡΑΣΑΣΑΝ

Μαχλὰς ἐϋπροτάλοισιν ἀνευάζουσα χορείαις,
Δίζυγα παλλομένοισι τινάγμασι χαλκὸν ἀράσσει,

Κτεὶς

Hoc epigramma ex inedita Anthologia etiam pro inedito dedit Jensius cum lucubrationibus Hesychianis p. 321 n. 47: & nuper Cl. Reiskius in Anthologia Constantini Cephalæ p. 132 n. 697. Post interpretationes duas Pyrrhonis prosaicam alteram, ut vocat, alteram poëticam, & tertiam Reiskii, dabo quartam, soluta oratione, sed quantum potero verbis Græcis adstrictam, ut ea constituenda mihi videntur. Non est res magni momenti: agitur enim de vetula lasciva, interpoli & senectutem dissimulare conante: sed, qui se dedit huic generi studiorum, ei nihil videri tam parvum debet, quod non cura sua dignetur. Ita igitur interpretor: *Machlas* (lasciva) *in choreis jucunde strepentibus*, *Geminum æs* (duo crotala, sistra) *vibrantibus concussionibus impellit. Pecten, suffurans* (dissimulare ac subducere oculis studens) *canam comam fato* (morti) *vicinam*, *Frustratoriis* (necquidquam adhibitis) *radiis* (dentibus) *sulcat faciei splendorem* (scalpit faciem a pigmentis unguentisque splendidam) *Mentitum vero*

Κτεὶς μὲν ὑποκλέπτων πολιὴν τρίχα γείτονα μοίρης,
Ἠλεμάτοις ἀκτῖσι χαράσσεται ὄμματος ἀυγήν.
Ψευδόμενον δ' ἐρύθημα κατέγραφεν ἄχροος αἰδὼς,
Ἀγλαΐῃ τέψασα νόθῃ κεκαλυμμένα μῆλα.

3 Τῆς *editum adhuc. Post hunc versum inserit Cl. Reiskius hunc:* Κτεὶς βάπτει, μολίβθ παῖς· ἤδη δ' ἀχλυόεσσα. 4 ἄυρη *Heinf.* ἀυγὴ *Jenf.* ἀυγὴν *etiam Reisk.*

vero ruborem affricat pudor coloris expers (extinctus, qui non amplius poteſt erubeſcere) *venuſtate coronans* (exornans) *ſuppoſiticia* (ſtrophiis, pulvillis ſubjectis) *tectas* (velut modeſtiæ cauſa) *papillas.*

3 Hic verſus ulcus habet, ut adhuc lectus eſt. Ad quod enim nomen referri poteſt Τῆς? Non ſpero ad *μόιρης*. Et ſi poſſet aliquis concoquere tantam trajectionem, quod ſubjectum, quod nomen ſubſtantiuum habebit *ὑποκλέπτων*? Orto Jotacifmo, nihil fuit pronius, quam inter dictantem & excipientem Κτεὶς mutari in Τῆς. Obiicit, puto, vetulæ illam pectendo diſſimulare velle canos. Jam Ciceroni objecit Calenus apud Dio. 46, 18 *πολιὰς κατεκτενισμένας*, pexos canos & eorum odorem.

4 Ηλεμάτῳ nomen illuſtratum præclare hodie ad Heſychium. Ακτῖνας qui de pectinis dentibus dixerit, non poſſum jam laudare, nec qui *radios*. Sed qui nihil admittere eorum velit, quæ ſunt & vocantur aCriticis *ἅπαξ λεγόμενα*, ille metuo ne ſerus ſtudiorum aliis videatur. Et qui Proverbium illud Tertullianeum de *Solis pectinibus* invenere, ii viciſſim *radios*, credo, non invidierent pectini, quibus alias in re textoria non minus quam pectini locum eſſe, novimus. Χαράσσειν etiam de tenui ſulco, de veſtigio dentium pectinis, dici poſſe, non eſt dubium, nec *ὄμμα* de toto vultu dici. Sed quod ita multa concurrunt, quæ Grammatico opus habent, illa forte Claudiani, ſive noſter eſt, ſive quiscunque alius, culpa eſt. Forte interceſſit mala librariorum ſeduliras e. i. g. a.

LXVII

XVII ΕΙΣ ΔΟΥΛΟΝ ΤΥΠΤΗΘΕΝΤΑ ΠΑΡ ΑΥΤΟΥ

Εἶρην χαλκεόπεζον ἐπὶ προθύροις ἑλικῶνος
Ἑσήκει θεράπων τις ὑπὲρ νώτοιο μεμαρπὼς,
Οὐδ' ἔθελε μογέοντι πορεῖν ἐπιβάθρον ἀοιδῷ.
Τἄνεκά μευ θώρηξεν ἰὸν πολύμητις ἀνάγκη.

* Κλαυδιανῦ εἰς -- αὐτῦ, διὰ τὸ μὴ ἐπιδῦναι σελλίον ἐν ἀκροάσει Cang. 3 *forte leg.* ἔθελεν· *sed non simpliciter neceſſarium.* ἀοιδὰς Heinſ. ἀοιδῆς Cang. ἀοιδῷ Reisk. 4 θώρηξε νόον conj. Reisk.

Hujus epigrammatis eadem ratio, quæ præcedentis, niſi quod editum etiam olim eſt a Cangio in Gloſſ. Gr. V. Σέλλιον. Fateor autem, me, cum lemma de ſervo pulſato narret, de plagis in ipſo epigrammate nihil invenire, nec alium exitum probabilem, ac putare a fine truncatum eſſe. Nempe ad verbum ita interpretor: *Servus aliquis ſtabat in veſtibulo Heliconii* (ſic appellare videtur auditorium, in quo eſſet acroaſis) *qui ſellam æneis pedibus correptam* (in ipſo forte auditorio arreptam) *in tergo* habebat: *nec volebat fatigato poëtæ ſedile* illud *præbere. Ejus rei cauſa meum telum armavit conſilii dives neceſſitas.* Hic, inquam, nihil de plagis adhuc. Et poſſit finiri ſine plagis fabula: & non valde aſtutum eſt pulſare ſervum tradere ſellam, quam domino ſuo forte is ſervabat, alii recuſantem.

LXVIII
XVIII *IN SPHAERAM ARCHIMEDIS**

Jupiter in parvo cum cerneret æthera vitro,
Risit, & ad Superos talia dicta dedit:
Huccine mortalis progressa potentia curæ?
Jam meus in fragili luditur orbe labor.
Jura poli, rerumque fidem, legesque Deorum,
Ecce Syracosius transtulit arte senex.
Inclusus variis famulatur spiritus astris,
Et vivum certis motibus urget opus.
Percurrit proprium mentitus Signifer annum,
Et simulata novo Cynthia mense redit.
Jamque suum volvens audax industria mundum
Gaudet, & humana sidera mente regit.
Quid falso insontem tonitru Salmonea miror?
Aemula naturæ parva reperta manus.

* * *

5 legemque virorum *Vien. Bas. &c.* legesque deorum *Plant. marg. Clav.* 9 metitur *Vien. Bas.* mentitur *Vien. marg.*

* Est hæc sphæra inter nobilia Archimedis inventa, de qua passim veteres, quos laudat Fabric. ad Sext. Empir. Math. 9, 115. De eodem similibusque artificiis B. G. 3, 22. 15. Vitream quod vocant, intelligendum de capsa sphærica, cui inclusa esset machina quæ pulverem arceret & manus curiosas, admitteret autem oculos, & ipsa etiam pelluciditate sua æthereris aliquam haberet similitudinem. Vitream etiam intellexit Cic. Tusc. 1, 25 *Nam cum Archimedes Lunæ, Solis, quinque errantium motus in sphæram illigavit* &c. Venuste Ovid. Fast. 6, 277 *Arte Syracosia suspensus in aëre clauso Stat globus, immensi parva figura poli.*

5 *Jura, fidem, leges* eadem figura dicit de illo quem naturæ ordinem vulgo dicimus, *quæ fœdera* noster 3, 4 ubi vid. no. Add. Lucret. 6, 906 *Quo fœdere fiat Naturæ*, de magnete.

6 *Syracosium* Virgiliano exemplo ecl. 6, 1 dixit, pro Syracusio, mediæ syllabæ corripiendæ causa. Archimedem in hac urbe patria defendenda mortuum, & in suburbano loco sepultum constat ex Liv. 25, 31. Cic. Tusc. 5, 23.

7 *Spiritus inclusus* suadet, auctorem putasse sphæram Archimedis ab aëre incluso, & motu aqua compresso, motam, quod genus artificiorum in πνευματικοῖς s. spiritalibus Hero eodem circiter tempore publicavit. Annon poëtæ licentia auctum sit artificium, & quousque ea ætate progressæ machinandi artes fuerint, difficilis disputatio est, ut de speculis ejusdem Archimedis, de Archytæ columba. Hæc certe debet elasticum quiddam inclusum habuisse. Et mihi facilius videtur, si parva fuit sphæra, quod hic innuitur, cogitare de solido elatere.

LXIX

XIX *DE POLYCASTE ET PERDICE*

Quid non fævus amor flammarum numine cogat?
Sanguinis affectum mater amare timet.

Pectore

1 munere *vulg. ante Clav.* 2 affectu *solus Heinf. ex conj.* amara *Clav.*

* De his nominibus alia superesse memoria non videtur præter ea, quæ sunt apud Fulgent. Myth. 3, 2 *Perdicam ferunt venatorem esse: qui quidem matris* (quam deinde *Polycasten* appellat) *amore correptus, dum utrinque & immodesta libido ferveret, & verecundia novi facinoris reluctaretur, consumtus, atque ad extremam tabem deductus esse dicitur. Primus etiam serram invenit.* Deinde suo more miras allegorias profert. Quod de serra inventa dicit, confundit forte fabulas, interea firmat (si conferas v. g. Ovidium Met. 8, 240) opinionem Munckeri, *Perdicam* hic esse, qui *Perdix* alias Græca consuetudine & Romana vocaretur, inventor serræ, ob invidiam præcipitatus ab avunculo suo Dædalo, & mutatus in ipso casu in avem cognominem. (Apollodorus 3, 14. 9 Talum Perdicis, sororis Dædali filium ab eo occisum refert) De hujus avis importuna libidine plurima narrant veteres. Substantia igitur ejus quam Fulgentius narrat fabulæ est, Perdix s. Perdica incesto amore matris suæ Polycastæ arsit, & contabuit. Ad hanc fabulam retulit epigramma Claudiani, vel cujuscunque est, qui lemma hoc superscripsit. Poterat certe poëta post enarratam ejusmodi fabulam, hoc velut Epiphonema subjicere hac sententia, Si fieri potest ut στοργὴ illa & pietas inter matrem & filium in tale flagitium exeat, corrumpi ea cogitatione ipsam pictatem metus est, cum puerulum suum in sinu habens mater, aut lacte suo nutriens, cogatur metuere ne hic aliquid Venerei amoris subsit, quod possit cum annis pueri adolescere. Exstitit ætate Claudiani exemplum relatum ab Hieronymo (Epist. ad Vital. T. 4 f. 33, AB. Froben.) magna cum asseveratione, de puero decem annorum nutricem suam imprægnante. In hoc sane exemplum convenit epigramma nostrum melius, quam in ea, quæ de Perdice & Polycaste narravit solus, quantum observavi, Fulgentius.

1 *Numen flammarum* est vis illa naturalis amoris, quæ divinum quid habere videtur, propter quam Deos fecerunt Venerem & Cupidines.

2 *Affectus sanguinis* est ille, qui ob sanguinis conjunctionem amatur, verbo filius, Metonymia consuetissima, qua *amores, curas, gaudia, affectus* nostros vocamus illorum objecta, ut loquuntur Philosophi. De *affectu* magnam vim exemplorum ex hujus ætatis scriptoribus dedit Barthius: quædam habent etiam nostri thesauri.

Pectore dum niveo puerum tenet anxia nutrix,
Illicitos ignes jam fovet ipsa parens.
Ultrices pharetras tandem depone Cupido.
Consule jam Venerem, forsan & ipsa dolet.

3 *pro* puerum, miserum *ante Claver.*

3 *Nutricis & parentis* eadem hic persona est.

4 *Ultrices pharetræ*, unde veniunt sagittæ in pœnam aliorum criminum immissæ. Hoc indicant Tragœdiæ, quæ scelera sceleribus, furoribusque divinitus immissis puniri docent. Cf. 75. Sic apud Nasonem Met. 10, 524 Adonis ex incesto Myrrhæ in parrem amore conceptus, *Jam placet & Veneri, matrisque ulciscitur ignes:* qui locus videtur ante oculos nostro poëtæ fuisse. Ipsa Venus pœnas dat procurati incestus, dum cogitur amare natum ex illo puerum.

LXX

xx *DE ZONA EQUI REGII MISSA HONORIO AUG. A SERENA*

Accipe parva tuæ, Princeps venerande, sororis
Munera, quæ manibus texuit ipsa suis.
Dumque auro phaleræ, gemmis dum frena renident,
Hac uterum Zona cinge frementis equi.
Sive illum Armeniis aluerunt gramina campis;
Turbidus

* De phaleris equi regii a Serena missis *Vien.* de Falleris equi *Junt.* 1 memorande *MSS.*

1 Serena, Stilichonis uxor, adoptata a patruo suo Theodosio M. sic facta est soror Honorii. Vid. Tab. Gen.

4 Minus offendet *uterus*, si quis meminerit cavum quoque equi Trajani *uterum* vocari Aen 2, 20: & *dolii* apud Columellam 2, 4. 5, *navis* apud Tac. An. 2, 6. 2 uterum esse pro ventre. Sed tamen apud hos consideratur venter ut cavum quiddam, quod alia continet. Quin manifesta Metaphora equus Trojanus v. 238 *Machina fatalis feta armis* vocatur: quale quid hic locum non habet. Hinc restringi velim, quæ ad 26, 260 paulo liberalius dicta sunt.

Turbidus Argæa ſeu nive lavit Halys;
Sanguineo virides morſu vexare ſmaragdos,
Et Tyrio dignum terga rubere toro.
O quantum formæ ſibi conſcius erigit armos,
Spargit & excuſſis colla ſuperba jubis!
Augeſcit brevitas doni pietate Serenæ,
Quæ volucres etiam fratribus ornat equos.

6 turgidus *conj. Heinſ.* 7 verſare *ante Heinſ.* vexare *conjecerat Gron. ex Luca.* 4, 751 *& firmat e MSS. Heinſ.* 8 croco *vulg.* 10 ſpargit ut *cum admiratione conj. Heinſ. pulchre.*

6 *Argæi* Capadociæ montis ad radices Halyn oriri etiam Cellariana tabula oſtendit. Illum Strabo 12 p. 370, 46 πάντων ὑψηλότατον vocat, καὶ ἀνέκλειπτον χιόνι τὴν ἀκρώρειαν ἔχον κ. τ. λ. Armeniam pariter & Cappadociam Lydiamque equis abundare ex hiſtoria etiam bellorum notum eſt. Cf. 20, 114 & mox 73, 5.

7 Formulam *vexare* frena illuſtrat Oudendorp. ad Luca. 4, 751. Conf. Drakenb. ad Sil. 5, 147.

8 *Torus* hic intelligi debet ephippium quatenus effultum eſt ſetis equinis, vel quacunque re, ad molliter ſedendum apta. Conf. 10, 150 ubi Tritonis *terga*, *Purpureis mollita toris*.

11 *Brevis*, *brevitas* pro parvo hujus ſæculi ſcriptoribus familiaria. Sed jam Plin. 8, 17 Pantheris *breves in candido macularum oculos* tribuit.

12 Non contenta ipſis veſtes texere, equos etiam illorum ſuis ornare manibus dignatur.

LXXI

XXI *DE ZONA AB EADEM MISSA ARCADIO AUG*

Stamine reſplendens, & mira textilis arte
Balteus alipedis regia terga liget,
Quem decus Eoo fratri, pignuſque propinqui
Sanguinis Heſperio miſit ab orbe ſoror.
Hoc latus adſtringi velox optaret Arion.
Hoc proprium vellet cingere Caſtor equum.

Continuant hoc epigramma præcedenti Vien & al. quod jam diſtinxerat Parm. & MSS.

Videtur eodem tempore etiam Arcadio munus ſimile illius, quod Honorio dederat, miſiſſe. Hunc *fratrem* qua ratione dicat, modo declaratum eſt ad 70, 1. *Eoum* fratrem Conſtantinopoli imperantem, & *Heſperium orbem*, Occidentis imperium, quod gubernabat tum Stilicho, intelligi, non habet difficultatem. De *Arione* Adraſti equo & Cyllaro *Caſtoris* vid. 8, 555.

LXXII

XXII *DE CHLAMYDE ET FRENIS*

Non ſemper clipei metuendum gentibus orbem
Dilecto ſtudioſa parens fabricabat Achilli:
Lemnia nec ſemper ſupplex ardentis adibat
Antra Dei nato galeam factura comantem:
Sed placidos etiam cinctus, & mitia pacis
Ornamenta dabat, bello quibus ille peracto
Conſpicuus Reges inter fulgebat Achivos.
Ipſa manu chlamydes oſtro texebat & auro,
Frenaque, quæ volucrem Xanthum Baliumque decerent,
Aequore quæſitis onerabat ſedula gemmis.
At tibi diverſis, Princeps altiſſime, certant
Obſequiis ſoceri. Stilicho Mavortia confert,
Munera, barbaricas ſtrages, Rhenique triumphos.
Reginæ contenta modum ſervare Serena,
In tua ſollicitas urget velamina telas.

De chlamyde & freno *omnes*, *cum tamen de ſola veſte agi apertum ſit.*
4 fractura *MSS.* pactura *conj. Heinſ.* 5 nuncia *MSS.* inania *MS. hinc* inermia *conj. Heinſ.* 10 ornabat *vulg.*
12 obſequiis. Socer en *vulg.*

2 *Fabricabat*, ut ſexcenties *facere* ſibi veſtem, *ædificare* e. i. g. a. Thetis rogavit Vulcanum ut fabricaret: argumentum bonæ partis Iλ. Σ a v. 478. De galea ib. 610. Hoc de veſtibus & frenis neſcio an traditum ſit: certe probabiliter ſumtum e moribus Græcorum.

9 Ξάνθος & Βαλίος nomina equorum Achillis Iλ. Π, 149, quorum illud coloris ſpadicei, hoc celeritatis, vel maculoſi tergoris, eſſe volunt Grammatici.

10 Alludit ad hoc, quod marina Dea Thetis in poteſtate habuit maris divitias.

12 Hoc epigramma ſcriptum eſſe debet aliquanto poſt duo, quæ proxime præcedunt. In illis enim ſoror Serena miſit fratribus ſuis munera: hic ſocrus eſt Honorii. Nempe *ſoceri* ſunt Honorii per filiam Mariam. Sic ipſe Virg. Aen. 2, 457. Ceterum ſplendida antitheſis: Stilicho victoriis ac triumphis te honorat, Serena muneribus textilibus.

15 *Sollicitæ* telæ, ut argutæ: in motu enim quodam ſonoro ac ſtrepero ineſt texendi actus.

LXXIII

XXIII *DE FRENO PHALERIS* ET CINGULO EQUI HONORII A SERENA MISSIS*

O felix ſonipes, cui tanti frena mereri
Numinis, & ſacris licuit ſervire lupatis:
Seu tua per campos vento juba luſit Iberos:
Seu te Cappadocum gelida ſub valle natantem
Argææ lavere nives: ſeu læta ſolebas
Theſſaliæ rapido perſtringere paſcua curſu:
Accipe regales cultus, & crine ſuperbus
Erecto virides ſpumis perfunde ſmaragdos.
Luxurient tumido gemmata monilia collo.
Nobilis auratos jam purpura veſtiat armos.
Et medium te Zona liget variata colorum
Floribus, & caſtæ manibus ſudata Serenæ,
Perſarum gentile decus. Sic quippe laborat
Maternis ſtudiis, nec dedignatur equeſtres
Moliri phaleras genero latura decorem.

6 ſaltu *vulg.*

* *Phaleræ* hic ſunt, quæ v. 9. *monilia* vocantur, & v. 10 *purpura quæ armos veſtit.*

2 *Numen* dici de Imperatore, & *ſacros lupatos*, quibus illius equus regitur, a poëta gentili, quis indignetur, cum illa ſolemnis ſit ratio, qua de ſe ipſi loquentes inducuntur in legibus Imperatores Conſtantinei & Theodoſiani ſæculi.

3 *Juba luſit vento*, a vento agitata, eique *ludibrium* fuit, ut illa Sibyllæ folia Aen. 6, 75 *turbata volant rapidis ludibria ventis.* Ceterum hic poëta patrias nobilium equorum memorat, Iberiam ſ. Hiſpaniam, in primis partem maxime occidentalem ſ. Luſitaniam. De *Argæo* nivoſo Cappadociæ monte modo dictum ad 70, 6. *Theſſali* equites Centaurorum fabulæ occaſionem dedere.

10 *Auratos* intelligo *armos* equi ab ipſis phaleris purpureis auro diſtinctis.

12 *Sudata manibus Serenæ* Zona comparata cum ſimilibus formulis ad 24, 94.

13 *Perſarum* luxus regius infecit totum Orientem, vel totum orbem. De hoc genere vid. Briſſo. de regio Perſar. princ. 3, 58.

14 *Materna ſtudia*, voluntas enixa ſocrus. Quæ gens hodie quoque non patris, matris, fratris appellatione in proximo affinitatis gradu, blandiendo præſertim, utitur?

LXXIV

XXIV *DEPRECATIO AD ALETHIUM QUAESTOREM**

Sic non Aethiopum campos æstate pererrem,
Nec Scythico brumam sub Jove nudus agam:
Sic non imbriferam noctem ducentibus Hædis
Ionio credam turgida vela mari:
Sic non Tartareo Furiarum verbere pulsus
Irati relegam carmina grammatici:

Nulla

3 imbriferis *MSS. pro* noctem, nubem *conj. Heins.* 6 lædam *ex* 2 *MSS. Heins.* relegam *omnes alii.*

* Ironica hæc deprecatio vel palinodia est Horatianæ illi, qua Canidiam infamavit Epo. 17, similis. Hujus *Alethii* nomen an alias superfit, non habeo dicere. Immo nec ipsum nomen invenio: sed unum alterumque *Aletium* in Gruteriano & Muratoriano Inscriptionum Indice. Quin in illa varietate atque incerto lemmatum ne hoc quidem satis constat, sitne hoc nomen a Claudiano positum. Nec puto recte inscribi hoc epigramma *Ad Alethium*; cum nusquam illum alloquatur, sed tanquam de absente agat. Ergo inscribendum erat *In Alethium*. Quod Mallium Theodorum hic peti suspicatur Barthius, ejus rei causam idoneam equidem non video. *Quæstorem* ipse poëta nominat eum, in quem ludit, de qua dignitate pluribus locis ad Codicem Theodosianum agit Gothofredus. Summam videtur complexus Zosimus 5, 32 ὁ τὰ βασιλέι δοκοῦντα τεταγμένος ὑπαγορεύειν, qui constitutus est ut imperatoris decreta (leges & sententias) dictet. Duo ab illo per multas verborum ambages requirit Cassiodorii stilo Theodoricus Var. 20, 6 & 7 justitiam & eloquentiam.

Offensio autem quam deprecari se simulat noster hæc est, quod non bene de versibus illius judicarat. Mutatis personis eadem agitur fabula. Dum hæc scribo, publicatur mordax epigramma, in quo accusatur Purpuratus Regius aliquam diu & nuper admodum Pontificius, bellum, quo nunc perit Europa, concitasse, quod Regum ποιητικώτατος, & Rex poëtarum, ipsius versiculos contemnisset.

1 Jurisjurandi formula, Ita evitare mihi contingat incommoda & molestias, ut non volui lædere Alethium.

3 Colum. II, 2. 73 *Pridie Non. Octobris hædi oriuntur.* Hoc tempore navigare desinebant. *Nox* pluviosa eo terribilior.

6 Duo irritabilia genera in uno homine conjungit, unum poëtarum

Nulla meos traxit petulans audacia ſenſus,
Liberior juſto nec mihi lingua fuit.
Verſiculos, fateor, non cauta voce notavi,
Heu miſer ignorans quam grave crimen erat!
Orpheos alii libros impune laceſſunt,
Nec tua ſecurum te, Maro, fama vehit.
Ipſe parens vatum princeps Heliconis Homerus
Judicis excepit tela ſevera notæ.
Sed non Virgilius, ſed non accuſat Homerus.
Neuter enim quæſtor, pauper uterque fuit.
En moveo plauſus, en pallidus omnia laudo,
Et clarum repeto terque quaterque ſophos.
Ignoſcat placidus tandem, flatuſque remittat,
Et tuto recitet quod libet ore: placet.

7 verſus *Cuj.* 8 ſolito *ex MSS. Heinſ. contra ipſius conſilium.* 9 mente *MSS.* 10 *Ne adulterinus ſit hic verſus, metuit Heinſ. V. N.* 11 Aſcraeos *conj. Heinſ.* 16 *pro* pauper, paſtor *MS.* 17 *pro* en, & *vulg.* 19 intendat *ante Claver.* 20 quidquid ab ore pluet *vel* fluet *MS. ap. Claver.*

rum (quod ita vocat Hor. Epiſt. 2, 2. 102) alterum Grammatici, quorum iræ paſſim vel ludibrio vel deteſtationi ſunt. Morſus autem acerrimus eſt in verbo *relegam*. Poſt graviſſima mala quæ poſuit, ultimum, creſcente paulatim ad ſummum oratione, poſuit *relegam* carmina irati Grammatici, h. e. Alethii. Ad hoc ſe adigi poſſe negat niſi *verbere Furiarum*. Hæc δριμύτης plane perit, ſi cum ſumma alias poëtarum vindice pro *relegam* ponas *lædam*.

10 Indicativus modus ut hic in verbo *erat*, etiam optima ætate inveniturus. Vid. ad 8, 267.

17 Videtur in mente habuiſſe illum deriſorem Horatianum Art. 427 *Clamabit, Pulchre! Bene! Recte! Palleſcet ſuper his* &c. Illud *ſophos* eſt adverbium, σοφῶς, illa acclamatio, quam ſæpe ridet Martialis, ut 1, 77 *Magnum ſemper inane ſophos.*

LXXV

XXV *IN CURETIUM*

Fallaces vitreo ſtellas componere mundo,
Et vaga Saturni ſidera ſæpe queri,
Venturumque Jovem paucis promittere nummis,
Cureti genitor noverat Uranius.
In prolem dilata ruunt perjuria patris,
Et pœnam merito filius ore luit.
Nam ſpurcos avidæ lambit meretricis hiatus,
Conſumens luxu, flagitiisque domum.
Et quas fallacis collegit lingua parentis,
Has eadem nati lingua refundit opes.

1 palantes *MS.* *quod non contemſerim.* 9 ut quas *Claver.*
10 refudit *vulg.*

Nimis εὐθύφθημον ac liberum pro more ſæculi Epigramma: ſed in quo firmatur teſtimonio hominis non hoc agentis, quod Legati divini nos docuerunt de pœnis paternorum criminum in filios non meliores expetentibus; & de turpitudine mercede impietatis, ut ad Romanos 1, 23 ſqq. it. 2 Petri 2, 13. Similia vidimus ad 69, 4. Claudianum tamen multo modeſtiorem Auſonio, & virginem ſi cum illo comparetur, jam obſervatum Barthio. Et ille Chriſtianum ſe profeſſus eſt, & Imperatorum duorum præceptor fuit.

1 Habuit ergo Curetii pater, quiscunque fuerit (nam *Uranius* fictum ab ipſa arte videtur hominis, qui *cæleſtia* ſemper creparet) ſphæram, quæ cælum utcunque repræſentaret, Archimedeæ de qua n. 68 imitatricem, qua uteretur ad exhibendam, quamcunque vellet geneſin, h. e. ſiderum inerrantium inter ſe, quo tempore quis natus eſſet, comparationem, e qua fata ſic nati legere ſe poſſe ſimulabant. Cogitare interdum ſubit, vel ad hoc ipſum permiſiſſe videri Deum illas vaniſſimæ & impudentiſſimæ artium progreſſiones, quæ etiam ſapientes alioquin, doctos geometriam, & bonos viros velut faſcinaret, ut intelligant poſteri, nullam abeſſe a genere noſtro, niſi caveamus (& quam difficile & forte ἀδύνατον eſt cavere?) ſtultitiam.

3 *Venturum Jovem* intellige auxilio, ſaluti. Beneficum ſidus Jupiter, & Saturno obnitens. Hor. Car. 2, 17. 23 *Jovis impio Tutela Saturno refulgens. Venturi* hunc uſum videtur Homero debere, apud quem, (Od. B, 420) ἱκμενος οὖρος ventus ſecundus eſt qui *pervenire facit* navigantes quo volunt.

10 Hinc forte natum Santolio epigramma haud paullo caſtius, in medicum obſtetricantem, *Quas bona pars hominum muliebri mergit in antro, Ex illo Clemens eruit unus apes.*

LXXVI

XXVI *IN EUNDEM*

Si tua, Cureti, penitus cognoſcere quæris
Sidera, patre tuo certius ipſe loquar.
Quod furis, adverſi dedit inclementia Martis:
Quod procul a Muſis, debilis Arcas erat:
Quod turpem pateris jam cano podice morbum,
Femineis ſignis Luna, Venuſque fuit.
Attrivit Saturnus opes. hoc prorſus in uno
Hæreo, quæ cunnum lambere cauſſa facit.

8 cura fuit *MSS.* cauſa fuit *MS.*

Qui ſuperius epigramma cognovit, hic nihil habebit difficultatis. Geneſin hominis enarrat ſatiricam, ſic tamen ut tribuat planetis ſingulis, quæ ſolent in illa diſciplina, quæque ſingula ex Manilio Firmicoque illuſtrare facile eſſet. Sed piget ineptiarum. Itaque defungemur paucis.

4 *Arcas* Mercurius a patria matris Majæ, & ipſius, Cyllene, altiſſimo monte Arcadiæ, in quo & antiquiſſima ipſius commoratio fuit. V. Apollod. 3, 10. Apellatione hac utuntur Stat. Sil. 2, 7. 5. Martial. 9, 35. Juniores laudat Toll. ad Auſo. Eidyll. 8, 22 p. 344. *Debilis* eſt & parum efficax planeta, ſi non ſit in ſuo domicilio c. i. g. a.

6 In *ſignis femineis*, naſcente Curetio, fuere planetæ ejusdem ſexus Venus & Luna. Loquitur ex artis præceptis. De Luna & Venere notum ubique. De ſignis Manil. 2, 151 *Maſcula ſex ſunt, Diverſi totidem generis, ſub principe Tauro.* Nempe, ut eſt diſerte apud Firmicum Aſtron. 2, 1, Maſculina ſunt Aries, Gemini, Leo &c. Feminina Taurus, Cancer, Virgo: ut alternis ſe conſequantur in ſerie illa Zodiaci, quomodo hodie in ſodalitiis elegantiorum hominum alternis ſederur, ut olim XII Deos in lectiſterniis ſolebant jungere Romani, Jovem ſuæ Junoni, Veneri Martem &c. Vid. Liv. 22, 10.

LXXVII

XXVII *IN JACOBUM* MAGISTRUM EQUITUM*

Per cineres Pauli, per cani limina Petri,
Ne laceres verſus, dux Iacobe, meos:
Sic tua pro clipeo ſuſtentet pectora Thomas,
Et comes ad bellum Bartholomæus eat:
Sic ope ſanctorum non barbarus irruat Alpes:
Sic tibi det vires ſancta Suſanna ſuas:
Sic quicumque ferox gelidum tranaverit Iſtrum,
Mergatur; volucres ceu Pharaonis equi:
Sic Geticas ultrix feriat rhomphæa catervas,
Romanaſque tegat proſpera Thecla manus:

Sic

1 *pro* cani, ſancti *MSS. Cuj.* 3 per clypeum *MS.* defendat *vulg.* 5 *pro* ſanctorum, junthodi *MS.* *unde* Judithæ *conj. Barth.* ne barb. *conj. Heinſ.* 10 regant -- tela *vulg.* regat *vel* tegat teda, theda, tegat Tecla *MSS.* Romanæque gerant *MS.*

*Iacobi hujus an alia ſuperſit mentio, non dixerim. Magiſtri Equitum dignitas illuſtris, & ordinarie Magiſtro Peditum præfertur. Vid. Gothofr. Parat. ad librum 7 C. Theod. qui eſt totus de re militari p. 250. In Notitia Dignit. Imp. Occid. ſ. 34 ſtatim poſt Præfectos Prætorio & urbis ponuntur Magiſtri Peditum & Equitum.

1 Vt mordeat virum, a quo verſus quosdam ſuos reprehenſos iraſcitur, illudit Sanctorum, quos vocat Eccleſia, cultui, per quos illum videri vult obteſtari, ne velit amplius carmina ſua traducere. Ille porro cultus jam tum immoderatus & ſuperſtitioſus, ne quid gravius dicam, fuiſſe debet, cum hoc epigramma ſcriberetur, quod Claudiano vindicant Barthius & Heinſius. Sed in margine Baſil. adſcriptum, *Hoc epigramma vix credo eſſe Claudiani.* Quidquid ejus ſit, propter Sanctorum & Martyrum admirationem Iacobo exprobratam abjudicari Claudiano hoc Epigramma vetat Hieronymus, qui hoc ipſo tempore plus quam opus eſt contra Vigilantium pro illa declamavit: & ſcripſit ad Lætam (p. 672, B) *Inundans populus ante delubra ſemiruta currit ad martyrum tumulos.*

6 Itaque in veneratione & cultu jam tum erat cum Juditha Suſanna illa apocryphos? Laudat certe Hieronymus alteram Epiſt. ad Principiam, alteram ad Salvinam. Sed abeſſe hoc diſtichon a MS. Vaticano, obſervavit Heinſius.

9 *Ultrix rhomphæa* pertinet ad illa dicta ſacrarum literarum.

10 An hæc pertinet ad S. Theclam, de qua in Martyrologio Ro.

Sic tibi det magnum moriens conviva triumphum,
Atque tuam vincant dolia fusa sitim:
Sic nunquam hostili maculetur sanguine dextra.
Ne laceres versus, dux Iacobe, meos.

❋ ❋ ❋

11 magnos triumphos *vulg.* 12 et tua perpetuo dolia vina fluant *MSS.* sic tibi perp. d. v. f. *MS.* fluere *cum Accusativo illustrat Heinf.*

Ro. a. d. 23 Sept. *Iconii in Lycaonia sanctæ Theclæ virginis & martyris, quæ a S. Paulo Apostolo ad fidem perducta, sub Nerone Imperatore in confessione Christi ignes & bestias devicit, & plurima ad doctrinam multorum superata certamina, Seleuciam veniens, ibi requievit in pace. Eam sancti Patres summis laudibus celebrant & dignis præconiis extollunt.*

11 Adhuc posuit in optandis Jacobo auxilia Sanctorum, ne ipsius scilicet fortitudine opus sit: nunc potatori strenuo insultat: *moriens* enim *conviva* est vino depositus vel sepultus.

18 Hic præter ceteros versus est amarissimus. Quis enim ille Dux, quis Magister militum, hoc in optabilibus habeat? nisi quis forte huc trahere velit illud Horatianum Sat. 2, 1. 43 *ut pereat positum rubigine telum.*

LXXVIII

XXVIII *RIMANTI TELUM IRA FACIT**

In jaculum quodcumque gerit dementia mutat.
Omnibus armatur rabies pro cuspide ferri.
Cuncta volant, dum dextra ferox in vulnera sævit.
Pro telo geritur, quidquid suggesserit ira.

❋ ❋ ❋

1 ferit *MSS.* quodc. rei *conj. Heinf. cui corruptum videtur vulgatum* gerit. 4 ingeritur *conj. Heinf. in quo illum audiam facilius.*

* Est scholastica æmulatio Virgiliani hemistichii Aen. 7, 508 *Quod cuique repertum Rimanti, telum ira facit.* Talis etiam est n. 86.

1 *Quodcunque gerit*, quod forte in manu habet, v. g. instrumenti rustici, bipalium, furcam, ventilabrum; si doctus est, librum, ut illi apud Boilavium certantes de pulpito s. lectorio: in proverbio est, qui aureis fenestras inimici petit.

LXXIX

XXIX *IN PODAGRUM*

Quæ tibi cum pedibus ratio? quid carmina culpas?
Scandere qui neſcis, verſiculos laceras.
Claudicat hic verſus, hæc, inquit, ſyllaba nutat,
Atque nihil prorſus ſtare putat podager.

In Podagrum, qui carmina culpabat, non ſtare dicebat *MS.*
2 quos -- inquit -- putat *MS.*

2 Hoc verbo *lacerandi* uſus eſt etiam n. 77 ext. Hinc colligit Barthius in eundem hic ludi Jacobum. Et bene convenire ſolet podagræ cum potatoribus.

LXXX

XXX *DE THEODORO ET HADRIANO*

Mallius indulget ſomno noctesque dieſque.
Inſomnis Pharius ſacra, profana, rapit.
Omnibus hoc, Italæ gentes, expoſcite votis,
Mallius ut vigilet, dormiat ut Pharius.

Vid. quæ dicta ſunt ad 39, 20. Hon nempe Epigramma poteſt occaſionem dediſſe illi deprecationi.

LXXXI

XXXI *AD AETERNALEM*

Quidquid Caſtalio de gurgite Phœbus anhelat,
Quidquid fatidico mugit cortina receſſu,
Carmina ſunt: ſed verba negant communia Muſæ.
Carmina ſola loquor. ſic me meus implet Apollo.

3 car. fert *vulg.* & verba *conj. Heinſ.* non verba ferunt *ex MS. Barth.*
4 Smyrnæus imp. *MS.*

1 *Caſtalius gurges* idem qui & *Hippocrene* vocatur, de quo *fonte Caballino*, ut ait Perſius in Prol. qui *labra proluerunt*, poëtæ fiunt.
2 *Cortina*, tripus impoſitus ſpecui Delphicæ, cui inſidens Pythia ſpiritu illo fatidico impletur, a quo fundit Oracula verſibus conſtantia. Sed jam Plutarchus peculiari libello inquiſivit in cauſas cur ἔμμετρα χρᾶν verſibus reſpondere deliberantibus Pythia deſiſſet.

LXXXII

XXXII *AD MAXIMUM QUI MEL MISIT*

Dulcia dona mihi tu mittis, Maxime, ſemper,
Et quidquid mittis, mella putare decet.

LXXXIII

XXXIII *DE LOCUSTA FRAGMENTUM*

Horret apex capitis: medio fera lumina ſurgunt
Vertice. cognatus dorſo dureſcit amictus.
Armavit natura cutem, dumique rubentes
Cuſpidibus parvis multos acuere rubores.

1 ſurgit *MS. i. e. ſurrigit.* duo cornua ſurgunt *conj. Heinſ.* 2 ſuccreſcit *conj. Heinſ.* 3 dubiisque *MSS.* dubiq. *MS.* dubiisque rubentem *MSS.* 4 multis *vulg.* parum multos *MS.* pariunt multos ac vere colores *Claver. Hinc* dumique rubentis Cuſpidibus pariunt multos ac vepre dolores *conj. Heinſ. Sed Barth. ita:* dubiisque rubentem Cuſpidibus, variant milto victore colores.

Si quis locuſtam marinam ſ. carabum, ut a Geſnero, Aldrovando, aliisque deſcribitur depingiturque, conſideret, videbit ſatis convenire illi hanc deſcriptionem, quantum ad duo priores verſus cum dimidio tertio. In reliquis facilius intelligo Heinſianam conjecturam, quæ illam aſperitatem *cutis*, i. criſtæ, quem *cognatum* i. connatum *amictum* dixit poëta v. 2, *dumo* comparat aut *vepri.* Quod *rubentem* dicit, illud non ſimpliciter repugnare naturæ, ſatis nos vel recentiſſimæ Catesbyanæ picturæ docent.

LXXXIV

XXXIV *DE BALNEIS QUINTIANIS*

Fontibus in liquidis paullum requieſce, viator,
Atque tuum rurſus carpe refectus iter.
Lympharum dominum nimium miraberis, hoſpes,
Inter dura viæ balnea qui poſuit.

LXXXV

XXXV *DESCRIPTIO PORTUS SMYRNENSIS* *

Urbs in conſpectu montana cacumina velat,
Tranquillo prætenta mari. ducentia portum
Cornua pacatas removent Aquilonibus undas.
Hic exarmatum terris cingentibus æquor
Clauditur, & placidam diſcit ſervare quietem.

* Zarinenſis *vulg.* Saronenſis *conj. Barth.*

Cum hæc deſcriptio hodierno etiam Smyrnæ ſitui conveniat, eo ſecurius Heinſiana lectio retinetur.

3 *Removent Aquilonibus*, ſubducunt illis undas, h. e. excludunt Aquilones, ut defendere proprie eſt depellere, ac tamen *defendi* dicitur urbs a qua proprie defenduntur, depelluntur hoſtes.

LXXXVI

XXXVI *EST IN SECESSU LONGE LOCUS* *

Eſt procul ingenti regio ſummota receſſu,
Inſula qua reſides fluctus miteſcere cogit,
In longum producta latus; fractaſque per undas
Ardua tranquillo curvantur brachia portu.

* Inſulæ deſcriptio *ante Heinſ. pro* ſeceſſu, conſpectu *Heinſ.*
1 receſſu Inſula, quæ *ante Heinſ.*

Eſt imitatio Virgiliana, vel ſi mavis, certamen ſcholaſticum cum Aen. 1, 159 *Eſt in ſeceſſu longo locus: inſula portum Efficit objectu laterum, quibus omnis ab alto Frangitur, inque ſinus ſcindit ſeſe unda reductos.* Poteſt hæc deſcriptio ceteroquin accommodari ad Syracuſanum portum, quem objectu ſuo inſula efficit.

LXXXVII

XXVII *DE QUADRIGA MARMOREA*

Quis dedit innumeros uno de marmore vultus?
Surgit in aurigam currus, paribusque lupatis
Unanimes frenantur equi. Quos forma diremit,
Materies cognata tenet, discrimine nullo.
Vir redit in currum: ducuntur ab axe jugales:
Ex alio se quisque facit. Quæ tanta potestas?
Una silex tot membra ligat, ductuque per artem
Mons patiens ferri varios mutatur in artus.

4 frenata *Pulm. marg.* 5 vix *vulg.*
6 ex alto -- jacit *MSS.*

1 *Innumeros vultus* non puto dici de hoc tantum opere: sed universim miratur auctor statuariæ artis miraculum, ex una materia, dura eadem tot figuras formantis. Has vocat *vultus*, ut Ovid. Met. 1, 2 *Unus erat toto, naturæ vultus in orbe.*

2 *Currus* sunt ipsi equi: hi surgunt sublatis pedibus anterioribus & reclinant se versus aurigam, rotis insistentem.

3 *Quos forma diremit* non refertur ad equos; hi quantum potest sunt similes, eodemque gestu & velut motu atque actu: sed auriga, frena, equi, axis, rotæ, omnia sunt ex lapide eodem. Itaque *Vir redit in currum*, continuus est & continens currui, *jugales* equi *ducuntur* ex eadem massa *ab axe*. Cogita, lector, statuam dum funditur ex aere, ibi membrum unum ducitur ab altero, una continuatione. Ita hic jugalis quisque *se facit*, inter manus artificis fieri & enasci videtur, *ex alio*, proximo, cui continens est. Sed fateor hanc formulam *se facit* mihi nimis audacem videri, & barbarum aliquid habere hodiernarum linguarum usui simile, ubi reciprocis verbis utimur pro passivis.

8 *Montem* pro saxo, parte montis, poni, apertum est.

LXXXVIII

XXXVIII *FRAGMENTUM*

Sordidus ex humeris nodo dependet amictus,
Exercentur equis, & colla comantia pectunt.

LXXXIX

XXXIX *DE PAUPERE AMANTE*

Paupertas me ſæva domat, diruſque Cupido.
Sed toleranda fames, non tolerandus amor.

XC

XL *DE EODEM*

Efuriens pauper telis incendor amoris.
Inter utrumque malum diligo pauperiem.

XCI

XLI *IN SEPULCRUM SPECIOSAE*

Pulcris ſtare diu Parcarum lege negatur.
Magna repente ruunt: ſumma cadunt ſubito.
Hic formoſa jacet Veneris ſortita figuram,
Egregiumque decus invidiamque tulit.

2 invidiam meruit *ante Claver. cujus emendationem probavit Barth. & Heinſ.* 2.

4 Antiquum pulchrarum vitium invidia: quo nec hodie dicuntur carere. Sic Scyllam monſtrum fecit Circa.

XCII

XLII *DE BIRRO* CASTOREO*

Nominis umbra manet veteris. nam dicere Birrum,
Si Caſtor niteat, Caſtoreum nequeo.
Sex emtus ſolidis, quid ſit, jam ſcire poteſtis.
Si mihi nulla fides, credite vel pretio.

* de Birrho & Caſtoreo *editt. vett.* 1 veteres *edd. vett.* diſcere *MSS.* 2 ſi *edd. vett.* juret, viret, vitet, nitet *al.* nomen verba manet *MS.* ſi textura vetet *conj. Scal.* ni Caſtor niteat *ex MSS. Claver. Barth. Heinſ.* ſi Caſtor vivet *vel* vivat *conj. Heinſ. quod non intelligo.*

Birrum eſſe lacernam, veſtem, quæ aliis interioribus injiciatur, oſtendit Salmaſius, quam laudamus in Theſauro. Caſtoreos pilos molliſſimum genus veſtimenti præbuiſſe jam ea tempeſtate, qua ſcriptum ponitur hoc epigramma, oſtendit Barthius. Videtur illius auctor ridere antiquum birrum, de quo jam omnis lanugo caſtorea, qua cenſebatur, unde nominabatur, detrita ſit. Hunc negat dici jam debere, quod olim fuerit, birrum *caſtoreum*. Niſi malis imitatione birrorum vere caſtoreorum alios de viliore lana hoc nomen accepiſſe, ut ſi quis hodierna illa viliora textilia villoſa de lana vel lino (*Peluche*) velit holoſericorum hexamitorum appellatione (*Sammet, velours*) condecorare. Et hoc melius placet, quia provocatur ad pretium.

XCIII

XLIII *DE HIPPOPOTAMO*

Utraque fecundo nutritur bellua Nilo:
Quæque vorat morſu, quæque ſub ore fremit.

Protulerat hoc epigramma Heinſius, in nota ad n. 83: unde in altera editione huc relatum eſt. Quid ſibi velint ultima verba, inde intelligere mihi videor, quod veteres ſcriptores univerſim ἵππου φωνὴν, *hinnitum*, huic belluæ tribuunt, a quo forte magis, quam a figura corporis, nomen invenit. Videtur autem pulchre exprimi hinnitus hac periphraſi: eſt enim ſpiritus tremulus ex imo gutture profuſus & per os ac nares expulſus.

XCIV

XLIV *QUAE IN MENSA DE SARDONYCHE LAPIDE*

Menſa coloratis aquilæ ſinuatur in alis,
Quam floris diſtinguit honos: ſimilisque figura
Texitur: implumem mentitur gemma volatum.

Eadem hujus epigrammatis ratio eſt. Videtur deſcribi menſa forte argentea, quæ haberet emblemata ex ſardonyche, aquilam, florem, aliam avem. Quod *texi figuram* dicit, intelligo ex diverſis gemmis tanquam muſiuo opere compoſitam, ſegmentatam, teſſellatam.

XCV

XLV *CARMEN PASCHALE**

Chriſte potens rerum redeuntis conditor ævi,
Vox ſummi ſenſuſque Dei: quem fudit ab alta
Mente pater, tantique dedit conſortia regni.
Impia qui noſtræ domuiſti crimina vitæ,
Paſſus corporea mundi veſtire figura,
Affarique palam populos, hominemque fateri:
Quem verbo incluſum Mariæ mox numine viſo
Virginei tenuere ſinus, innuptaque mater
Arcano ſtupuit compleri viſcera partu,

Auctorem

1 *pro* ævi, orbis *MSS.* anni *MS.* 2 fuderat alta *MSS.* 4 impia tu *al. etiam Fabric.* 5 mundum *vulg.* dominum *conj. Barth.* 7 quemque utero *Vien. Junt.* quem verbo *Ald. Fabric. MSS.* tene utero *conj. Heinſ.* lumine *MS.* angelo *MSS. & Cuj. ex gloſſa. Totus verſus in quibusdam codd. deeſt.* 8 tumuere *vulg.* timuere *MSS.* tenuere *MS. Oxon. unde* tremuere *conj. Heinſ.* intumuere *MS.* patuere *MS.* 9 obſtupuit *Fabr.*

* Hoc carmen Ge. Fabricius, Damaſo Epiſcopo ſæculi IV Romano in libro antiquiſſimo adſcriptum, edidit p. 774 & noſtro Claudiano abjudicavit in Comment. p. 35 & 43: cui potius aſſentior, quam Claverio. Non vocatur ibi *Paſchale*, ſed ſimpliciter inſcribitur de Chriſto. Et tamen Paſchale carmen eſſe, indicant duo verſus ultimi, qui etiam hoc docent, ſolemnes eo tempore in Eccleſia preces interpoſitas fuiſſe pro Imperatore. Poterat uti hoc loco Vir Illuſtris, commilito ante hos pene quinquaginta annos meus in Jenenſi Academia, cujus nunc magnum decus eſt, C. G. Buderus in progr. de precibus pro Imperatore fuſis, quo refellit eorum errorem, qui hunc morem demum ſæculo octavo ab Hadriano Pontifice inſtitutum tradunt.

1 *Rediens ævum*, nova felicitas, ut *Gloria novi ſæculi* in nummis. Ut Virg. ecl. 4, 5 *Magnus ab integro ſæclorum naſcitur ordo: Jam* redit *& Virgo*, redeunt *Saturnia regna.*

5 *Paſſus veſtire* formula cujus ſimiles habet etiam Claudianus. Vid. 15, 265. Suſtinuiſti te veſtire corpore.

7 Sic ordino & interpretor: *Sinus Mariæ Virginei*, ſtatim *a Numine* Gabrielis (vel ipſius Dei per Gabrielem ſe manifeſtantis) *viſo tenuere* hunc hominem. *Verbo* illi Johanneo intime unitum & velut *incluſum.* Si quis *tumuere* utique ſervandum putet, ille Græciſmo defendet phraſin, *Virginei ſinus tumuere* (ob) *puerum.*

Auctorem paritura ſuum. Mortalia corda
Artificem texere poli, mundique repertor
Pars fuit humani generis, latuitque ſub uno
Pectore, qui totum late complectitur orbem;
Et, qui non ſpatiis terræ, non æquoris unda,
Non capitur cælo, parvos confluxit in artus.
Quin & ſupplicii nomen, nexuſque ſubiſti,
Ut nos ſubriperes leto, mortemque fugares
Morte tua: mox ætherias evectus in auras,
Purgata repetis lætum tellure parentem.
Auguſtum foveas, feſtis ut ſæpe diebus
Annua ſinceri celebret jejunia ſacri.

10 membra *MS.* 11 fudere *MSS. & Baſ. marg.* cepere *MS.* 12 imo *vulg.* uno *Ald.* 14 undis *Fabric.* 15 nec *vulg.* 16 ſupplicii *vulg.* ſupplicium nomen, *vel* mortis *MSS.* mancipii *eſt a Cujacio & Claverio, quos ſequitur Heinſ.* 17 eriperes *MSS.* 19 repetens *vulg.* reparans lætum te luce, parentem Auguſtum *Fabric.* parentem Auguſtum *jungunt etiam alii ante Claver. Dedi lectionem Claver. Janſ. Heinſ.* 20 Auguſtos -- celebrent *MS. quod eſt forte ſtudio accommodatum, ad tempus, quo duo erant Auguſti.*

10 *Corda* nominat ea plane ratione, ut Germanorum conſuetudo *ſub corde geſtari* dicit nondum natos, V. G. 2 Maccab. 7, 27, & liberos *a corde* venire, & *redire ad cor*, h. e. cor matrum tangere ſua morte. Utrum tale quid apud Græcos vel Latinos alias inveniatur, nondum obſervavi. Eadem quidem ſententia v. 12 *latuitque ſub uno Pectore.*

16 *Mancipii nomen & nexus*, Romano quidem intellectu, ſubiſſe dominum, nusquam legimus: niſi quod illa Pilati damnatione *ſervum pœnæ* factum dicere poſſumus. Ceterum poteſt Poëta reſpexiſſe ad illud μορφὴν δούλου λαβών.

20 Hæ ſunt preces pro Imperatore, finis & ſcopus totius carminis, cum illud nullas alias preces, nullum aliud deſiderium exprimat.

XCVI

XLVI ΕΙΣ ΤΟΝ ΣΩΤΗΡΑ

Ὦ πυρὸς ἀενάοιο σοφὴν ὠδῖνα φυλάσσων,
Ἐμβεβαὼς κόσμοιο παλινδίνητον ἀνάγκην,
Χριστὲ θεορρήτοιο βίε φυσίζοε πηγὴ,
Πατρὸς ἀσημάντοιο πρωτοσπόρε φωνὴ,
Ὃς μέγα μητρῴων τοκετῶν ἐγκύμονα φόρτον,
Καὶ γόνον αὐτοτέλεστον ἀνυμφεύτων ὑμεναίων
Στήσας, ἀσσυρίης γενεῆς ἑτερόφρονα λύσσαν,
Ὄργια δ' εἰδάλων κενεῶν ψευδώνυμα λύσας,

Αἰθέρος

Hos Christiani hominis versus, moneta quidem Nonni percussos, nescio unde acceptos Græce, ut hic sunt, dedit Heinsius: quos ita converti ad verbum posse puto. O *tu* qui æterni ignis sapientem fecunditatem custodis, Qui *aurigæ instar* gubernas volubilem mundi necessitatem, Christe, vitæ a Deo promissæ fons vivifice, Patris ineffabilis Dei vox, quæ primum seminavit omnia: (5) Qui valide maternorum partuum gravidum onus, Et fatum a seipso perfectum nuptiarum sponso carentium Constituens, Assyriæ *contra ea* generationis *(Syriæ Deæ & Magnæ Matris Deum)* alienati sensus furorem, Atque Orgia idolorum vanorum falso nomine

1 Igni æterno tribuit generationem omnium, quod ex antiqua philosophia Heraclitica assumtum: hinc tribuit illi ὠδῖνα σοφὴν, non dolorem profecto partus, sed ipsam, si quid video, generandi facultatem, gubernatam sapientia.

5 Μέγα hoc refero ad Στήσας v. 7. Valide constituit, stabilivit, credendum generi humano commendavit partum mirabilem.

7 *Assyrium* & *Syrium* perpetuo fere confundi, & *Syriam Deam* esse *Deorum matrem*, constat: & primis Christianæ religionis sæculis illud genus furiosæ superstitionis plane regnum quoddam obtinuisse, facile demonstrari posset. Sed versamur in Parergo: hoc enim carmen quia non est Claudiani non debemus lectoribus. Qui Dalenianam de Tauroboliis dissertationem legere voluerit, ad vestigia de his rebus quærendi deducetur.

Αἰθέρος ἀμφιβέβηκας ἐφ' ἑπτάζωνον ὀχῆα,
'Αγγελικαῖς πτερύγεσσιν ἐν ἀῤῥήτοισι θαάσσων.
Ἴλαθι παγγενέταο θεὲ πρεσβήϊον ὄμμα,
Φρερὲ βίε, σῶτερ μερόπων, αἰῶνος ἀνάσσων.

celebrata dissolvens, Cæli balteum septem Zonis constantem conscendisti (10) Angelicis alis ineffabilibus insidens, *subvectus*: Propitius esto, genitoris omnium Dei venerande Vultus, Custos vitæ, Salvator hominum, sæculo imperans.

9 Cælum & peculiari ratione Zodiacum imaginatur ut *balteum*, continentem, & coërcentem omnia. Hunc ἑπτάζωνον vocat, ob septem illas Zonas, de quibus dictum ad 24, 135. Hic illud addo: quemadmodum totum hoc carmen ingenium Nonnianum mihi videtur redolere, ita peculiariter hunc locum. Nonnus enim Dionys. 46, 47 Οὐρανὸν dicerte ἑπτάζωνον appellat, & 38, 312 ἑπτὰ περὶ ζώναις κυκλούμενον.

11 Ὄμμα poteram *oculum* reddere, per quem videt & videtur pater. Sed credibilius mihi est, poni pro προσώπῳ: qui Christum videt, vultum ac faciem Dei videt.

XCVII

XLVII ΕΙΣ ΤΟΝ ΔΕΣΠΟΤΗΝ ΧΡΙΣΤΟΝ

Ἀρτιφανὲς, πολιῆχε, παλαιγενὲς, υἱὲ νεοττὲ,
Αἰὲν ἐὼν προεώντε, ὑπέρτατε, ὕστατε, χρισὲ
Ἀθανάτοιο πατρὸς, καὶ ὁμόχρονε, πάμπαν ὅμοιε.

De hoc idem quod de præcedenti dicendum. Potest ita verti, Præsens, Civitatis *tuæ* custos, antiquitus nate, & *idem* fili parvule, Semper qui es, ante *omnia* qui es, supreme, ultime, Christe, immortalis patris & coæve & undique simillis.

XCVIII

XLVIII *LAUS CHRISTI**

Proles vera Dei, cunctisque antiquior annis,
Nunc genitus, qui semper eras, lucisque repertor
Ante tuæ, matrisque parens: quem misit ab astris
Aequævus Genitor, verbique in semina fusum
Virgineos habitare sinus, & corporis arcti
Jussit inire vias, parvaque in sede morari,
Quem sedes non ulla capit: qui lumine primo
Vidisti quidquid mundo nascente crearas.
Ipse opifex, opus ipse tui, dignatus iniquas
Aetatis sentire vices, & corporis hujus
Dissimiles perferre modos, hominemque subire,
Ut possis monstrare Deum, ne lubricus error,
Et decepta diu varii sollertia mundi,
Pectora tam multis sineret mortalia sæclis
Auctorem nescire suum. Te conscia partus
Mater, & attoniti pecudum sensere timores.
Te nova sollicito lustrantes sidera visu
In cælo videre prius, lumenque secuti,
Invenere Magi. Tu noxia pectora solvis,
Elapsasque animas in corpora functa reducis,
Et vitam remeare jubes. Tu lege recepti
Muneris,

3 nate *conj. Barth.* 9 sui *adhuc editum.*

* Hoc carmen inter ea est, quæ primum Jo. Camers pro Claudianeis edidit. Non satis ubique orthodoxum, certe non ad formulas caute loquendi attemperatum. Sed nos hic non θεολογοῦμεν.

4 *Verbum* hic poni de Christo, quatenus homo est, videtur; sed potest forte ita intelligi: semina, e quibus caro fieri nascique adeo debuit Verbum.

16 *Attoniti timores* signant opinionem illam verecrum, quam exprimit antiquus hymnus, *Agnovit bos & asinus, quod puer erat dominus.*

19 *Lege recepti muneris*: ea conditione munus Messiæ suscepisti.

Muneris, ad Manes penetras, mortisque latebras
Immortalis adis. Nasci tibi non fuit uni
Principium, finisque mori: sed nocte refusa,
In cælum, patremque redis, rursusque perenni
Ordine purgatis adimis contagia terris.
Tu solus, Patrisque comes, tu Spiritus insons,
